CASALI, Giovanni Battista

De urbis acromani olim imperii splendore : opus eruditionibus, historiis, ac animaduersionibus, tam sacris quam profanis illustratum... / autore Ioanne Baptista Casalio... -- Rome : Ex Typographia Francisci Alberti Tani..., 1650

[6], 437, [15] p., [2] h. de grab., [4] de grab. pleg., []3, A-Z4, 2A-2Z4, 3A-3K4 ; Fol.

Front. calc.: "Baronnius fecit Romae". -- Port. a dos tintas, con esc. tip. -- Las h. de grab. son calc. -- Error de pág., p. 167 figura como 177, p. 332 como 323, p. 343 como 143, p. 349 como 149 y p. 361 como 161

1. Roma-Historia-Imperio, 30 a.C.-284 d.C. 2. Erroma-Historia-Inperioa, K.a. 30-K.o. 284 I. Titulo

BEI-R-279



Baronius fecit Romæ

DE VRBIS AC ROMANI OLIM IMPERII SPLENDORE

Opus Eruditionibus, Historijs, ac Animadversionibus, tam sacris quam profanis Illustratum.

In quo etiam nonnulla ex occasione tanguntur, tam circa Romanæ Ecclesiæ Principatum, quam circa alias reliquarum orbis Regionum res memoratu dignas.

AVCTORE IOANNE BAPTISTA CASALIO ROMANO.



ROMÆ, ANNO IVBILEI MDCL.

Ex Typographia Francisci Alberti Tani. Superiorum permissu.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. F. Vincentio Candido Sacri Palatij Apoſtolici Ordinis Prædicatorum.

A. Riual. Viceſgerens.

Imprimatur. Fr. Raymundus Capiſuccus Magiſter & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

SANCTISS. ET BEATISS. PATRI

INNOCENTIO DECIMO.

ROMANI Imperij, & Vrbis ROMÆ præcipuè, cuius Tu SANCTISSIME PATER authoritate diuina & dominatione terrena moderaris habenas ; ego maiestatem, & sublimitatem enarrandam suscepi. Nec ad alium abs Te Opus hoc dirigendum, dum redijt ad eum, à quo nostra Vrbs spiritum assumit. Debita est Tibi quoque hæc mea de Vrbe lucubratio; quoniam Tu vitali luce, & educatione iam ab illa suscepta; inde in sacro Rotæ Areopago, & Purpuratorum Collegio, post alia Romanæ Ecclesiæ munera egregiè functus, modò totius vniuersalis Ecclesię molimini moderator, rerumque diuinarum & humanarum in ea Arbiter emines. Accedit Tuus propensus amor erga hanc eamdem Vrbem in restauratione Basilicarum Lateranensis iam tum collabentis, & Vaticanę nondum expolitę; præter insignitum Capitolium, & Agonalem plateam amplissimis ędibus, fontibus, & Ægypti Obelisco mirificè ornatam. Atque hisce omnibus magis adhuc relucet Prudentia Tua in remouendis bellis

submo-

ſubmotis, quibus Vrbs & Italia tota concutiebatur: Vigilantia in calamitoſis Annonæ temporibus: Liberalitas, ne Populus Tibi ſubiectus vectigalibus, & alijs importabilibus oneribus magis ac magis aggrauaretur: Vt & ego (priuata ſi perſequi vellem) ſileam. Tibi igitur, SANCTISSIME PATER, humillimè deprecor: quoniam apertis iam hiſce diebus Cœleſtis, humaneque munificentię valuis; vt Tuam hanc Vrbem continua protegas beneuolentia; ac ſummę auctoritatis Tuę tutelam huic meę lucubrationi impartiaris. Quam Deus Optimus Maximus humani generis ſaluti diuturnam præſtet, intimis precibus exoro. Datum Romę Kalend. Ianuarij, Anno ſeculari MDCL.

Sanctitatis Tuę

Humillimus ſeruus
Ioannes Bap. Caſalius.

INDEX CAPITVM.

PARS PRIMA.

PRæfatio Cap. I. pag. 1.
De Romanorum Virtutibus & Potentia Cap. II. pag. 3.
De Publicis Romanorum opibus Cap. III. pag. 12.
De Priuatorum aliquot Romanorum opibus Cap. IV. pag. 18.
De ſeptem Orbis miraculis Cap. V. pag. 20.
Romanæ Vrbis ſumptuoſa ædificia moles ſeptem miraculorum Orbis excedunt Cap. VI. pag. 24.
Priuatorum Romanorum Ædes Vrbanæ & Ruſticæ Cap. VII. p. 30.
De Vrbis ſitu & Amplitudine Cap. VIII. pag. 32.
De Statuis, ſeu Simulacris Cap. IX. pag. 35.
De Obeliſcis Cap. X. pag. 37.
De Columnis in Vrbe Cap. XI. pag. 44.
De Viarum Operibus magnis; & de Appia præcipuè Cap. XII. p. 49.
De Romanorum mirabilibus Aquæductibus & Cloacis C. XIII. p. 51.
De Sanctorum Martyrum Cœmeterijs Cap. XIV. pag. 56.
De Pontibus ſupra Flumina Cap. XV. pag. 61.
De Aggeribus & Pontibus ad Mare extructis Cap. XVI. pag. 63.
De Pontina Palude eiuſque exſiccatione Cap. XVII. pag 66.
De Aggere ad Rupellam à Chriſtianiſſ. Ludouico XIII. C. XVIII. p. 68.
Vnde & à quo fonte prouenerint Romanor. Opes? Cap. XIX. pag. 72.
De Vrbis & Romani Imperij Declinatione, Deprædationibus & Inritu Cap. XX. pag. 76.
De Romani Pontificis in Vrbe Principatu Cap. XXI. pag. 87.
De Vrbis reſtauratione poſt incurſiones & vaſtationes Barbarorum Cap. XXII. pag. 103.
De Mole Adriani Cap. XXIII. pag. 114.
An recens Roma cum antiqua conferri queat Cap. XXIV. p. 119.
De Vrbis & Romani Imperij, ac etiam Romanæ Eccleſiæ perennitate Cap. XXV. pag. 122.
De Priſcorum Romanorum Virtutibus Cap. XXVI. pag. 132.
Doctrina & animi cultus, ac etiam Mechanicarum Artium cura apud Romanos Cap. XXVII. pag. 149.
Qualiter Romani ad Honores promoti? Cap. XXVIII. pag. 152.
Romani à ſceleribus excuſati Cap. XXIX. pag. 156.
Sub Romano Imperio felix Vita: & Chriſtiana Religio propagata Cap. XXX. pag. 158.
Quare Roma & aliæ Vrbes floris ſui maturitatem aſſecutæ, raro maius ſumant augmentum? Cap. XXXI. pag. 165.

Pars

PARS SECVNDA.

DE Triumphis Romanorum Cap. I. pag. 173.
De Ludis seu Spectaculis Romanorum Cap. II. pag. 190.
De Ludis Circensibus Cap. III. pag. 194.
De Gladiatoribus Cap. IV. pag. 205.
De Venatione & Amphitheatro Cap. V. pag. 215.
De Tragœdia Cap. VI. pag. 229.
De Comœdia Cap. VII. pag. 233.
De Vestimentis Romanorum Cap. VIII. pag. 250.
De Armis Nobilium familiarum Cap. IX. pag. 260.
De Anulis Cap. X. pag. 268. De Fibulis Cap. XI. pag. 274.
De Pileo apud Romanos Cap. XII. pag. 278.
De Prisco vsu Salutandi sternuenti & quare? Cap. XIII. pag. 280.
De vario Tesserarum vsu Cap. XIV. pag. 283.
De re Nummaria Cap. XV. pag. 288.
De ritu Nuptiarum Cap. XVI. pag. 293.
De Iure Connubiali inter ciues Romanos Cap. XVII. pag. 301.
De Thermis seu Balneis Cap. XVIII. pag. 314.
De Conuiuijs & Triclinijs Cap. XIX. pag. 322.
De Hospitalitate Cap. XX. pag. 334.
De Funeribus Romanorum Cap. XXI. pag. 342.
De Apotheosi seu Consecratione Cap. XXII. pag. 356.

PARS TERTIA.

DE Romanorum Ethnicorum Sacrificijs Cap. I. pag. 360.
De Sacerdotijs Cap. II. pag. 369.
De Virginibus Vestalibus Cap. III. pag. 372.
De Sibyllis eorumque Oraculis Cap. IV. pag. 377.
De Virginibus Christianis Cap. V. pag. 382.
De Comitijs Romanorum Cap. VI. pag. 384.
De Regimine & Magistratibus Vrbis Cap. VII. pag. 390.
De Legibus Cap. VIII. pag. 398.
De Militia Cap. IX. pag. 401.
Quomodo Romana Vrbs tantum excreuerit? Cap. X. pag. 413.
Quibus adminiculis parta dignitas & magnitudo conseruata fuerit apud Priscos Romanos? Cap. XI. pag. 423.

INDEX TITVLOR. IN NOTABILIBVS.

DE Pontibus p. 427. De albo vestium colore pag. 428.
Ex vestibus animus & indoles denotatur pag. 430.
De vsu inuitandi ad potum pag. 430.
Colloquium seu silentium inter conuiuas pag. 432.
De Calido potu p. 433. De Hospitalitate pag. 434.

DE

A

DE VRBE ET ROMANO IMPERIO.

Pars Prima.

B

PRÆFATIO

Caput I.

VNiuersus iam penè Orbis sub Augusto Cæsare adorauerat Romam; cum auro & diuitijs, pretiosiora quæque affluerent in ea: necnon omnes Gentes ab illa, tanquam a Numine supremo penderent, morum Magistra, communi omnium patria, & prima cunctarum Vrbium. Diuinum enim aliquod à maiestate & augusta illius specie spirare videbatur. Hanc ipsam Romani Imperij magnitudinem, quasi compendio laudauit Martialis.

C

Terrarum Dea, Gentiumque ROMA,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Et Propertius.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ.
Natura hic posuit, quicquid vbique fuit.

Sed pulchre item, & vbertim Claudianus.

Quæ nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit; quæ luce metalli
AEmula vicinis fastigia conserit astris.
At morum, legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula iuris.
Hæc est exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminas axes, paruaque a sede profecta
Disperfit cum Sole manus. Hæc obuia fatis

D

Innumeras vno gereret cum tempore pugnas,
Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,
Numquam succumbit damnis, & territa nullo
Vulnere, post Cannas maior, Trebiamque fremebat.

Quamquam Claudianus Poeta Potentiam & Virtutem Romani Imperij extollat; hoc idem testatur Liuius histor. lib. 1. *Nulla vnquam Respublica nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Quæ & domicilium legum, gymnasium litterarum, curia dignitatum, vertex mundi esset nuncupata: militarisque disciplinæ, & seueritatis, & virtutum omnium specimen.

Lacera modo omnia, & diruta in Vrbe: adeo verum est illud; Roma Romæ

 sepulta

ſepulta iacet; nec aliud hæc ſunt quam egregij operis vmbra, & cadauer. A
Spirant tamen hæc omnia Romam illam veterem, & velut ſcintillas emittunt primi ſplendoris. Ex parietinis iſtis, & ex lapidibus imago ſtatim animo oboritur Vrbis, quæ vna fuit ab omni æuo, & vna erit; vt refert antiquus Poeta.

Non tamen annorum ſeries, non flamma, nec ignis
Aeternum potuit hoc abolere decus.

Cuius magni Imperij per tot ſæcula continuati reliquiæ in Germania adhuc remanent; & in Auſtriaca domo, ſicut ex Aquilæ adhuc ſpirantis ſymbolo: de cuius præeminentia ſic loquitur Areopagita de Cæleſt. hierarch. cap. 15. *Porro effigiem Aquilæ Regiam dignitatem, motumque ad ſuperna tendentem, celeremque volatum, atque captandum neceſſarium reparandis viribus cibum agilitatem atque vigilantiam, curſum & facilitatem ſummam: ac propterea vim illam ſingularem ſpeculandi atque intuendi liberè, directè, in nullam partem inclinando aciem luminum in radium illum vberrimum lucidiſſimum Deitatis, quem ex ſe inſtar Solis emittit.* Quæ omnia de Aquilæ forma deſumpta ſymbola, facilè ſuadent coniecturam de illa in vexillis; quam poſtea æmulatæ ſunt Gentes, & B
priſci Romani præſertim, de quibus Ioſephus. 3. Belli Iud. cap. 5. inquit: *Et poſt hos circum Aquilam ſigna alia, quæ omnibus apud Romanos agminibus præeſt, quod vniuerſarum auium regnum habeat, & ſit validiſſima; itaque illam & principatus inſigne putant, & omen victoriæ.* Hæc ille. Cuius exempla Romæ licuit videre plurima, in arcu maxime Conſtantini, Columna Traiani, & in antiquis numiſmatibus; vt etiam refert Villalpandus in Ezechielem tom. 2. pag. 468. col. 1. Ex quibus hanc Aquilam Imperij ſymbolum per omnia tempora apud Romanum Imperium permanſuram ſcripſit etiam Plutarchus his verbis: *Cum fortuna alata ſit & vaga, & modo Aſſyrios, Medos, Perſas, Macedones, Carthaginenſes luſtrauerit, eoſdemque reliquerit: videtur ad Tyberim alas poſuiſſe, volubilem globum reliquiſſe, & Vrbem quaſi perpetim inhabitatura intraſſe.* Cuius in hoc mirabile fuit Homeri vaticinium in Iliad.

Nunc autem Troiana Aeneas ſceptra tenebit,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis. C

Ille vero tenuit & nati eius, inter quos Romulus primus Regum, ex eo ſanguine; & ſi mutatio aliqua ſtatus interuenerit, tamen Imperium manſit: primo ſub Regibus, ſub Conſulibus, & Principibus: & ſub iſtis ſciſſum, diuulſumque, & caput alterum in Thraciam, aut Græciam translatum Magno Conſtantino imperāte, qui cauſam deinde dedit inclinationi rerum; quamuis idem Conſtantinus felicioribus auſpicijs, vt ſydus illuſtrauerit Orbem in ijs, quæ ſacra & pietatem tangunt: ille ſiquidem Deo duce depulit tenebras, quæ Orbem terræ denſa ſuperſtitionum nube obſidebant, lucem intulit, templa nobis & Chriſto aperuit, vanis cultoribus & Dijs clauſit: ſummis etiam Romanis Pontificibus Romæ in temporale Imperium ſubſtitutis. Quorum Romanus Imp. filius nuncupatur, vt ſatis conſtet origini Romanæ & Deum adfuiſſe, & non defuturam virtutem: & quamuis ſquallida & lacera hodie in Auſtriaca Germaniæ domo Aquila Romani Imperij ſymbolum modo exiſtat; ita vt prouincijs & terris, quæ olim Romano Imperio obediebant, modo Auſtriacus Imp. non dominetur; decoratur tamen ille hoc nomine Romani D
Imperatoris, quia verè in iura Imperij Romani ſucceſſit, & eo iure multa poſſidet. Reges ergo Hiſpaniæ, & Galliæ non dicuntur Romani Impp. nec Imperij Romani germina, quia licet poſſideant regna, quæ Romanis olim ſubiecta fuere, non tamen Romanorum iure, ſed hæreditatis, aut belli, aut alio titulo: Auſtriacus autem multis non alio iure quam Imperij Romani potitur; & ideo ſurculus Imperij Romani adhuc audit, ſicut & Traianus quamuis Hiſpanus, & Seuerus etſi Afer veri Romani Imperatores erant, quia Romanorum iure imperabant.

Quamquam nullum regnum tam repentè auctum quam Alexandri Magni,

qui

A qui prius sibi visus est comparare Imperium quam regnasse; cum nullas dederit leges, nulla constituerit militibus stipendia, sed tantum regiones discurrerit, nec regnum stabiliuerit: dicere solitus, longè præstantius litteris antecedere quam Imperio; ac magis amari quam timeri: Cæsar autem contra: *Oderint dum metuant*. Populus Romanus gentium princeps ob magnitudinem rerum gestarum, imperandi diuturnitatem cæteros principatus antecelluit; terra, marique imperium terminauit; quo nihil in orbe celebrius, nihil ea Vrbe nobilius: vbi tanta ædificandi facultas, tot regia ædificia, tot loca sacra, Basilicæ, Sacella, Fora, Aquæductus, Circi, Theatra, operosi supra Tiberim Pontes, Ludorum genera, tantus mortalium concursus, vbi tot opes, & immoderati ad magnificentiam sumptus: vnde quidam sapiens interrogatus, quid de Vrbe sentiret? fertur respondisse *Microcosmon* idest, Paruum mundum. Libanius Græcus homo, *Romam*, inquit, *non Vrbem sed quamdam cæli partem* appellatam. Cæterum cum latè pateat Romanum Imperium, nihil magis admiratione dignum, quam regnandi diuturB nitas, amplitudo, & potentia.

De Romanorum Viribus, seu Potentia. Cap. II.

QVoniam de Potentia, seu Viribus Romanorum primo nobis est dicendum: præfabimur, *Vtrum potestas secularis, per quam populus regitur quatum ad temporalia sit à Deo?* Modus autem debitus perueniendi ad potestatem regendi populum, est duplex: videlicet per hæreditariam successionem, & per electionem: at vero qui alteri succedit, cum non sit primus, infertur vt primus modus perueniendi debitè ad auctoritatem regiminis, sit per electionem Dei, vel hominum. Id autem contigisse in Regno Israel, cuius legiC timum initium extitit Saul, primus Rex electus auctoritate Dei, & ex consensu Populi: eo autem reprobato propter inobedientiam, electus deinde Dauid à Deo, vt legitur in primo Regum; & filij eius successerunt ei in Regnum ex ordinatione Dei. Quantum vero ad quatuor Mundi Imperia, non fuerunt à principio legitimè introducta, sed per violentiam vsurpata.

De Imperio Assyriorum & Chaldæorum, cœpit illud à Nembroth, de quo in Genes. cap. 10. dicitur, quod *Ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino*. idest, oppressor hominum, vt per expositores: vnde per violentiam & oppressionem aliorum ipse sibi acquisiuit Regnum & Imperium.

De Imperio autem Medorum & Persarum, quod fuerit per violentiam introductum, patet in Daniele cap. 5. vbi interfecto Balthasare Rege Babylonis per Cyrum & Darium, translatum fuit Imperium in Medos, & Persas. Et quamquam de Cyro prædictum fuerit per Isaiam cap. 45. *Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Re*D *gum vertam:* ac per hoc videtur, quod ipse voluntate & auctoritate Dei legitimè successerit in Regnum & Imperium. Ad quod respondetur; non inferri ex verbis Isaiæ, quod Cyrus auctoritate Dei obtinuerit Imperium, sed per ea datur intelligi omnipotentia resistendi Balthasari & Regibus sibi adhærentibus; & ordinatio Dei de liberatione populi de captiuitate Babyloniæ; quia præuidit Deus, quod Cyrus adepto Imperio, licet per violentiam, permitteret filios Israel exire de captiuitate & redire in Hierusalem; alias non sineret Deus mala fieri, nisi ex malis sciret elicere bona; & ita scribit Bertrandus Eduensis De Origine & vsu Iurisdictionis Quæst. 1. De quo in Biblioth. Patrum tom. 4. parte prima.

Post Imperium Medorum, & Persarum successit Imperium Græcorum, non per viam legitimam electionis, vel hæreditariæ successionis, sed per meram violentiam potentiæ, & armorum; vt in principio lib.1. Machab. ibi: *Alexander Rex Græcorum percussit Darium Regem Persarum, & Medorum & constituit prælia multa, & interfecit Reges terræ; & sic obtinuit Imperium.* A

De Imperio autem Romanorum patet etiam ex Chronicis, & diuersis historijs, quod simili modo insurrexerit per potentiam, & sæcularem prudentiam. Quamquam dubitari contingat de Imperio, quod Cæsar, & Augustus sibi inuito Senatu & Populo vsurparunt; sed quidquid sit de inchoatione Imperij Romani, auctoritate tandem Senatus, & Populi Augustum imperasse nõ est dubium. Nam post deuictum Antonium, & totum ferè terrarum orbem pacatum in pleno Senatu se Imperio abdicauit, & refert Orosius lib.6.c.22. de Augusto: *Domini appellationẽ, vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit.* Sed Senatores precibus coegerunt, vt Imperium ipse vnus retineret, quod & fecit. Ita Augustinus Torniellus anno mũdi. 4027. ex Dione & alijs sic inquit: *Ita vt perpetuò deinceps per annos quadraginta non amplius per vim, sed legitimè, Senatu scilicet, Populoque annuente, Imperium administrauerit.* B

Ex quibus patet quod potestas læcularis quantum ad prædicta quatuor Imperia, non fuerit à principio legitimè introducta, sed per violentiam vsurpata. In signum huius ostensa illa sunt Danieli in visione dicto cap.5. sub similitudine non hominum sed bestiarum; quia non insurrexerunt per viam rationis sed impetu sensualitatis, quantum ad primam sui originem: si autem processu temporis hæc regna reducta sint ad statum legitimum, oportet quod hoc fuerit accedente consensu Populi expresso vel interpretatiuo; quia quamuis in acquisitione potestatis, & iurisdictionis; & in eius vsu, vel abusu possit esse deordinatio, tamen in ipso ordine superioritatis, & subiectionis, in quo consistit dominium & auctoritas iurisdictionis, non potest esse deordinatio, quia iam non esset ordo, quod vnus principetur, & cæteri sint subiecti: ergo potestas & dominium ad regendum populum, est hominibus secundum debitum rationis & Diuinæ ordinationis, vt in l.2.§. nouissimè D. de Orig. Iurisd. Quamuis assecutio potestatis vel vsus eiusdem non semper sit à Deo; quando talis modus est malus vel illicitus, de quibus Oseas c.8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognoui.* Modus autem debitus regendi populum, est duplex, per hæreditariam successionem, & electionem, vt dixi. Et ita refert Eduensis vbi supra dicta quæst.1. C

Hæc violentia à Romano Imperio quamuis in sui prima acquisitione, non fuerit forsan aliena; interceßit tamen in Principatu Augusti consensus Senatus & Populi, vt dixi. Iustitia præterea in bellis suscipiendis apud Romanos maximè enituit; vt infra cognoscemus. Hac, inquam, per ipsos bene librata, enumerari possunt, atque in vsum computationis venire ea, quæ in India gesta sunt apud Seras, Persas, & Medos: in Arabia, Aegypto, in Asia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas: in Achaia, Macedonia, Epiro: in insulis & prouincijs omnibus, quas sol Oriens, atque Occidens lustrat: ipsam denique apud Dominam Romam, in qua cum homines essent ipsi Numæ Regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati; non distulerunt tamen post Christi mortem res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ, vt refert Arnob.lib.2 aduers. Gentes. Ad superna siquidem animum extollere, magnitudini quoque Romanorum maximè tribuendum. Si quis igitur flagitio & scelere Imperium consecutus fuerit, perrarò virtute & bonis artibus tenebit: & quod miremur, solum Vespasianum omnium ante se Principum in melius mutatum accepimus; ita non rarò Imperia, quæ meliorem initio acceperunt: deteriores eosdem postea dedisse, Israel nos & omnium Gentium Historiæ docent. D

Mystica considératio.

Et sane perdifficile ante Imperium iudicare est, meruerit quis illud an secus

vbi

A vbi adeptus fuerit, facillimum. Quæ enim latebant antea vitia & sepulta cinerì suo iacebant, cum purpura erumpunt: non quod ante non fuerint; sed materia deerat. Da vina, aurum, mulierem, Imperia, videbis qua temperantia, liberalitate, castimonia, mansuetudine quis excellat? qua etiam intemperantia, auaritia, incontinentia, crudelitate sit coaceruatus. Produnt plurimum dignitates, non producunt scelera noua. Priuata siquidem fortuna vitia ferè tegit, quæ publica retegit, & prospectanda præbet. Hinc qui in obscuro vitam agunt; si quid iracundia, auaritia, libidine deliquere, latent, & oscuritate sua tanquam densa vndique nube & tenebris integuntur. Qui verò in excelso ætatem agunt, omnium oculis patent: atque hinc quæ apud priuatos iracundia: ea in Imperio superbia, ac crudelitas appellatur. Ex quibus quo magis prouidos esse deceat, qui ex fortuna sua dicta factaque meditantur, nobis indicatur.

Ex his autem qui Romanam Rempublicam, & Imperium gubernarunt; quamquam à recti semita aliqui aliena vsurpando, & malè imperando aberB rauerint: non defuerunt tamen qui potentes in sublimi orbis culmine virtute magna se gesserint. Nos autem quanti ponderis esset eorumdem Potestas; & in quo se haberet, referemus.

Primò sese offert *de Finibus* illius Imperij referre, & ij in quanta terrarum & maris spatia (vno velut sinu, ac iunctim inclusa) fuerint propagati: quanta in vllo priorum, ac posteriorum Imperiorum vmquam extiterint. Itaque haud vanè Petronius. *Fines Imperij Romani.*

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, quæ terræ, qua sidus currit vtrumque.

Et Ouid. 2. fastor

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spatium est Vrbis, & Orbis idem.

Dionysius Halicarnass. *Roma Vrbs imperat toti terræ, quæ quidem inaccessa non sit, habitaturque ab hominibus; sed & toti mari imperat; non solum huic intra*
C *columnas Herculeas; sed ipsi Oceano quocunque est nauigabilis: primaque & sola ab omnis æui memoria terminos sibi potentiæ fecit Orientem & Occasum.* Sed illud nemo negauerit florem Asiæ, Africæ, Europæ, in hoc Imperio fuisse: ipsa etiam gentium robora, ingenia, opes. Cætera non tam conquirere non potuit, quam contempsit, & iudicio reliquit. Quod vt clarius liqueat; Imperium cum in suo culmine fuit ab Augusto ad Traianum; Fines eiusdem sub Augusto erant ab Oriente *Euphrates*; à Meridie *Nili cataractæ, & deserta Africæ, & mons Athlas*; ab Occidente *Oceanus*; à Septentrione *Danubius & Rhenus*. Ita enim claudere Imperium limitibus natura instituit: hoc Tacitus in primo Annal. lib. laudat: *Clausum mari aut amnibus longinquis Imperium*. & idem scribit Augustum libello, quo rationes Imperij conscripserat: *Consilium addidisse coercendi intra terminos Imperij, incertum metu, an per inuidiam*. Nolebat posteros Augustus proferre terminos Imperij, quia nimia vastitas perinde Imperijs, ac corporibus periculosa esset; temperarique melius, ac defendi iusta amplitudo, quam immodica posset, vt refert in proD posito Dio: *Hoc non verbis modo, sed re ipsa seruasse constat Augustum: namque etsi plurima barbarorum sui iuris poterat efficere, numquam tamen voluit*. Et Augusto quidem similes Imperatores potius cupiebant augere dignitatem quam propagare Imperium inter barbaros, gentem inopem, minimæque vtilitatis; vt refert Appianus in procœmio hist. Siuè etiam *per Inuidiam* noluit Augustus ampliari fines Imperij; ne gloriam suam alij vincerent, vt Tacitus suspicatur. Sanè posteri consilium hoc neglexerunt, & vltra terminos noua quæsiuerunt; vt Claudius, qui *Britannias* in ipso Oceano deuicit: Traianus ab Oriente *Arabiam, Armeniam, Mesopotamiam*, à Septentrione *Daciam* subegit. Ita moti, prolatique termini trans Euphratem ad Tigrim, iterumque

rumque trans Danubium tota Dacia addita ad mare Rubrum: hoc quod A
Tacitus laudat in Tiberio: *Ventum est ad Elephantinen, & Sienen, clausira olim Romani Imperij, quod nunc Rubrum ad mare patefecit.* Hinc Claudianus.

Subdidit Oceanum sceptris, & margine cæli
Clausit opes: quantum distant à Tigride Gades,
Inter se Tanais quantum, Niluſque relinquunt.

Qui vero deinde prædicti Imperij clauſtra laxarunt, id magno rei Romanæ malo experti ſunt: cum tantum Imperium deinde mole ſua diſſolutum ſit.

Quoniam fines Romani Imperij non ſolum mari, amnibus, montibus clauſi ac muniti erant; ſed & copijs: & has perpetuum militem intelligo, qui ad tutelam Imperij ex inſtituto Auguſti fuit: quas copias triplices extitiſſe reperio, *Prouinciales, Vrbanas, Claſſicas.*

Prouinciales copiæ. *Ex Prouincialibus* copijs; ita ordo & diſpoſitio fuit, vt limitanea loca militem haberent, interiora vix haberent circa mœnia: cohærebant autem prouinciæ; ideoque & legiones per cohortes ſuas & alas ſparſæ, & inter ſe vicinæ: hinc Tacitus 1. Annal. *Legiones, Prouincias, Claſſes, cuncta inter ſe connexa.* & Sueton. *Ex militaribus copijs legiones & auxilia prouinciarum diſtributa.* Sub Auguſto & Tiberio vigintiquinque legiones fuerunt, ex Dione & Tacito, quæ poſtea ſub Traiano & Adriano auxerunt ad triginta & vltra: ſed mutabant illæ aliquando, & ob cauſas huc atque illuc ibant, ex Tacito in 4 Annal. *Apud idonea prouinciarum, ſocias triremes, & alas, auxiliaque cohortium, nec multo ſecus in ijs virium fuiſſe: ſed perſequi incertum fuit, cum ex vſu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero, & aliquando minuerentur.* Siquidem non in numero ſolum, ſed in robore & animo victoriam ſtare Romani potiſſimum crediderunt: quoniam non rarò exitio ſuis etiam multitudo fuit; & pauciores certius imperia aliquando ſequuntur. B

Copia Vrbana. Copiæ Vrbanæ fuerunt, quæ ſedem Romæ habuerunt, ac etiam Principem in ea tuerentur, vt & ipſam Vrbem. Principis cuſtodiæ triplex miles fuit: *Prætoriani, Euocati, Bataui.* Prætoriani autem flos militum fide, robore, in nouem cohortes diuiſi ab Auguſto; quamuis Dio lib. 54. aſſerat: *Cuſtodes corporis Auguſti decem mille erant; atque hi in decem cohortes diuiſi.* Cuius inſtituti exemplum fuit à Prætorijs cohortibus in exercitu, quæ ad tutelam erant Imperatoris: erant ij quoq; ſtirpe, & domo eximij: nec lecti niſi ex Etruria, Vmbria, Latio, & colonijs antiquitus Romanis: & ideo Otho Imperatorijs blandiens, & in concione alloquens apud Tacitum 1. hiſt. inquit: *Italiæ alumni, & Romana verè iuuentus.* Erat autem officium Prætorianorum Vrbem tueri: motus & turbas plebis coercere: noctu circa templa, fora, baſilicas excubare: ſtationes agere contra graſſatores & ſicarios: itemque Præfecto Vrbis apparere, ex Tacito lib. 3. hiſtor. *Eſſe illi proprium militem cohortium Vrbanarum: nec defuturas Vigilum cohortes, &c.* C

Altera pars militum Vrbanarum, Euocati dicebãtur, de quibus Dio lib. 54. inquit: *Euocatis Auguſtus vti iam cœperat in Antonium olim, eoſque & poſtea ſeruauit: ſunt autem hodieque propria quædam, & ſeparata manus.* Quod Suetonius in Galba inquit: *Delegiſſe eum equeſtris ordinis iuuenes, qui manente aureorum annulorum vſu, Euocati appellarentur, excubiaſque circa cubiculum ſuum vice militum agerent.* D

Tertij ordinis erant Bataui equites, peditesque: & de his Dio: *Sunt & exteri equites ſelecti, quibus Batauorum nomen eſt, ijque equitandi peritiſſimi.* Hos autem Batauos maximè fuiſſe, qui ex Geldria accerſerentur; nam inferi ad mare equi apti non ſunt. Hos Tacitus etiam Germanos appellat: dum refert quod Galba, *Germanorum cohortem, inſtitutam iam olim à Cæſaribus ad cuſtodiam corporis, & multis experimentis fidiſſimam, diſſoluit, & ſine vllis commodis remiſit in patriam.*

Pacis iuxta, ac belli tempore Romani ſemper alebant exercitum, ſiuè in-

tutelam

A tutelam ſibi ſuiſque, ſiue in terrorem hoſtibus, quæ res ad augendam maieſtatem, hoſtibus metum incutiendum plurimum ſemper valuit. Factum id à Regibus omnibus magnis. Quoniam in pace bella meditari, prudentis Principis eſt; aſſueſcere etiam bello in alta pace, ſapientis eſt. Auguſtus certos annuos cenſus in militaria ſtipendia decreuerat, nulli alteri rei impendendos, ne nouis exactionibus populo grauis eſſet. Nec minus in altiſſima pace intermittebant Romani exercitia militaria, nec ignaueſcere ſuos patiebantur, aut otio diffluere: arma expediebant; & amico tanquam hoſtili inter ſe procurſu arma tentabant, induebantque inimicum animum, quem extra certaminis locum ponebant: aſſueſcebant duris, nudæ humo, & cælo; & frigora ſimul ac calorem pati diſcebant: eſt illud Hieronymi: *Corpus aſſuetum tunicis, loricæ onus non fert; caput opertum linteo, galeam recuſat; mollem otio manum durus exaſperat capulus.* Et illud Tertulliani: *Etiam in pace labore, & incommodis bellum pati ediſcunt; in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam molliendo, teſtudinem deſiccãdo: nemo enim miles de cubiculo ad aciem*
B *procedit: &c.* Laudatum etiam in P. Rutilio Coſſ. Romano fuit ex V. Maximo: *Quod doctioribus gladiatoribus accerſitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem legionibus ingenerauerit; virtutem arti, & rurſus artem virtuti immiſcuerit; vt illa impetu illius fortior, hæc illius ſcientia cautior fieret.*

Militarium exercitationum commoda.

Quantum vero militaris hæc exercitatio momenti rebus adferat, ex eo colligi poteſt, quod Romanos nulla re magis quam armorum perpetua exercitatione, caſtrorumque diſciplina orbem ſubieciſſe terrarum, auctor ſit Vegetius. De qua re verè V. Maximus inquit: *Diſciplina militaris acriter retenta, principatum Italiæ Populo Romano peperit, & multarum Vrbium, magnorum regnorum, validiſſimarum gentium regimen largita eſt; fauces Pontici ſinus patefecit, Alpium, Taurique montis conuulſa clauſtra tradidit, ortam è paruula Romam caſa, totius terrarum orbis fecit columen.* Docuit exemplo Scipio, qui ſcortis, luxu, delicijs totis caſtris exulare iuſſis, Romanos è victis victores reddidit: Numantiamque, quæ quatuor & decem annis terrori Im-
C perio fuerat, ſolo æquauit. Steterat illa inuicta, quamdiu luxus, & diſciplinæ militaris fuit neglectus: vt primum hæc reſtituta, cecidit tot fortiſſimorum Ducum victrix Numantia. Ita V. Maximus: *Itaque neglectæ diſciplinæ militaris indicium, Mancini miſerabilis deditio; ſeruatæ merces, ſpecioſiſſimus Scipionis triumphus extitit.* Vna militaris diſciplina collapſum luxu exercitum priſtino robori reſtituit, hoſtem vinci poſſe docuit, Africamque Romano Imperio ſubegit.

Claſſes in mari.

Claſſes perpetuas in Romano Imperio extitiſſe, quæ & piratas cohiberent, & hoſtes excluderent. Fuerunt hæ claſſes in ipſo mari quatuor: primæ duæ maiores, Prætoriæ dictæ *Miſenenſis, & Rauennas*; exemplo Prætoriarum cohortium, quia ad Italiæ, & Principis tutelam: ſed eæ quoq; ab Auguſto inſtitutæ, notat Sueton: *Claſſem Miſeni, & alteram Rauennæ ad tutelam ſuperi & inferi maris collocauit.* & Tacitus 4. Annal. *Italiam vtroq. mari duæ claſſes Miſenum apud, & Rauennam præſidebant.* Sed magis diſtinctè Vegetius lib. 4. *Apud Miſenum & Rauennam ſingulæ legiones cum claſſibus*
D *ſtabant, ne longius à tutela Vrbis abſcederent; & cum ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes peruenirent: nam Miſenatium claſſis Galliam, Hiſpanias, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam, atque Siciliam haberet in proximo: Claſſis vero Rauennatium Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum petere directa nauigatione conſueuerat.* Claſſiarij plerique exteri, & non ciues: & de Claſſe Rauennate Tacitus: *Ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatæ, Pannoniique erant.* Et quod naualis militia etiam Miſena vilis eſſet apud Romanos, Virgilius indicauit, cum Miſenum illic ſepelit Aeneas

Imponit ſuaque arma viro, remumque, tubamque.

Nam

Nam remum & tubam dat, præsignificans locum hunc futurum, vbi remiges & milites cum tuba in Classe essent: alteram Rauennæ Classem, nobile oppidum etiam ob sedem Regni Gothorum, notificat Iornandes his verbis: *A meridie Padus, qui & Eridanus ab Augusto Imperatore altissima fossa demissus qui septima sui aluei parte influit ciuitatem: ad ostia sui amœnissimum portum habens, qui classem ducentarum quinquaginta nauium, Dione referente, tutissima dudum credebatur recipere statione. Qui nunc, vt Fabius ait, quod aliquando portus fuerat, spatiosissimos hortos ostendit, arboribus plenos, verum de quibus pendeant non vela sed poma.* Atque hæ duæ maiores classes maritimæ: sequũtur aliæ duæ minores. Prior in portu Foroiulienſi ad ipsam Galliam tuendam, Tacit. 4. Annal. ibi: *Galliæ proximum litus rostratæ naues, præsidebant, Actiaca victoria captas, Augustus in oppidum Foroiuliense miserat valido cum remige.* Altera minor in ipso Ponto, idest, in capite & fronte Mediterranei maris; de qua Tacitus 3. histor. *Mucianus classem è Ponto Bizantium adigi iussit.* Numerum eius tradit Iosephus lib. 11. de Bello Iudaic. *Ponticæ omnes gentes tribus millibus militum subduntur, & quadraginta naues longæ illud asperum, & innauigabile pelagus tutum, pacatumque præstant.* Erat & tertia Ostię, de qua Sueton. in Vespasian. *Classiarios, qui ab Ostia, & Puteolis Romam per vices pedibus commeant.* Et hanc à Claudio forsan institutam, nisi pars esset è classe Misenensi. A B

Considératio. Vidimus Romanos *non solum numerosis peditum, equitumque copijs* Imperium firmasse, sed & validis classibus maria constrata habuisse. Auctor est Themistocles ipsis Regibus, quorum Imperia latè protenduntur; vt maris sibi imperium parent: hoc vno loca maximè disiuncta iungi posse arbitratur; nec plures prouincias, sed vna censeri posse, quæ maritimi imperij nexu in vnum corpus coaluissent: sic fieri vt quasi iunctis manibus se tueantur, inuicem sibi factæ auxiliares, & solo nexu inuictæ. Longa enim è diuisis auxilia, longæque moræ non modo quiduis audendi animos præbent, sed & exequendi opportunitatem hosti offerunt. *V*na vero ratio iungendi dissitas terras mare est. Neque enim terræ vllæ sine imperio Oceani diu stare possunt, si hostem nactæ fuerint: sentient exarmata maria hostiles excursiones, depræ-dationes, dominatum; ac etiam terræ sentient robore suo destitutæ, nempè armato mari: sparget terrorem suum longè latèq; quisquis mari dominatur; liberumque illi erit, quamcumque hostilem conterminam mari partem impetere, & potentiam frangere; & sane metus solius mari imperantis continet manus intra cogitationes æmulorum Regum, quæ in ferrum essent eruptura absque timore armatarum nauium. Crescunt præterea in immensum pacato mari Vectigalia; vt decrescunt etiam turbato & armis infesto eodem mari: neque quidquam esse, quod plus opum, ac potentiæ adfert regnis, quam si libera lucri maria mercatoribus nauigare extra piratarum hostilemque metum in omnem lucri spem intentis. C

Batani potentes in mari. Quales autem animos ad bellum suggerat maris imperium: cognoscamus, si lubet, Batanos seu Hollandos, quorum plurimorum egestas modo solo bello medicata: tenuem iam prouinciã illi tenuerunt, sed inuictã, & frustra vtriusque Indiæ profusis opibus, totiusq; Hispanici Imperij viribus implicatis: vnum maris, fluminumque imperium tandem isti tenuerunt: & vltro etiã inferre bella Oriente, ac Occidente toto, & classibus infestare sunt ausi. Quis credat exiguum populum non magnam prouinciam possidentem sola maris infestatione, orbi propè imperasse? ac tanquam nouam Numantiam, omnem potẽtissimi & Catholici Regis annis amplius octuaginta conatum lusisse & thesauros emunxisse? ausuq; portentoso orbem totum non semel enauigasse, audaciæque ingentis suæ vestigia omnibus quà sol oritur quà occidit Orbis terrarum regnis impressisse, nulli supplicem, omnibus minantem? sed & nouas orbe nouo terras, mariaque nullis ante classibus trita retexisse. D

dum

A dum quod magnus Macedo vouerat, orbes inuenit nouos? tanti momenti fuit imperasse mari. Nulli Hollandos æstus, nulla terruere frigora, nulla fregere; etiam per ipsa concreta glacie maria (quæ posteritas credet?) nauigare lubuit & naturæ vim inferre, clausaque sæculis retrò omnibus claustra reserasse. Magnos animos, et si vera Christi religio adesset, si pietas, si causæ bonitas, imperio dignos iudicaremus.

Sed graues sumptus, & durum prouincijs, armare has naues, obijciet quispiam: sed respondemus, nulla bella sine sumptu stetisse, quem qui ferre non potest, seu non vult, arma ponat. Præterea si singulis hostilis præda concedatur, vltro current in arma: adeoque & priuatorum facultatibus armari classis poterit; si vniuersa concedatur præda: sistit præda sanguinem, vulneribus medetur, dolorem lenit. Audiamus in re nautica Ciceronem in Verrinis: *Sumptum omnem in classem, frumento, stipendio, cæterisque rebus suo Nauarcho quæque ciuitas semper dare solebat; is neque, vt accusaretur à nautis, committere audebat, & ciuibus suis rationem referre debebat: in illo omni* B *negotio, non modo labore sed etiam periculo suo versabatur. Erat hoc factitatum semper: non solum in Sicilia, sed in omnibus prouincijs; etiam in sociorum & Latinorum stipendio, ac sumptu, tum cum illorum auxilijs vti solebamus. Verres post Imperium constitutum, primus imperauit, vt ea pecunia omnis à ciuitatibus sibi adnumeraretur, vt is eam pecuniam tractaret.* Vides hic in nauticis stipendijs veterem Romanorum morem: probat hunc Cicero, damnat Verrem. Vt non vereamur nos inde imitari Romanos Orbis domitores.

Classes in fluminibus.

Classes Romanorum in fluminibus: prima in Rheno, de qua Hegesippus ex Iosepho scribit: *Rhenus itaque iam non Germanorum copijs repletur, sed Romanorum liburnijs, quæ perrantes tot vsque ad mare bicornis amnis fluenta, quondam liberas gentes seruitio premunt.* Partem huius classis certò extitisse ad exitum fluuij, vbi Pharus olim, quam Arcem Britannicam nunc appellant, quia in Britanniam ea commeabat. Altera classis in Danubio, de qua Tacitus in Annalib. lib. 12. *Vannius funditur prælio, & ad classem in Danubio operientem perfugit.* C

Numerus præsidij in Romano Imperio.

Summa totius præsidij in Romano Imperio colligitur per Lipsium de magnitudine Roman. In prouincijs copias non minus fuisse ducentis quinquaginta millibus circiter. In Vrbe in vniuersum viginti sex millia militum; & post Seuerum vel ad sexagena. In classibus omnibus non minus centum millibus militum, remigumque: quamuis Agathias historicus plures fuisse asseueret: nam de Iustiniani æuo loquens, negat copias Romanorum tantas, quantas olim esse; nec iam sufficere tutelæ Imperij contra hostes: cum enim inquit, ad *sexcenta quadraginta quinque millia militum*, eas colligere oporteret: vix tunc in centum quinquaginta millibus consistebant.

De Colonijs.

Quoniam, vt diximus, præsidia militū ex longinquis & limitaneis locis extabant; in medijs autem prouincijs pauca aut nulla præsidia; sed hæc interiora & quieta loca tuebātur Romani *Coloniarū* deductione, optimo Romuli instituto; qui victis finitimis oppidis aut gentibus, partem earum solitus in D Vrbem & ad se traducere, partem illic relinquere; sed sic vt suos Romanos miscere ad custodiam & regimen, ne quid mouerent: eos sic missos Colonos appellarunt; & ab agrorum nouæ culturæ deductione ipsas Colonias appellarunt. Vtilitas in hoc varia: prima alleuabatur Vrbs ipsa Roma, & superfluam, nimiamque multitudinem, vt sanguinem emittebat, qui sic vacui soboli magis vacabant: præterea nouorum hospitum aduentu loca poliebantur etiam artium inuectu: & Diuina prouidentia hoc fine Græcos olim in Asiam & Europam per maritima loca disposuit, vt rudes ferocesque humanitate ad mitiora studia, & mores transferrent, quod ijdem Romani mox fecere: tertia vtilitas, quia Romanus sanguis in tot remotis locis sparsus,

esset velut tot arces & propugnacula Romani Imperij: accedebat etiam, A
quia aucta re Romana plebem inopem, & grauem sic exhauriebant, & militibus emeritis præmia largiebantur, non aliter quam si aluearia plena, noua examina in alia & noua transfunduntur: hinc Senec. ad Heluet. Consul. *Populus Romanus quot Colonias in omnes prouincias misit? vbicunque vicit Romanus, habitat.* Cæsar lib. 8. de bello Gallic. *In Togatam Galliam mittit ad colonias Romanorum tuendas.* Cicero de Leg. Agrar. contra Rullum, inquit: *Qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, vt non oppida Italiæ, sed propugnacula Imperij esse viderentur.* Coloniæ autem in Italia duæ de triginta deductæ ab Augusto: Suet. in August. cap. 46, Coloniarum aliæ Latinæ, quæ ius Latij habebant, aliæ ciuium Romanorum dictæ sunt, aliæ ex vtrisque conflatæ: Bononia Latina colonia est: Mutina & Parma Romanorum ciuium: erat & aliud genus coloniarum, quales olim Pompeius Strabo trans Padum traduxerat: non enim nouis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus ius dedit Latij, vt possent habere ius petendi magistratus in ciuitate Roma, vt cæteræ Latinæ coloniæ. Coloniarum autem B
huiusmodi ratio erat, cum Romæ ex incolis multos paupertate premi intellectum erat; adeo vt censui soluendo non sufficerent; Triumuiri à Senatu creabantur, qui locis primum consideratis, in quibus Reipublicæ expediret propugnaculum constitui, noua edicta proponebant, danda esse nomina ab illis qui nouam coloniam deduci vellent: sicque Vrbs pauperibus exonerabatur, & rei familiaris pondere grauati, ad nouas, quibus indigerent, diuitias gratis datas cum familia accedebant: accipiebant enim duo, quatuor, sex aut septem agri iugera, & quandoque plura. Plaut. in Pseud. *Det nomen ad molariam coloniam.* De quibus latè A. Gellius cap. 13. lib. 16. Rosinus Antiq. Roman. 10. cap. 22. & seq.

Multitudo ciuium in Vrbe.

Multitudo & augumentum Romanorum assiduum fuit, & quamuis Romulus cum militiam & Rempublicam ordinauit, vix ad millia terna peditum, censa, & equitum trecentos; at idem ille cum è viuis abijt, peditum reliquit 46. millia, & equitum mille. Tantum viri, opesque creuerunt annis circiter C
triginta septem, quibus Romulus regnauit: hoc ille assecutus Asyli aperitione, ac receptione in ciuitatem, quam non exteris solum confluentibus, sed victis & hostibus dedit, quod Claudius Imperator laudauit apud Tacitum 11. Annalib. ibi: *Quid aliud exitio Lacedemonijs, & Athenienſibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, vt plerosque populos eodem die hostes & ciues haberet.* Atque id sanè diu Romæ retentum vt è prouincialibus honestissimos se simul augerent, & tacitum dissidium inter illos conciliaret: hinc Claudianus.

Hæc est, in gremium victos, quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fouit,
Matris non Dominæ ritu: ciuesque vocauit
Quos domuit, nexuque pio longinqua reuinxit.

Itaut victis gentibus prodesset vinci, quod S. Augustinus lib. 5. de C.D. c. 17. notans dixit: *Gratissimè, atque humanissimè factum est, vt omnes ad Romanum Imperium pertinentes societatem acciperent ciuitatis, & Romani ciues essent, ac si esset omnium, quod erat ante paucorum.* Hinc Iosephus lib. 2. contra Appionem, inquit: *Romanorum vero clementia cunctis non paruulum donum appellationis suæ concessit, non solum viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi: Hispani deniq; antiqui & Tyrrheni, & Sabini Romani vocantur.* Quod & Iurisconsulti tradunt in l. in Vrbe ff. de statu homin. sed pulcherrime Rutilius Poeta. D

Fecisti patriam diuersis gentibus vnam;
Profuit iniustis te dominante capi.

Dum

A *Dum offers victis proprij consortia iuris,*
Vrbem fecisti, quod prius orbis erat.
Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis
Fœdere communi viuere cuncta facis.

Talis namque post victoriam erat Romana Respublica; vt gentes, quas ipsa vincebat, non seruitute premeret, sed ad societatem bonarum legum & bonorum admitteret; ac deinceps illi soli nomine Barbari, seu serui essent notati, qui sub Romano Imperio non essent: hinc Sidonius lib. 1. *Romam verticem mundi, patriam liberatis, in qua vnica totius mundi ciuitate soli Barbari & serui peregrinantur.* Inde tale processit ciuium augumentum, vt sub Augusti Consulatu, vt ipse de se dixit in lapide Ancyrano: in consulatu sexto censita sunt ciuium Romanorum capita quadragies centum millia & sexaginta tria: at sub Claudio refert Tacitus & alij auctores sexagies nouies sexaginta quatuor millia.

Amicorum præsidium.

B Diximus quænam essent præsidia Romani Imperij; cum illud maximè floreret: certum sanè est, vt non inferiora Regnorum præsidia exercitibus & thesauris fuerint *Amici*: qui enim neque armis cogi, neque auro induci possunt, fide & officio parantur. Verissima enim apud Sallustium morientis Micipsæ ad filios verba: *Non exercitus, neque thesauri præsidia Regni sunt; verum Amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio & fide parantur. Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum: Nam concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Non priuatorum tantum, sed Regnorum præsidia dixit Amicos, non aurum non arma. Docemur hoc vernaculis omnium gentium historijs, quæ auro armisque perierunt. Porrò regna amore parta, amore steterunt: aurum verò & immodica auri sitis pleraque perdidit. Armis euersa subito longè maxima: amor autem firmauit, & in posteros transmisit: nec vllum vnquam munimentum amore certius. Vicinorum Regum, ac Principum amicitia pro vallo & ferro semper fuit: quæque aurum & arma perdiderant, restituit
C amor, omnibus validior armis: nam & ab armis arma cadunt; & inter militares armatas custodias nihil satis tutum est, sed metus ab ipsis est; cum quæ in tutelam delecta, in interitum non semel Regibus fuerint. Ab amore enim timor nullus: & certius media inter arma inerme pectus amore cinctum stabit; quam armata ferro dextera sæuire docta, timeri assueta inter inermes manus fuerit.

Consideratio.

Vt terminum denique ponamus huic capitulo: restat adhuc indagandum, quare Romanum Imperium ad tantam euaserit potentiam? & respondetur ob duas ex parte Dei præcipuè causas Romanum Imperium tam magnum euasisse: altera fuit, vt notat D. Augustinus lib. 4. de Ciuit. Dei c. 15. cum quasdam veluti virtutes morales attribuit Romanis; quare, vt ille inquit: *Quibus non erat Deus daturus vitam æternam, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi Imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur.* Altera ratio
D fuit, vt sedem suo Vicario pararet dignissimam, quam Romæ constituere volebat, & mundi caput temporaliter esset, quæ futura erat spiritualiter; & prædicatio Euangelij facilius orbem vni ditioni subiectum peragraret, triumphusque ipsius Christi de Gentilitate glorioſior esset.

De Publicis Romanorum Opibus. Cap. III.

A

Diximus de potentia, & præsidijs Vrbis Romæ: quommodo autem immensæ eiusdem opes tum publicæ, tum priuatæ accreuerint, dicemus: & primum de Vectigalibus loquitur Appianus lib. 1. Ciuilium: *Romani nunc hos, nunc illos Italiæ populos superando, ac subijciendo, partem agri ijs auferebant, atque oppida, & colonos condebant; aut si oppida opportunè iam condita, hos inducebant. Agri igitur, quod cultum erat, colonis ferè assignabant; quod incultum (vt multa per bellum) id alijs cupientibus elocabant, parte decima fructuum sibi retenta in agris satiuis; in plantarijs, aut arboretis, quinta; in pastionibus autem, certum pretium definiebant in capita minoris pecoris maiorisque.* Et quamquam de Italia Appianus loquatur, tamen & producere ad alias prouincias ex alijs Scriptorum locis liquet. Præterea erat portorium, quod B
scilicet in euehendo, & inuehendo pendebant, ideſt Vectigal in porta, vt in pontibus, vijs, &c. & apud Senecam: *Non indignabitur sapiens aliquid impendere, vt limen transeat, cogitans & in pontibus quibusdam pro transitu dare.*

Vectigalia.

Attigimus de Vectigali, quod res, & fundos ligat: subsequitur de altero, quod capita, & mobiles opes respiciebat. Tributa caput ferè tangebant; atque ita pessima conditio erat eorum, qui stipendiarij atque ipsi agri: tales Poeni, Hispani, &c., qui per vim vltimam, & bello pertinaces victi essent: Appianus hoc ita expressit, vbi Scipio legem dat Carthagini victæ, his verbis: *His premijs afficiunt socios, nempe populos, aut Reges: alijs tributum definierunt in agros, & in corpora eorũ:* duo manifestè dicit, corpora, & capita, quæ simul etiam iungit Tertull. *Agri tributo onusti viliores, & hominum capita stipendio censa, ignobiliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis.* Augustus, & alij Impp. produxerunt hæc tributa, vt non hominum solum, sed & animalium C
etiam capita ligarent; vt in libris Pandectarum. Quomodo autem continuò huiusmodi tributa accreuerint, breuiter indagandum; & primum libera existente Romana Rep. Plutarchus in vita Pompeij, dum refert de Triumpho illius è Syria, & Asia, sic inquit: *Prælatum titulum, qui litteris indicaret antea quidem vectigalia reddidisse ad bis millies H.S. ex ijs autem, quæ ipse acquisiuisset, redire ad ter millies quadringenties.* Hoc est, vt Budæus, & alij sentiunt, priorem summam quinque millionum accreuisse ad octo milliones cum semisse. Ac etiam de tali tributo ex Asia apud Appianum, M. Antonius Triumvir post pugnam Philippensem in Asiam missus ad pecunias colligendas, in concione sic eos affatur lib. 5. Ciuil. *Ne vrbibus agrisque pellamini, pecunia danda est in vsum militum: nec ea maxima, sed qua audita, libenter acquiescatis: dedistis hostibus nostris Cassio, & Bruto in duobus annis tributa decem annorum; ea sufficerint & nobis; nisi quod danda sunt in vno anno.* Et cum Plutarchus ducenta millia talenta ab Asia tunc data scripserit in decem annos, illa diuisa, viginti millia annua surgunt, ideſt duodecim milliones. D

Portorium Arabiæ felicis.

Insuper de Portorio Arabiæ Felicis, vnde gemmæ, lapides pretiosi, ebur, aromata, vnguenta, & alia plura exotica inferebantur, refert Plinius lib. 12. *Arabiæ Felicis mare est: margaritas enim mittit: minimaque computatione millies H.S. annis omnibus India, & Seres, Peninsulaque illa, Imperio nostro adimunt.* Si millies H.S. (nempe duo milliones, & semis) emptæ eæ merces, pluris mox æstimatæ, & venditæ: ergo & Portorium ex ijs grande; quod etiam expresè Strabo in rebus Aegypti lib. 17. sic inquit: *Olim quidem paucula naues ausas extra sinum Arabicum ire, at nunc maximas classes nauigare in ipsam vsque Indiam, & ad vltima Aethiopiæ: vnde pretij maximi merces aduehant,*

A *uehant, & rursus aliò exportent. Ita fieri vt duplex Portorium pendant, inuectionis, & euectionis: atque ipsum Portorium æstimatarum istarum mercium grande item esse.* Nec igitur mirum à duplici illo aspectu itineris, & portorij pretia mercium sic creuisse, maximè cum in Italiam, & alibi essent inuehendæ.

Vt igitur circa Capitationis, & Tributorum modũ aliquid minimum inquiramus: Appianus in Syria ait, *Iudæos sæpius rebellasse, eoq; tributum capitis grauius ijs impositum, quam reliquarum facultatum: esse autem & Syris, & Cilicibus annuam centesimam pro modo census vnicuique*; nempe, quod intelligatur centesima pro capitis tributo: hoc autem in grandioribus intelligebatur solummodo, vt notat Vlpianus: *In Syrijs à quatuordecim annis masculos, à duodecim fœminas vsque ad sexagesimum quintum tributo capitis obligari.* Quæ capitatio non aliud quam quasi redemptio munerum, & operarum seruilium fuit, quas populi victi, & serui facti Romanis debebant: & Iudæi sic leguntur didrachmã pependisse, vt etiam Christus soluit apud Mattheum cap. 17. *Capitatio.*

B in fine, vt Hieron. & Beda intellexerunt: quamuis Hilarius & alij id referant ad tributum, quod templo Iudæi debebant à Deo definitum in Exod. cap. 30. & Iosephus, Zonaras, & Xiphilinus scribunt Vespasianum demum hoc instituisse, vt omnes vbique Iudæi duas drachmas Ioui Capitolino Romæ penderent, quas antea templo Hierosolymitano solebant. Multum ex prædicta capitatione ad Romanum Imp. resultabat, vt de sola Aegypto scripserit Iosephus: *Habere eam septingentas, & quadraginta myriadas hominum* (nempe septem milliones cum dimidio) *Alexandria excepta*; idque liquere ex tributo, quod in capita singuli pendunt. Si igitur talis Aegyptiorum numerus, facilè intellectu in quantum creuerit capitarium hoc vectigal ex hominum copia, cultuque orbis; vt de suo æuo, ideſt Seueri Imp. Tertul. de anima cap. 30. inquit: *Certè ipse orbis in promptu est cultior de die, & instructior pristino: omnia iam peruia, omnia nota, omnia negotiosa: solitudines famosas retro fundi amœnissimi obliterauerunt, syluas arua domuer unt, feras pe-*

C *cora fugauerunt, arenæ seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur. Tantæ vrbes, quantæ non casæ quondam. Iam net insulæ horrent, nec scopuli terrent: vbique domus, vbique populus, vbique respublica, vbique vita: summum testimonium frequentiæ huiusmodi, onerosi sumus mundo: vix nobis elementa sufficiunt; & necessitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum iam nos natura non sustinet.* vt nihil vlterius de pleno frequentique orbe dici posset. Pro magnis prædictis vectigalibus satis erit nobis Suetonij locus in Vespasiano: *Qui initio statim principatus professus est quadringenties millies opus esse, vt Respublica stare possit*: sunt ipsi mille milliones nostro ritu; etsi ibi alij, *Quadragies millies* legunt, qui essent 60. nobis milliones.

Ex fodinis auri, argẽti, & metallorum magni redditus & in varijs locis sine onere subditorum: quoniam tenra benigna mater ea nobis donat. Cassiodor. *Fodinæ.*

Metallarij sine furto diuitias rapiunt, optatis thesauris sine inuidia perfruuntur; & soli sunt hominum, qui absque vlla nundinatione precia videantur acquirere; & addit inferius: *Aurum per bella quærere nefas est; per maria periculum; per*

D *falsitates opprobrium, in sua verò natura iustitia.* Quamquam multa hominum millia huc adigebant, quosdam mercede conductos, pleroſque ad metalla damnatos, quos in subterraneo carcere fames, labor, vapor, & ruina sæpe necabat; vt ipse Cassiodorus non negat: *Intrant homines caligines profundas, & viuunt sine superis, exulant à sole: & dum sub terris compendia quærunt, nonnumquam lucis gaudia derelinquunt.* Atque hi tali interdum numero apud Romanos, vt Polybius ad Carthaginẽ nouam in Hispania scribat, *Non minus 60. hominum millia assiduè in opere versari.* Plinius etiam notat lib. 33. cap. 4. *Aurifodinæ in agro Vercellensi, ne plus quinque millia hominum in opere publicani haberent.* Quod factum, ne in vna locatione publicani totum

tum aurum exhaurirent. Ex hac quoque metallorum parte magnum, vberemque factum quæstum, cum fœcundissimas plurimis in locis Romani habuissent fodinas; & maximè in Italia, vt refert Plinius: *Aliam nullam fœcundiorem metallorum quoque tellurem esse*, sed interdicto patrum cautum, vt ei velut parenti parceretur. A

De vrinario, stercorario & meretricio.

Auxit Imperator Vespasianus tributa, ac etiam aliquibus prouincijs duplicauit, vt quanta accessio rerum, attritio esset populorum, refert Suetonius, vt pudenda etiam excogitarit: nam vrinæ vectigal commentus, cuius origo, quod in publico dolia starent ad vrinam reddendam, quam fullones deinde vertebant in suum vsum; quod etiam alij Principes secuti, vt inquit Cõstantinus Manasses: *Chrysargyrum sustulit Anastasius Imperator, quod erat, vt omnes viri, fœminæ, pueri, serui, liberi nummum argenteum nomine stercoris, & vrinæ fisco darent. Idem equi, muli, boues.* Viri proceres, & Reipublicæ primi hoc munus colligendi ambibant, inquit Euagrius: *Non aliter quã militarem aliquam Præfecturam, aut ciuilem Magistratum.* Fuit etiam Meretricium vectigal, de quo Sueton. in Caligula: *Ex capturis prostitutarum vectigal instituit, quantum quæque vno concubitu mereretur.* Quod lenonum & meretricum vectigal Heliogabalus renouauit. Nec fœda ista sustulit optimus Imp. Alexander Seuerus, sed vt refert Lampridius: *In sacrum Aerarium vetuit inferri, & ad instaurationem Theatri, Amphitheatri, Circi deputari.* B

Ex triumphis.

E Triumphis immensas opes in ærario cumulatas si quis attingere voluerit; non admiratio solum in animo legentium gigneretur, sed stupor: etenim, quidquid notabile, aut optabile orbis, aut in eo vrbs aliqua haberet, per hãc viam, portamque triumphalem Romam ferè aduectum. Hoc vnum dicam, ex triumphis trecentis duodecim à Romulo vsque ad extrema Augusti: Tarentinus triumphus, qui incidit in annum Vrbis 479. de quo Florus lib. 1. capit. 18. inquit: *Nec enim vllus pulchrior, nec speciosior in Vrbem triũphus intrauit; cum ante hunc diem nil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisset: tum si pompã aspiceres, aurũ, purpura, signa, tabulæ. Tarentinæq; delitiæ.* Et non immeritò triumphum istum attollit, & veteres abijcit; quoniam in ea Vrbe, & parte Italiæ gustauit Romanus Græcanicas delitias, & diuitias, quas postea copiosè hausit. Postquã copiæ, & arma extra Italiã missa in grandes, & inclytas regiones. P. Scipio ex Hispania, vt refert Liuius lib. 28. *Argenti in ærarium præ se tulit 14. millia pondo, trecenta quadragintaduo, & signati argenti magnum numerum.* Et idem iterum, victa Carthagine (pariter in Liuio lib. 30.) *Intulit in ærarium argenti pondo centum millia triginta tria.* At alter Scipio victa, & diruta eadem Carthagine retulit, vt notat Plin. lib. 33. c. 11. quater millies ccccIxx. m. *pondo*, & addit: *Hoc argẽti tota Carthago habuit, illa terrarum Imperij æmula, quod nunc in mensarum est apparatu.* Quamuis vrbs illa capta pleraq; incensa, & diruta fuerint; ita opes perditæ, & ruinis oppressæ. Præterea L. Aemilius de Macedonibus ex Velleio: *Tantũ priores excessit, vel magnitudine Regis Persei, vel specie simulacrorum, vel multa pecunia, & bis millies H. S. Aerario contulerit, & omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit.* Nec mirũ, cum prisci illi Macedones quidquid elegantiarum esset, ex Græcia tota, & Asia tamdiu collegissent? Excessit omnes deinde Cn. Pompeius in illo, quem de Rege Mithridate, & Oriente duxit, Velleius: *Magnificentissimum de tot Regibus per biduum egit triumphum, longèque maiorem omni ante se illata pecunia præterquam à Paulo ex manubijs intulit.* Et refert Appianus Pompeium largitum, in solos milites donatiui triumphalis nomine xvi. millia talentum. C D

Hæc quamuis magna & verè illo Magno digna, sed hunc quoque C. Cæsar vti acie, vicit, & superauit. Appianus ait: *Quater eum triumphasse & intulisse sexaginta quinque millia talentorum*; quod nobis efficit triginta nouem millione: & Velleius de omnibus Cæsaris triumphis, ideſt quinto Hispaniensi inquit:

A quit: *Pecuniam ex manubijs latam paullò amplius decies ſexies millies H.S.* Nam iſta ſunt quadraginta milliones. Ex paucis his conſtat immenſas opes in ærario è triumphis cumulatas. Hæc ſatis hic de triumphis ſufficiat indicaſſe, de quibus infra plura referemus.



B

Quoniam de pecunia ex collatione ad Romanorum triumphos redacta, iam diximus: ſupereſt vt de Auro Coronario etiam dicamus, quod ſpecie triumphorum, vel oblatum, vel exactum fuit: cuius origo, vt ſocij, vel amici victori Imperatori coronas aureas offerrent, quaſi gratulantes, & meritum ei caput cingentes: mos planè vetus & à Græcis ad Romanos imitatione translatus; apud Athenæum lib. 12. Chares de rebus magni Alexandri ait: *Poſt victum Darium miſſas coronas partim à Legatis gentium, alijſq; æſtimatas decem millibus, ac quingentis talẽtis.* Iam apud Rom. crebrum, vt in Liuio lib. 38. cum Gn. Manlius Gallogręcos viciſſet, eoq; terrore Aſiam liberaſſet: *Miſſæ vndique legationes non gratulatum modo venerunt, ſed Coronas etiam aureas, pro ſuis quæque facultatibus, attulerunt*; itaque idem Manlius in triumpho tulit apud Liuium lib. 39. *Coronas aureas ducentas duodecim pondo:* ideſt ſingulæ librales. De eo Feſtus: *Triumphales coronæ ſunt, quæ Imperatori victori aureæ præferuntur, quæ antiquis temporibus propter paupertatem laureæ fuerunt:* & iam ante etiam in Q. Flaminij triumpho Liuius lib. 34. *Coronæ aureæ dona ciuitatum translatæ centum quatuordecim:* & idem Plinius lib. 33. c. 3. ſcripſit: *Claudius cum de Britannia triumpharet: inter coronas aureas, vnam ſeptem pondo habuit, quam contuliſſet Hiſpania citerior, alteram nouem, quam Gallia Comata, ſicut titulus indicauit.* Et ſi non ad vſum tales ſed ad pompam modo fuiſſe ſciamus. De his etiam Tertullianus lib. de Corona milit. ait: *Sunt & prouinciales aureæ, imaginum iam, nonvirorum, capita maiora quærentes:* nempè quæ à prouincijs datæ. Nec coronæ ſolum ipſæ, ſed aurum ac pecunia ad coronas; atq; id propriè Aurum coronarium, vt in Codice Iuſtiniani, & Seruius ad hoc Virgilij: *Dona recognoſcit populorum,* notat: *Aurum coronarium dicit quod hodie à victis gentibus datur: imponebant autem hoc Imperatores propter conceſſam vitam.* Nec ab ipſis victis dumtaxat ob vitam datam, ſed

C

D à ſocijs amiciſque, vt dixi; datum tamen in pecunia titulo Coronario, vt apud Liuium: *Manlio ingredienti fines vt cohiberet à populatione militem, in coronam auream 15. talenta offerunt.* Et hoc prætextu rapinas extorſioneſque vſurpatas, Cicero Piſoni obijcit: *Mitto aurum coronarium, quod lex & decerni & accipi vetat, niſi Imperatoribus ex prouincia decedentibus, ad decorãdum triumphum.* Sed iſtas leges ſpernebãt: & Dio lib. 49. quoſdam notat his verbis: *Cum res leuiculas geſſiſſent, triumphum ſibi vel à Cæſare vel ab Antonio impetraſſe; & iſto prætextu multum auri à populis, quaſi ad coronas colligebant.* Populis Italię remitti erat ſolitum tributũ coronariũ, quod Auguſtus de ſe in lapide Ancyrano dicit: *Municipijs & colonijs Italiæ conferentibus ad triumphos meos quintum*

De auro coronario, & coronis.

tum consul, remisi; & postea quotiescunque Imperator auri coronarium non accepi: cui consonat Dio de illo quinto consulatu; *quod ab oppidis Italiæ aurum ad coronas conferri solitum non accepisset*. Cuius exemplo Hadrianus in in Spartiano: *Aurum coronarium Italiæ remisit, in prouincijs minuit*. Eo enim paulatim ventum erat, vt hoc Coronarium non triumphis modo, sed in lætitia quacunque, & in primordijs Imperij daretur. In Ammiano habetur, *Tripolitanos misisse legatos, Victoriarum aurea simulacra Valentiniano, ob Imperij primitias oblaturos*; aperte etiam Capitolinus in Antonino Pio: *Aurum coronarium quod adoptionis suæ causa oblatum fuerat, Italicis totum, medium prouincialibus reddidit*. Præterea ciuitates coronas has misisse in occasione etiam tristi: Appianus in Sullæ funere: *Supra bis mille coronas aureas, magna celeritate confectas, prælatas scribit, dona ciuitatum, aut legionum, quibus præfuerāt*. A

Has coronas & aurum Coronatiū post prælationē in templis & Capitolio maximè videntur dicatæ: Liuius de legatis Saguntinorum lib.28. *Non grates tantum agere iussi sumus, sed donum hoc etiam, si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium, victoriæ igitur, ferre*: & ex Suetonio de Augusto: *Sedecim millia pondo auri, vna donatione, in cellam Iouis Capitolini contulisse*: atque ad hoc tale aurum referendum videtur, quod Suetonius in Cæsare notat: *Eum primo consulatu tria millia pondo auri furatum è Capitolio, & tantumdem inaurati æris reposuisse*. Solitum etiam & alia templa auro coronario exornare, vt Augustus de se in lapide Ancyrano: *In Capitolio, & in æde Diui Iulij, & in æde Apollinis, & in æde Vestæ, & in templo Martis Vltoris consecraui, quæ mihi constiterunt circiter millenis auri coronarij pondo trigintaquinque millibus*. At prior Cæsar coronas suas in triumpho prælatas vēdidit, & ex earū pretio militibus promissa persoluit, refert Appianus. Propterea nos Iconem huiusmodi auri coronarij ex marmore antiquo expressam, supra proposuimus ex Musæo Clarissimi & Eruditissimi Equitis D. Cassiani A Puteo delineatam. B

Aerarium militare.

Aerarium Militare præterea fuit ab Augusto institutum, illique redditus nouos, ac certos attribuit. Sueton. cap.99. ait: *Quicquid vbique militum esset ad certam stipendiorum, præmiorumque formulam adstrinxit*. & infra: *vtque perpetuò, ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret; ærarium militare cum vectigalibus nouis instituit*. Ad prædictum ærarium militare implendum tres fontes reperit Augustus. Primo Vigesimam ex hæreditatibus, & legatis, de qua Dio lib.54. in actis anni 759. inquit: *Postquam multæ pecuniariæ rationes propositæ, & spretæ fuissent ad ærarium militare: placuit tandem, vt vigesima esset hæreditatum, & legatorum, quæ cuique obuenissent testamento, exceptis tamen, aut sanguine valde iunctis, aut admodum pauperibus, quos hoc onere liberarunt*. Alter fons erat *Vigesimaquinta* mancipiorum, de qua Tacitus lib.13. Annal. *Vectigal quintæ & vigesimæ venalium mancipiorum remissum* à Nerone: *magis specie* quam vi; quia cum venditor pendere cogeretur, in pretium emptoribus accrescebat. Sed & tertius fons erat *Centesima* rerum venalium, de qua Tacitus de Tiberij rebus ait: *Centesimam rerum venalium deprecante populo, edixit ærarium militare eo subsidio niti*: & hæc tetigisse satis. C D

De ærario consideratio.

Maximam ærarij curam habuerunt Romani, in quo recondebantur thesauri superius congesti: quoniam Imperij hoc munimentum erat; quo validius ac certius sæpè quam armis expugnabantur hostes. Hinc fatetur Cicero, *Reipublicæ ac belli neruum pecuniam esse*: cuius defectu, non militum queritur Annibal coactum se deserere Italiam. De Ciuili verò bello Mutiani magni Ducis ad Vespasianum verba sunt: *Omnis ciuilis belli neruū pecuniam esse*: censet vetus Historicus, *Publicas, priuatasque opes, & immensam pecuniam inter ciuiles discordias ferro validiorem*. Plures nimirum illa quam ferro trahuntur; cum potentior illa in suadelam sit omni ferro, potentiorque in sequelam;

A sequelam: magnam enim vim habet pecunia animos conciliandi: à qua re vna bellorum felices iuxta, ac infelices exitus ferè pendent: quoniam animos exercitus, seu hostium qui sibi conciliauerit, victoriam est consecutus: contra vero ærario exhausto, nil sperandum à milite; si enim prædam ille tentauerit, crucem inueniet; cum desinet prædari, peribit fame: ita vt militem, siue prædas egerit, siue ab ijs abstinuerit, certa mors maneat, hic fame, ibi fune. Atque adeo militares seditiones Reipublicæ funestæ subtractis stipendijs & negata præda. Propterea magni illi Censores priscis temporibus Romæ maximè intenti erant, ne ærarij pecunia à milite exularet, & inarmatas manus locupletaretur; ignaras, quæ ferrum nullum nossent; homines qui nunquam in acie stetissent; nunquam tubarum sonum nisi in spectaculis audijssent; nunquam armatum hostem nisi pictum vidissent; quorum profusionibus ærarium non esset sufficiens, sed ad idem expilandum ingenioſi solum essent illi.

Adeo sacrosanctum erat apud eosdem Romanos militare ærarium; vt nulla
B ex hoc munera nisi perrarò amouerentur. Commune ergo Vrbis ærarium, quod Portorijs, Vectigalibus, consuetisque Imperij prouentibus constabat, vt diximus, in bella bellicosq; apparatus, domesticamq; familiam, roborandoque Imperio necessaria seruabantur: vt subitis, & inopinatis necessitatibus occurrentibus, haberent ipsi, quo se, Imperiumq; tuerentur: ne decurrere ad mutuatitiam sub graui fœnore pecuniam cogerentur. Premebatur olim Imp. Nerua ærarij angustijs, ac recognoscens fœneratitia pecunia non tam occurri posse malis, quam augeri; nouis vectigalibus exasperare populum nolens, remedium è domo sua sumpsit, narrante Cassio de illo: *Pecuniæ inops factus, vestes primum, & vasa aurea, pretiosam præterea supellectilem; siue illa propria, siue publica & regia forent, auctioni subiecit.* Vt militum necessitati ex his occurreret.

Non alia res intestinos furores & ciuilia bella in Romana Republica, & *Consideratio.*
eiusdem Imperio ita peperit, quam immensæ opes & nimia felicitas: siquidem mortales in delicijs elanguentes rectè an perperam quid agant non con-
C siderant: vnde nimia ex hostibus securitas & tranquillitas, ac opum affluentia excitauit animos ad seditiones, & odium; vt iam earumdem exordium in Republica Romana ex deleta Carthagine maximè processerit: Ita etiã ab ipsismet hostibus obiectum: discordia intestina dissolui Rem Romanam posse; æternas opes esse Romanas, nisi in semet ipsi seditionibus sæuiant. Caueant homines ne ob diuitias & nimiam felicitatem (vt iam prisci Romani) in præceps ruant; debiles enim & pusillanimes reddunt homines diuitiæ. O Diuinæ Sapientiæ arcanum: cor hominis tantæ paruulæ est quantitatis, quod vix sufficit accipitri, miluo, & aquilæ pro vnico bolo; & nihilominus tantæ est capacitatis, quod ei satis non sit latitudo totius mundi: vt nobis testes sunt prisci Romani, qui nec opibus ex vniuersi orbis latitudine satiebantur: quoniam à solo Deo & non ab alio potest cor hominis impleri, vt per Prophetam Psalm. 42. præcepit idem Deus, ibi: *Dilata os tuum & implebo illud.* Parua quippè sunt omnia creata & nihilum, vt cordis humani impleant
D desiderium; quo plus bibit, plus sitit: Nam cuncta mundalia irritant potius cordis ingluuiem ad rixas & seditiones, quam satiant: quia vana sunt & non vera, vt verè ille dixerit; respiciens ad summam Dei bonitatem: *Inquietum est cor meum, donec requiescat in te.*

De Priuatorum aliquot Romanorum Opibus. Cap. IV.

PRiuatæ opes & ipſæ magnæ fuerũt & per multos ſparſæ: quoniã Senatores, aut Senatorij plurimi fuerũt; & longè plures Equites Romanos fuiſſe patet. Senatoribus illis ſub Auguſto cenſus fuit *decies HS.* ſiue *vigintiquinque millia* ſcuta: Equitibus vero cenſus quadringentorum, quæ faciunt ſcuta decem millia. Ex dicto cenſu, qui omnibus ſaltem erat debitus, infertur etiam pleroſque illud exceſſiſſe. Lubet aliquot ex prædictis diuitibus recenſere, inter quos erat ille *Craſſus* cognomento Diues: de quo Cicero in Paradox. inquit: *Multi audierunt ex te, cum diceres, neminem diuitem eſſe, niſi qui exercitum ſuis fructibus alere poſſet. Ergo hoc propoſito, nunquam eris diues, antequam tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, vt ex eo tueri ſex legiones & magna equitum, ac peditum auxilia poſſis.* Hæc vox Craſſi fuit: vt nemo diues niſi cui tales opes: idem ferè de Craſſo, ſed paulò contractius apud Plinium lib. 33. cap. 10. ibi: *M. Craſſus negabat locupletem eſſe, niſi qui redditu annuo tueri legionem poſſet. In agris ſuis. H.S. bis millies poſſedit, Quiritium poſt Sullam ditiſſimus.* Vnde ſi hæc in agris, quid in ſeruis, in pecunia, in vaſis, ac ſupellectile, ac etiam in domibus quantum habuiſſe eſt credendum? Scribit Plutarchus in Craſſo, ſolos *Architectos & fabros eum in ſeruis habuiſſe ad quingentos*, quorum operam locabat in Vrbe ruinis, vel incendijs obnoxia: vt ſeruos quoque ad reliquos vſus domi vel in agris. Præterea L. Domitius ille ſucceſſor in Galliam Cæſari deſtinatus, agris ſanè ita abundabat, qui ex Cæſare lib. Ciuil. Corfini obſeſſus ad animandos milites, *In concione agros ex ſuis poſſeſſionibus pollicetur, quaterna in ſingulos iugera, & prorata Centurionibus, Euocatiſque.* At enim triginta cohortes ibi militum, ideſt duodecim circiter millia: ea ſint igitur quadraginta octo millia iugerum: ex quibus duplum Centurionibus & Euocatis debebatur. Vlterius legitur in Plin. l. 18. *Sex dominos ſemiſſem Africæ poſſediſſe ſub Nerone, quos ille interfecerit.* Ac etiam Seneca de Tranquill. c. 11. de Poppæo quodam ſub Caligula inquit: *Panem & aquam defuiſſe, cum tot flumina poſſideret in ſuo orientia, in ſuo cadentia.* Vt quoque ex Strabone lib. 10. Antonius ille collega Ciceroni in Conſulatu: *Totam Cephaloniam inſulam, velut proprium patrimonium habuit, atque ibi oppidum etiam nouum ſtruxit.* Quibus non diſſimile, dum Seneca epiſt. 89. auaros ſui temporis ſic inſequitur: *Quouſque fines poſſeſſionum propagabitis? Ager vni domino, qui populum cepit, anguſtus eſt, quouſque arationes veſtras porrigetis, ne prouinciarum quidem ſatione contenti circumſcribere prædiorum modum? Illuſtrium fluminũ per priuatum decurſus, & amnes magni, magnarumque gentium termini vſque ad oſtium à fonte veſtri ſunt. Hoc quoque parum eſt; niſi latifundijs veſtris maria cinxiſtis, trans Hadrianum, & Ionium, & Aegeum veſter villicus regnet. Niſi inſulæ Ducum domicilia magnorum, inter viliſſima rerum numerentur.* Non ſolum plures talia poſſederunt, verum & quidam etiam eadem dono receperunt à Principibus magnis: Seneca de Benef. inquit: *Beneficium eſt, donare regiones, per quas magna flumina, & nauigabilia decurrant.* Inter huiuſmodi diuites numerandus etiam L. Cornelius Balbus, de quo Dio lib. 48. *Homines ſuæ ætatis diuitijs & magnitudine animi ſupergreſſus eſt; adeo vt moriens populo Romano viritim legauerit denarios vigintiquinque, ſiue Aureum Romanum vnum.* Vnde hæredes, aut legatarios immenſos habuiſſe theſauros ab illo credendum eſt. Sed quid de Seneca philoſopho dicemus? doctrinæ & ſapientiæ diues, vt etiam externorum bonorum, de quo Tacitus 14. Annal. inquit: *Septuagies quinquies centena millia* poſſedit. Hic ſtupor quod Seneca minus ea reſpexerit inter fluxa, & caduca.

A duca, quæ si abirent, nihil auferrent, nisi seipsas, vt illemet inquit: *Pone me in opulentissima domo, vbi aurum argentumque in promiscuo vsu sit: non suspiciam me ob ista, quæ etiamsi apud me, tamen extra me sunt. In Sublicium rursus pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero confideam, qui manum ad stipem porrigunt.* Hæc vera philosophia est, posse habere, posse carere; non cupere absentes, capere & præsentes: nisi forsan & ipse Seneca quoque ex illis fuerit, qui facta sibi vindicant magis, quam verba.

Non è Senatu vel aula solum sic diuites erant, sed è media etiam plebe; vt sub Augusto refert Plinius lib. 33. c. 10. *C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento suo edixit, quamuis multa ciuili bello perdidisset; tamen relinquere seruorum quator millia centum sedecim, iuga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in nummo HS. sexceuties. Funerari se iussit HS. vndecim millibus*: & hæc præter agros, villas, & ædes. Scripsit etiam Petronius de Eumolpo: *Familiam quidem tam magnam per agros Numidiæ*
B *sparsam habere; vt vel Carthaginem posset capere.* Sicut & Vopiscus de Proculo tradit: *Eo tempore quo sumpsit Imperium, duo millia seruorum suorum armasse.* De Belisario sub Iustiniano: *Duodecim millia puerorum* habuisse propria, testantur Aimoinus, Reghino, & alij. Ac etiam Athenæus lib. 6. affirmat, *Quosdam Romanorum ad decem, aut viginti millia seruorum habuisse; nec vt quæstum ex ijs facerent, sed vt assectas, aut subsequas eos modo haberent.* Vt quoque scribit Vopiscus de Villa Valeriani priuata: *In qua quingenti serui, duo millia vaccarum, equæ mille, ouium decem millia, caprarum quindecim millia fuere.* Prodidit quoque Cæsar lib. 1. Ciuilium de T. Labieno legato suo in Gallijs: *Oppidum Cingulum constituisse in Piceno, & sua pecunia exædificasse.* Ita in priuato homine animus & opes Principis resplendent: & hæc pauca, ex plurimis exemplis, quæ potuissent adduci.

Nec defuerunt magnæ istæ opes inferiore æuo, rebus & Imperio labentibus sub Honorio & Arcadio; vt refert Olympiodorus his verbis: *Multæ*
C *Romanorum domus in annuo redditu accipiebant è possessionibus suis ad quadraginta centenarios auri: idque absque frumento, vino, & alijs speciebus, quæ si venderentur, facilè trientem aquarent illati auri. Secundariæ autem domus quindecim centenarios, aut decem recipiebant.* Hæc ille defecta iam veteri Roma, & imminuta per nouam iam à Magno Constantino.

Addam & vnum de Gordiano adhuc priuato, de quo Capitolinus inquit: *Ditissimus ac potentissimus, in prouincijs tantum terrarum habens, quantum nemo priuatus. Quæsturam magnificentissimè gessit. Aedilitatis suæ tempore duodecim Populo Romano munera; ideſt per singulos menses singula de suo exhibuit: ita vt gladiatorum nonnumquam quingena paria exhiberet, numquam minus centenis quinquageuis. Feras Libycas vna die centum exhibuit, vrsos vna die mille.* Et plura deinde animaliũ nominatim: *quæ omnia populo rapienda concessit.* Amplius de eo auctore Cordo: *In omnibus ciuitatibus Campaniæ, Etruriæ, Vmbriæ, Flaminiæ, Piceni de proprio illum per quatriduum ludos scænicos & Iuuenalia edidisse.* Qui hæc singula pensitauerit; plurima millia ponderabit & æstimabit.
D Et hæc de opibus Romanis publicis & priuatis ostendisse sufficiat.

Priscos Romanos dignissimos fuisse Imperio constat, qui publicas opes priuatis anteferrent, quique publicè Imperio splendidi; priuatim continentes esse maluerunt. Verè magnos, vt priuatarum opum continentia quam rerum gestarum gloria maiores haberentur; de quibus illud Valerij Maximi: *Pauper quisque in diuite, quam diues in paupere Imperio versari malebat.* *Mystica considerario.*

Opes publicæ, vt dixi, necnon & priuata egestas fuerunt Romæ, cum floreret Respublica: perijt inde hæc eadem Respublica, seu Imperium priuatis opibus publica egestate. Ciuium discrimina sunt à virtute non ab opibus sumenda, si firmanda Respublica est. Vigilando & agendo prosperè

omnia succedere, ignauia perire consueuerunt. Romana Respublica non A
solis armis ex modico principio magna peregit; verum alia illius magnitudinem produxere, nempè domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius, & similia. Laudant cæteræ gentes diuitias, sequuntur intertiam: inter bonos & malos nullum discrimen est: omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum vt insanus amor magnitudinis, & infinita diuitiarum cupido omnia inde audeat? Aguntur, quicunque noua Imperia cogitant, immodico cupiditatis impulsu; quod ille dixit Orator: *Vt vna ciuitas emineret, in humani generis perniciem nata, orbem subiugauit innoxium*. Homines vim naturæ inferunt; ita præcipites ad explendum auri & honorum cupidinem rapiuntur: & interim in medio cogitationum suarum rapiuntur; & sistit fortuna cursum, & spem frustratur. Inde ad ignota vocantur tribunalia, nullo purpuræ & lacernæ discrimine. Nudi nascimur, eijcimur nudi, sistimur nudi: nec sceptra hic, nec diademata, nec fortunæ mendacia, quibus morte exuimur; B
nulla prærogatiua dignitatum, generis, eruditionis, opum. Hæc qui cogitat, Regnorum ponet cogitationes, nec aliena circumspiciet, & contentus erit suis. Securus viuit quisquis paruo contentus viuit; quique dignitates & regna æternitate metitur: qui magnorum Imperia & exitus probat; quorum persæpè finis nec vltra duodecimum mensem ferri & veneni victimæ (vt referunt historiæ) quos fortuna in eo sublimi statu statuisse videtur, vt ostenderet quid summa vitia in summo Imperio possent.

De septem Orbis miraculis. Cap. V.

PLura de priscorum Romanorum magnitudine circa potentiam, & diuitias perstrinximus: modo de eorundam magnificentia in superbis ædificijs & construendis molibus prosequamur. Quamuis viri eruditione nobiles conati sint huiusmodi veterum ædificiorum odorari vestigia, editisque de antiquitate voluminibus è suo puluere, quo obruuntur, illa excitare: nobis vero minora eruditionum præsidia sortitis, timendum est, ne sepultarum rerum commentatione operis nostri interitum auguremur; videlicet ne miseri dum peritura tractemus, cum illis cito dilabamur. C

Romanæ Vrbis gloria si cum miraculis, atque celebrioribus vniuersi terrarum orbis ædificijs conferatur, maxima videbitur; atque id ob oculos ponendum, vt nulla sano lectori superesse possit dubitandi ratio. Sileant igitur septem illa toto terrarum orbe decantata ædificiorum miracula: quidquid certè cantat antiquitas cum Romanis molibus collatum, tugurium erat, non palatium; breue sacellum, non templum; syluestres belluarum caueæ, non amphitheatra; animantium cuniculi, non porticus: vno verbo tenebricosum erat quidquid Romana lux non illustrabat, quidquid in Vrbe non extollebatur. Septem tantummodo appellata fuisse fabricarum miracula referunt D
prisci sæculi scriptores. Ephesinę nimirum Dianæ Templum: Regis Mausolei monumentum, à quo & Mausolea dicta sunt: Iouis Olympici simulacrum, quod Phydias primus artificum ebore, auroque formauit: Cyri Medorum Regis domum à Memnone arte prodiga illigatis auro lapidibus fabricatam: Babyloniæ muros, quos Semiramis Regina latere cocto, sulphure, ferroque construxit: Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocabatur: Pyramides in Aegypto. Addunt aliqui Turrim in Pharo Alexandriæ insula, à Ptolemæo Rege excitatam.

Et quidem ædificia omnia à tribus laudari consueuerunt; ab altitudine primum,

A mum, deinde ab amplitudine, postremo ab ornamentis, ac decore, qui varius est materia, eiusque pretio, artificio, symmetria, & si quid aliud elegantia, aut peritia amat. In quibus omnibus Romana ædificia supera se luce clarius ostendendum est, vt ex his capitibus ob illius splendorem collaudauit Claudianus.

Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit.

Inquiramus singula, & à Cariæ Mausoleo nobis exordium; quod non tam celebre fuit, & inter septem miracula repositū ob amplitudinem & maiestatem, quam propter industriam quatuor artificum, vt auctor est Plin. lib. 36. cap. 5. Arthemisia Mausolo Cariæ Regulo, qui obijt Olympiade centesima anno secundo, extrui curauit. Patebat totus circuitus pedes quadringentos & vndecim, attollebatur in altitudinem pedum sexaginta duorum, cingebatur columnis triginta sex. Ab Oriente celauerat Scopas, à Septentrione B Briaxes, à Meridie Timotheus, ab Occasu Leochares. Adstructos, vicinosque parietes Mausolei in altitudinem fabricæ vtrimque assurgentes, Pyramis altitudinem inferiorem æquauit, vigintiquatuor gradibus, in metæ cacumen se contrahens. In summo erat quadriga marmorea, quam fecit Pythis, quæ velut in aere pendere, & suspensis alis, & equis volare videbatur; vnde Martial lib. 1. epigr. 1. *Aere non vacuo pendentia Mausolea*. Hæc adhuc centum quadraginta pedum altitudine totum opus concludebat. Proconnesio marmore extructum erat opus, lateritijs tamen parietibus. De hoc Mausoleo mentionem facit Strabo lib. 14. Herodotus lib. 7. Val. Max. lib. 4. cap. 6. vocat: *Monumentum vsque ad miracula prouectum*: Gellius lib. 10. cap. 18. *Sepulcrum memoratissimum, dignumque inter septem terrarum omnium miracula numerari*. Cicero Tuscul. 3. *Nobile sepulcrum*. Fuerunt autem Cares in Asia Minori contra Rhodum, caput Regni Halycarnasseus, vbi Mausoleum spectabatur. Sed quid prædictum Mausoleum cum Sepulcro Augusti, C cum Mole Adriani Imp. & alijs sepulcris, & molibus in Vrbe? vt infra videbimus.

Mausoleum Cariæ.

Ad simulacrum Iouis Olympici transeamus, quod tantæ pulchritudinis fuit, vt eo perfecto interrogatus Phidias illius auctor, vnde id lineamentis eboris amplexus fuisset, respondit ex Iliad. 1.

Iouis Olympici simulacrum.

Hæc sub dicta supercilijs Pater annuit atris,
Ambrosioque immortali de vertice crines
Fudit, & ingentem nutu tremefecit Olympum.

Tam artificiosè factum opus fuit; vt nemo æmularetur, inquit Plinius cap. 8. lib. 34. Floruit Phidias Olympiade octuagesimatertia circiter trecentesimo Vrbis anno, Sed hoc vnicum collatum cum alijs innumeris & pretiosis in Vrbe signis, ac simulacris nullam habet proportionem.

Babylonis muri.

Babylonis muros, & Hortos pensiles inter septem orbis miracula numerata; cum illi trecenta & octoginta stadia complectantur: miliaria nimirum circiter quadraginta octo; tanta assiduitate elaborati, vt vnum quotidie sta- D dium absolueretur: omnia penè intra vnius anni circulum, vt auctores sunt Strab. lib. 16. Iustin. lib. 1. Herodot. lib. 2. Dionys. de situ Orbis, &c. Altitudo mœnium erat pedum ducentum, latitudo quinquagenum, vt quadrigæ sibi occurrentes non offenderentur. Quibus autem conferetur sola Capitolij constructio; quæ licet minor circuitu illorum mœnium fuerit; altitudine tamen, & impensis longè superat. Illorum fabrica lateritia, huius marmorea, & ijs lapidibus pretiosissimis constans, vt infra videbimus,

Horti pensiles.

Hortos pensiles describit Diodor. lib. 2. cap. 4. Strab. lib. 3. Lactantius de Falsa Sapient. & alij. Horti, quos quadratos facit Strabo, patebant in singula latera iugera quatuor: accessus montuosus erat, summam murorum altidinem

dinem æquabat: multaque arborum vmbra & proceritate amœni: saxeæ pilæ totum opus sustinebant, super pilas lapide quadrato solum stratum patiens terræ, quam altam injciunt, & humoris quo rigant; adeoque validas arborum sustinens moles, vt stipites earum octo cubitorum spatium crassitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant. Habebant substructiones, quibus ædificatæ erant testudines sustinentes totum viridarij pondus. Fornici supremæ, cuius altitudo erat cubitorum quinquaginta, imposita erat suprema Hortorum superficies. Muri sumptuosè firmati, & stabiliti crassitudinem habebant pedum duorum & viginti: culmina tegebantur lapideis trabibus longitudine pedum sexdecim, latitudine sex. Tabulatum trabibus impositum, primo substructum habebat calamum multo bitumine illitum; deincepsque laterem coctum gypso colligatum; tertio superiniectum erat tectum plumbeum, ne aggeris humor penetraret. Fornices multæ, & variæ, quarum vna supremam superficiem multis locis incisam habebat, & machinas ad hauriendas aquas, quibus aquæ magna vis ex flumine Euphrate, qui totam vrbem interfluit, cui erant Horti impositi, sursum attollebatur, quæ à nemine externo prospici poterat. Itaque procul visentibus syluæ montibus suis imminere videbantur. De ijsdem agit etiam Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 13. Plutarchus lib. 2. de Fortuna Alexandri. Admiranda quamuis hæc sint, valde dubitarem illa conferre cum Hortis & magna Neronis domo, vel cum alijs singulis Romanorum molibus, vt videbimus. A B

Colossus Rhodi. Celebrant etiam Plinius lib. 34. cap. 7. & alij mirum in modum antiqua signa ære fusa, inter quæ Solis Colossum Rhodi, quem fecerat Cares Lydius septuaginta cubitorum altitudinis, cuius pollicem pauci amplecti poterant, & cuius maiores erant digiti, quam pleræque staturæ; duodecim annis effectum trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu Regis Demetrij. Colossus ita ab inuentore dictus, vt aliqui sentiunt: primum solis Dijs illos ædificabant antiqui; postea barbari Reges & Romani etiam Imperatores sibi illas statuas vindicarunt; vt fecit Caligula, Nero, Commodus, & alij, vt ex Plinio citato, Lamprid in Commodo, & alijs. Pondus vero totius Colossi Rhodij tantum erat, vt eo perfracto circa annum Domini 650. victa Rhodo, Saraceni oneraverint nongentos camelos, vt auctor est Blondus; atque ex Plinio, & Diodoro Cameli pondus est decem medimni frumenti, ex quo medimnus pendit libras 120. & onus cameli fit librarum ducentarum & mille; itaque pondus totius Colossi fuisse librarum decies centena octoginta millia. Cum hac ænea mole si conferamus plurima etiam in Vrbe ænea signa, & simulacra, nec non trabes, ianuas, ac tegulas templi Pantheon, Capitolij, & aliorum ædificiorum, erit illa satis inferior ab illis in pondere, & qualitate. C

Domus Cyri. Domus Cyri Persarum Regis, quæ pariter inter septem miracula numeratur, quæ Parasargæ Regia ob monumentum victoriæ, quod ibi Astyagem superasset; & hæc omni opulentia referta supra cæteras domos voluit Curtius: Iustinus lib. 11. eam vocat orbis terrarum spolijs refertam, de qua ait Diodorus lib. 17. triplici muro cinctam, quorum prior altitudine cubitorum sexdecim; secundus duplo altior; tertius cubitorum sexaginta duro lapide, & ad perpetuitatem ædificatus. Septa erat multis ianuis & stipatoribus: & Aristot. lib. de Mundo (quem Apuleius Latinum facit) diffusè eam describit. Philostratus lib. 2. Auream domum illam Regiam vocat. D. Chrysost. Aulam Asianorum Regum nominat. In ea Sella aurea erat, in qua Asianorum Rex sedebat, vt refert Philostratus: & Asia deuicta Alexandrum aureo solio impositum, inquit Curtius. Vnde Plutarch. in Alexand. voluptate caruisse Græcos illos inquit, qui Alexandrum sedi aureæ insidentem non vidissent: qua sella interdictum pœna capitis priuatos sedere ex Diod. & Curtio. Aureo etiam lecto cubabant Reges Persarum ex Ioseph. lib. 20. Antiq. cap. 3. & D

aureo

A aureo tabernaculo nauem Sidoniam, qua Xerxes vehebatur, instructam fuisse tradit Herodot. lib. 7. Auream præterea Platanum, auream arbustiuam vitem ex Xenoph. lib. 7. Athen. lib. 7. & Plinio lib 33. cap. 10. quæ vitis gemmis ornata, & lecto superstans, vuæ illius ex pretiosissimis lapillis coagmentatis, ex Athenæo. Denique Palatio appliciti Horti diligenter consiti, in quos animi gratia secedebant Reges, & in quibus feræ alebantur conclusæ, quas voluptatis & exercendi corporis gratia Reges agitabant, vt latius ex Xenoph. Plutarch. & Polluce, sed hæc omnia ad Palatia Imperatorum in Vrbe longe inferiora.

Turris Pharos.

Ptolemæus Aegypti Rex, vt referunt Plinius lib. 36. cap. 12. & alij in Pharo insula Alexandriæ hanc turrim construxit, non ad alios vsus quam ad nocturnos ignes nautarum vsui ostendendos, erogatis in eam fabricam talentis octingentis & decem, Sesostrate Gnido Architecto. Vnde propterea in orbis miracula eam reponunt; sed hæc minima, cum illa pecunia non excedat scuta Romanæ monetæ sexcenta millia.

Diana Ephesia Templum.

B Maius negotium facessit nobis Ephesianum Dianæ Templum, de quo Plinium lib. 36. cap. 14. sic loquentem audiamus: Magnificentiæ vero admiratio, Templum Ephesiæ Dianæ 220. annis factum à tota Asia. In solo ideo palustri fecere, ne terræmotus sentiret, aut hiatus timeret: rursus, ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, ante calcatis in ea strauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso Templo longitudo est pedum 425. latitudo 220. Columnæ centum & viginti septem, à singulis Regibus factæ; sexaginta pedum altitudine, ex ijs 36. cælatæ: operi præfuit Ctesiphon Architectus. Summa miracula epistylia tantæ molis attolli potuisse. Hæc Plinius. Itaque Templi vniuersi circuitus fuit pedum 1290. altitudo vero pedum circiter 100. In eo Fano Hecates signum, in cuius contemplatione admonebant in aditu parcere oculis, tanta marmoris radiatio erat. Erant etiam quinque Amazonum statuæ, prima à Polycleto, secunda à Phidia, tertia à Ctesyla, quarta à Cydonio, quinta à Protogene, summa æmulatione factę. Et Apollinis statua ænea, quam Augustus restituit, sublatam prius à M. Antonio Triumuiro. Sed hæc cum templis in Capitolio, cum Pantheon & alijs in Vrbe delubris magna disparitas reperitur.

C

Pyramides Aegypti.

Supersunt Pyramides septem supra cętera omnia celebrata miracula iuxta Memphim extructæ, Regum pecuniæ ociosa & stulta ostentatione, quæ orbem terrarum impleuere fama, conspicuæ vndique adnauigantibus, de quibus Plinius lib. 36. cap. 12. Herodot. lib. 2. Polyb. Dio, Plutarch. & alij. Fuerunt enim quadratæ moles, atque ab ima & latissima basi paulatim in apicem decrescendo crescentes. Illæ quidem multæ fuerunt, sed earum præcipuæ tres. Pyramis amplissima ex Arabicis lapidibus constabat, trecenta quadraginta sex millia hominum annis viginti eam construxisse produntur; priori decennio aduecta fuisse saxa enarrat Herodotus, altero decennio consummatam fabricam. Referunt etiam Plinius & alij in raphanos, allium, & cæpas mille octingenta talenta erogata. Vna earum ex Strabone assurgit stadium vnum; & ex Plinio continet pedes 625. Ammianus lib. 2. & Solin. vo-

D lunt altitudinem illam supra omnem altitudinem esse, quæ manu fieri possit. Alij dant cuilibet Pyramidi gradus 260. vt omnium altitudo sit pedum 625. Minor Pyramis Aethiopicis lapidibus assurgit pedes 363. Ante has omnes erat Sphinx, miranda, inquit Plinius, immani magnitudine, quæ admonebat aliquid ænigmatis latere, multaque arcanæ sapientiæ mysteria ijs molibus contineri, de qua Plutarch. Amasim Regem putant in ea conditum, quem Appion Grammaticus Pharaonem putat Hebræis infensissimum, quamuis diuersimodè alij crediderint. Erat autem Sphinx saxo naturali elaborata & lubrica, capitis monstri ambitus per frontem centum duos pedes colligit, longitudo pedum 143. altitudo à ventre ad summum apicem 172. O humana

vanitas

vanitas: tantum argenti & auri præbes cineribus? sed & adhuc dictu mirabilius: nullus ex Regibus his, qui sibi eas in sepulcra condiderunt (vt aliqui referunt) in eis sepultus est. Et magis adhuc miror, quod notauerit Plinius, nullam mansisse auctorum gloriam, his verbis: *Inter omnes eos non constat, à quibus factæ sint, iustissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus.* Hæc sunt Pyramidum miracula; quæ quamuis admiranda, & in ostentationem fabricata, non sunt cum ædificijs antiquæ Vrbis, sed nec cum recenti Vaticana mole conferendæ, vt infra.

Romanæ Vrbis sumptuosa ædificia moles septem miraculorum Orbis excedunt. Cap. VI.

SVperba antiquorum ædificia, quæ septem Orbis miracula dicebantur, recensuimus; sed hæc ab illis Romanæ Vrbis miraculis sic superantur; vt non defuerint qui septem illa Orbis miracula cum Vrbis Romanæ miraculis conferre vix dignati sint. Etenim cum à Deo Optimo Maximo Architectonica primum inuenta, vt in omnibus sacris fabricis non homines, sed ipsum Deum illarum magistrum fuisse innotescceret: & à Græcis gloriæ cupidis illam vsurpatam ad Romanos inde peruenisse, à quibus magna ex parte eorum ædificijs nos eam addiscere potuimus. Cuius rei non leue quidem argumentum: quoniam vt testatur Vitruuius lib.3.cap.1. *Omnium operum mensuras ex humano corpore fuisse desumptas.* Hoc ipsum etiam probare videntur in sacris litteris membrorum corporis nomina mensuris exhibita, palmus, cubitus, pes, &c. quibus ex æquo mensuræ & palma manus ac hominis cubitus denotatur; vt latè refert Vvillalpandus in Apparatu Vrbis & Templi. tom.3. vbi de Hebræorum mensuris p.466. Vrbs autem Roma & illius membra penè quælibet miraculum erant. Vnde Plinius lib.36.c.15. inquit: *Ad Vrbis nostræ miracula transire conueniet; & sic quoq; terrarum orbem victum ostendere; quod accidisse toties penè, quot referentur miracula, apparebit: vniuersitate vero coaceruata, & in quemdam vnum cumulum coniecta, non alia magnitudo exsurget, quam si mundus alius quidam in vno loco narretur.* Maius enim Roma nihil vnquam fuisse omnium testimonio iam pridem in confesso est. Hinc Constantius Imperator apud Ammianum, Romam ingressus, cum veniisset ad Rostra, perfectissimum priscæ potentiæ forum, obstupuit, perque omne latus, quo se oculi contulissent, miraculorum densitate perstrictus, lætitia fruebatur optata; & quidquid erat primum, id inter alia cuncta eminere sperabat, Iouis Tarpeij delubra, lauacra in modum prouinciarum extructa, Amphitheatri molem, lapidis Tyburtini compage solidatam, Pantheon, Vrbis Forum, Templum Pacis, Pompeij Theatrum, aliaque decora Vrbis æternæ. Hæc aliqua sunt Vrbis miracula illis septem siue maiora, siue pulchriora non negarim. Vt etiam quidquid intra Italiam est, Romanum est. Extant adhuc Romanorum monumenta per totum orbem, & coloniæ sine numero vbique locorum, Pontes, Portus, Turres, Metæ, Arces, & cætera id genus. Nec est à condito orbe, nec futura Vrbs, tam clara qualis Roma totius mundi caput & regia.

Romanorum ædificiorum altitudinem maximam facit Vitruuius lib.11. cum recipere non posset area plana tantam multitudinem, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coegit deuenire. Et Plinius lib.36.inquit: *Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò existimationem concipiat, fateaturque nullius Vrbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari.* Hinc

Augu-

A Augustus Imperator cum altitudinem ædificiorum coercere voluisset, & ambitionem, Strabone teste, ad septuaginta pedes reduxit. Sed cum palatia Principum, Templa Deorum decretum hoc non seruauerint; etenim multo erant altiora, siquidem pedes ducentos; quid hoc cum qualibet altitudine ædificiorum Templi? cuius substructio alta erat pedes mille, cui altitudini si addatur Turris altitudinis pedum 327. fiet tota altitudo pedum 1327.

Amplitudinem, & ornamenta; tum opes & ambitio Romana persuadent. Quicquid enim artificum insigniorum Græcia, & Asia habuit, Romam euocabatur; vt iure gloriari potuerit Augustus, *Marmoream reliquisse Vrbem, quam lateritiam acceperat*, ex Suetonio. Deinde Nerone Principe, cuius iussu incensa Vrbe, Vrbis domus, auctore Tacito, non vt post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ, sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatijs, & additis porticibus: à quo tempore vsq; Traianum Imperatorem ornamenta creuerunt. Vnde Plinius suo æuo ædificia Romana Vrbis miracula appellat.

B A Tarpeio exordiamur, vel quia pulcherrimum, vel quia primarium & summum, vel quia multa substructionum mole & opibus, ac tempore pleraq; præibat. Has Lucius Tarquinius Priscus incœpit, sed fato sublatus, absoluēdas Superbo nepoti reliquit: qui substructiones eas circum collem fecit, dum prærupta eius adæquat, & ab imo solo ingentibus lapidibus muro educto suffulcit, complanat denique in vertice, & fundamenta iacit, facitque eam amplitudinem Iouis Templi, quæ digna Deo, hominumque Rege, inquit Liuius, quæ Romano Imperio, quæ ipsius etiam loci maiestate esset; idque ex præda Suessæ Pomætianæ. Pulsis deinde Regibus Horatius Puluillus Consul dedicauit ea magnificentia, quam immensæ postea Populi Romani opes ornarent potius quam augerent, inquit Tacitus. Hæc de substructione. *Capitolij edificia.*

Quo vero ad symmetriā audiamus Dionysium Capitolij amplitudinem paucis perstringentem: Situm est, inquit, Capitolium in alta crepidine, habetq; in ambitu octo iugera, sic vt latera singulorum ducentorum ferè pedum sint, C exigua longitudinis & latitudinis differentia, nisi quod illam vincit vix pedibus quindenis. Qua parte frons eius meridiem spectat, triplici Columnarum ordine circumcingitur, ab alijs lateribus duplici. In ipso sunt tres cellæ, media est Iouis Tonantis, quæ marmoreos parietes habuit Lucullæi marmoris, ex Plinio lib. 36. cap. 6. Pauimentum scalpturatum, parietes marmoreis solidis glebis politos. Vtrimque vero cella, altera Iunonis, altera Mineruæ: omnes sub eodem laqueari, eodemque tecto. Itaque totus circuitus pedum 800. Frons spectabat Palatium & Forum Romanum, frequentissimam Vrbis partem, à qua, ex Tacito, centum gradibus ascendebatur. Columnas Lucius Sylla Athenis aduexit à templo Iouis Olympici, ex Plinio dicto c. 36. Altitudo ædificij pedum ducentorum. Hæc de amplitudine. *Symmetria.*

Circa ornatum refert Plinius lib. 10. Fœneratores aliquot, inquit, ex eo quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argētea vasa in cella Iouis: Iouemque in culmine cum quadrigis Aediles posuerunt. Et infra: Quadrigæ ex auro eo anno positæ in Capitolio ab Aedi- D libus. Et alibi: Aediles multos pecuarios damnarunt, & ex ea pecunia clypea inaurata in fastigio Iouis ædis posuerunt. Quæ clypea ex argento facta, asserit Plinius lib. 35. cap. 3. additque lib. 33. cap. 3. post euersam Carthaginem laquearia in Capitolio inaurata. Quintus Catulus tegulas æreas Capitolij inaurauit primus; de quibus Seneca Pater: *Fastigiatis* (inquit) *supra tectis, auro puro fulgens prælucet Capitolium*. Quas tegulas Genfericus Vvandalorum Rex in Africam detulit, auctore Procopio. Donaria Iouis Capitolini multa Augustus vna donatione contulit in cellam Iouis sedecim millia pondo auri, & quingenties in gemmis, apud Suetonium in Augusto. Pompeius Magnus ante ipsum eam gemmam dedit, quam Dactyliothecam ap- *Ornatus.*

pellat Plinius lib. 37. cap. 1. quæ fuerat prius Mithridatis Regis. Quo exemplo Cæsar sex Dactyliothecas in æde Veneris consecrauit. Sex pocula Myrrhina Pompeius Ioui Capitolino; quorum quodlibet octingentis talentis stetit. Liuia Augusta crystalli tabulam amplissimam librarum circiter quinquaginta. Plutarchus in Publicola ait *in solam inaurationem fuisse consumpta* duodecim millia talentorum. Cum Tarquinius impendisset in fundamento templi librarum argenti quadraginta millia; hoc est talenta quadraginta supra sexcenta. Fores auratæ & crassis laminis obductæ, quæ manserant vsque ad Honorij Imperatoris tempora: cum videlicet pecuniæ inopia, inquit Zosimus, mandauit Stiliconi Duci, vt fores in Capitolio Romano, quæ auro magni ponderis erant obductæ, ijs laminis spoliarentur. Iupiter in Capitolio in æde Iouis Tonantis à Policleto factus ex ære Corinthiaco, ex Plinio lib. 34. cap. 2. ibique etiam omnium Regum Romanorum statuæ ex ære, & Hercules æneus translatus à Fabio Verrucoso Tarento. Fecit etiam Spurius Caruilius in Capitolio Iouem victis Samnitibus, ex eodem Plinio lib. 34. capit. 5. & 7. Denique picturis erat Capitolium ornatissimum & auro, teste Virgilio. A B

Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit
Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.

Miranda hæc omnia & Capitolij maiestate digna.

Domus aurea Neronis.

Domus Aurea Neronis subsequitur amplitudine, ornamentis, opibus alteri non inferior. Certè Nero excitato Vrbis incendio, ædibusque plurimorum conflagratis, vt loquitur Tacitus lib. 15. Vsus patriæ ruinis, extruxit domum à Palatio Exquilias vsque, & radices montis Cœlij, quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque Auream nominauit. Tanta illius amplitudo; vt in ea arua & stagna in morem solitudinum syluæ, & aperta spatia, & prospectus. Illius vestibulum fuit, in quo nunc Amphitheatrum (ex Sueton. in Nerone c. 31.) tunc vero Colossus 120. pedum stabat ipsius effigie. Tanta fuit laxitas domus vniuersæ, vt Porticus triplices milliarias haberet. Item stagnum maris instar, circumseptum ædificijs ad vrbium speciem: rura insuper aruis, atque vinetis & pascuis, syluisque varia, cum multitudine pecudum atq; ferarum. Tanta vt vocari iure potuerit *Tota Roma*. Vt merito de ea dictum: C

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites;
Si non, & Veios occupet ista domus.

Legendi etiam sunt Cassiodorus & Tacitus, & hæc confirmantur ex Martiale lib. 1. Epigr. qui post dirutam eam domum cum Tito loquens, ait.

Hic vbi Sydereus propius videt astra Colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via.
Inuidiosa feri radiabant atria Regis,
Vnaque iam tota stabat in Vrbe domus.
Hic vbi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic vbi miramur velocia munera Thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager. D
Claudia diffusas vbi porticus explicat vmbras,
Vltima pars aulæ deficientis erat.
Reddita Roma sibi est, & sunt te præside, Cæsar,
Delitiæ populi, quæ fuerant Domini.

Tanta igitur erat amplitudo domus, seu potius Vrbis Neronianæ.

De ornatu huius domus Tacitus lib. 15. inquit: *In qua domo, aut perinde gemmæ & aurum miraculo essent solita pridem, & luxu vulgata quam arua & stagna.* & Sueton. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, vnionumque conchis erant; cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus,

A bus, vt flores ex fistulis & vnguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus, ac noctibus vice mundi circumageretur. In eandem domum inclusit Nero Fortunæ templum, quod ex lapide Sphengite ædificatum erat. Vnde Plinius lib. 36. cap. 22. Nerone Principe repertus est lapis in Cappadocia, duritia marmoris, candidus, atque transfucens, etiam qua parte fuluæ inciderant venæ ex argumento Sphengites appellatus. Hoc construxit ædem Fortunæ à Seruio Rege sacratam, Aurea Domo complexus: quare etiam foribus clausis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam specularium modo, tamquam inclusa luce, non transmissa. Denique in solarijs domus aues ex argento mirabili opere sculptas posuit, quas volare diceres, ex Plinio lib. 37. cap. 2. Ex ea domo Nero gladiatorum pugnas spectabat Smaragdo. Sceptra & personas histrionum & cubicula viatoria vnionibus conuestiuit.

Ad Thermas transitum faciamus, quæ Romæ multæ, sed primariæ Anto- *Therma.*
B nini, & Diocletiani; quarum amplitudo ex ruinis hodie vtcunque apparet. *Vnde non immerito Ammianus inquit: Lauacra in modum prouinciarum extructa; ac si non Vrbes modo, sed prouincias æmularentur varijs ædificijs.* Et Spartianus de Caracalla loquens, inquit: Reliquit Thermas sui nominis eximias, quarum celsam Seleurem Architecti negant posse vlla ratione fieri, nisi qua facta est: nam ex ære & cupro cancelli erant, quibus concameratio tota concredita est; & tantum est spatij, vt huiusmodi molium extructionem potuisse fieri negent docti mechanici. Illas sic Olympiodorus: Erant lauacra publica ingentia, sicut Antonianæ Thermæ factæ in vsum lauantium: sellas, vel solia habebant mille sexcentas è polito marmore factas: Diocletianæ autem bis tantum, nimirum ter mille ducentas, vt totidem homines simul inibi lauari potuerint. Solia autem huiusmodi ita magnificè extructa erant, vt in eis fas esset sedere, natare, stare, quorum inuentio à Dione tribuitur Mecœnati. In ijs præter earundem Thermarum corpus, cellæ, piscinæ capaces, & longæ porticus, xysti, nemora, sphæristeria consistebant. Hæc de magnitudine sufficiant.

C Ornamenta autem Thermarum ex argento, auro, & gemmis, de quibus Statius lib. 1. Syluarum.

Nil ibi plebeium, nusquam Themesea notabis,
Aera, sed argento felix propellitur vnda
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat:
Delicias mirata suas.

Et Plinius lib. 33. cap. 12. inquit: *Fœminæ lauentur, & nisi argentea solia fastidiant, eademque materia & cibis & probris seruiat: videret hæc Fabritius & stratas argento mulierum balneas.* Et Seneca de Thermis inquit: *Sed in ornamentum politarum, & impensæ causa eo deliciarum venimus, vt nisi gemmas calcare nolimus.* Columnæ in Diocletiani Thermis ducentæ & sexaginta, quarum materiam ferè præ oculis habemus communi è lapide & exigua magnitudine: Thermis Antonianis columnæ similiter ducentæ quadraginta quatuor præter alias columnas in vtrisque Thermis, & magnitudine & æ-
D stimatione satis superantes; quæ adhuc hodie extant.

De Foris in Vrbe videamus, quæ in vniuersum septemdecim fuerunt; præ- *Fora Roma.*
cipua autem *Romanum, Iulium, Augustum, Traianum.* Illud Romulus instituit inter Capitolium & Palatium, sic vt templa vtrinque imminerent: Tarquinius Priscus ornauit, & porticibus cinxit: alij varia ornamenta addiderunt. Fora in vniuersum sic describit Vitruuius lib. 5. cap. 1. Græci in quadrato amplissimis, & duplicibus porticibus Fora constituunt, crebrisque columnis, & lapideis epistylijs adornant, & supra ambulationes in contignationibus faciunt; atque hæc ipsa Romani, nisi quod non quadrata æqualitate, sed oblonga magis faciunt, sed nec columnas tam crebras inter-

ponunt. Hæc de amplitudine. Quod autem de ornamentis Plinius lib. 36. A
cap. 15. De Iulio Foro sic inquit: *Pyramides Regum miramur opera; cum so-*
lum tantum Foro extruendo sestertium millies Cæsar Dictator emerit. Et Sue-
tonius ait à Cæsare adhuc Proconsule Galliæ, & priuato inchoatum ex ma-
nubijs. Cassius vero pulchrius illud Romano reddidit. Augusti vero Forum
inter maxima opera Plinius collocat, & præter Porticus ex more ad latera
in altero ordine omnes Reges Latinos à Principe Aenea posuit, ac etiam
Romanos Reges, & seipsum collocat. Ouid. 5. Fastor.

Hinc videt Aeneam oneratum pondere sacro,
Et tot Iuliæ nobilitatis auos.
Hinc videt Iliadum humero Ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris.

Et Sueton. in August. cap. 1. *Statuas omnium Ducum triumphali effigie in vtra-*
que Fori sui porticu dedicarat. Et Lampridius in Alexandro inquit: Statuas
colossicas, vel pedestres nudas, vel equestres Imperatoribus in Foro Neruæ
locauit, exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in Foro suo è mar- B
more collocauit additis gestis. Pausanias, Romanis, inquit, Forum quod &
magnitudine & apparatu instar miraculi exhibet tectum & camerationem æ-
neam. Traianum deniq; Forum singulare sub cælo structuram Ammianus ap-
pellat, & numinum assensione mirabilem: Giganteos contextus, nec relatu
affabiles, nec rursus mortalibus appetendos: & Cassiadorus, *Traiani Forum,*
inquit, *vel sub assiduitate videre, miraculum est. In cuius medio columna pe-*
dum centum viginti octo, quæ nunc extat, & præstantissimi Principis res gestas
mirabili opere insculptas demonstrat. In vestigijs porticuum, quæ columnæ al-
titudini non cedebant, ponit A. Gellius simulacra circumquaque inaurata
equorum, ac signorum militarium; ibi templum, & equum æneum, vel co-
lossum posuit Publius Victor, de quo etiam Ammianus.

Pantheon. De Pantheon, quod toto orbe celebre est, hodieque Romæ extat; etsi or-
namentis omnibus expoliatum. Illud à M. Agrippa Augusti genero in tan-
tio Consulatu suo, biennio post perfectum: dicatumque Vrbis anno septu- C
gesimo vigesimo nono, ex Dione omnibus Dijs, vt indicat nomen ipsum; Græ-
cè enim πάνθειον omnium Deorum est. Præcipuæ in eo statuæ Iouis Vlto-
ris, cui templum Plinius dicatum facit; Martis item & Veneris, in cuius auri-
bus appensas, ait Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 16. margaritas, quarum pul-
chritudinem describit, quasque Cleopatra in auribus gestabat, monstruosæ
magnitudinis pretio ducenties sestertium: Cæsaris item statua, & Augusti,
quibus addidit Agrippa suam. Plinius hoc templum inter pulcherrima po-
nit, & Architecti adeo admirantur, vt vocent absolutissimum opus, & exem-
plar consummatæ Architecturæ. Latitudo, longitudo, atque altitudo par
est pedum 158. Crassitudo parietis circularis lateritij pedum 22. Itaque li-
nea, quæ extimam templi superficiem cum porticu ambit, est pedum 700.
circiter. Columnæ in porticu 28. ex lapide Aegyptiaco, altitudine pe-
dum 40. earumq; capita Syracusana facit Plin. lib. 34. c. 3. In interioribus au-
tem delubris columnæ totidem minores multo. Ad templum ascendebatur
gradibus septem: opertum erat templum tegulis æneis prægrandibus, sicuti D
pariter erant trabes supra eiusdem porticum, quos annis præteritis iussu
Vrbani VIII. deponi vidimus ex Barbarorum reliquijs.

Theatrum Scauri. Scauri theatrum inanitatis plenissimum, temporarium nimirum theatrum,
quod vix mense futurum erat in vsu, de quo Plinius lib. 34. c. 7. lib. 36. cap. 2.
& 15. sic refert. M. Scaurus fecit ædilitate sua opus omnium maximum, quæ
vnquam fuere humana arte facta, non temporaria solum mora, sed etiam
æternitatis destinatione. Scena theatro fuit triplex altitudine 360. colum-
narum: ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro; inaudito etiam postea
genere luxuriæ summæ tabulis inauratis columnæ; imæ 38. pedum. Signa

æneæ

A ænea inter columnas fuerunt 3000. numero. Cauea ipſa cepit hominum octoginta millia; ſed & reliquus apparatus tantus Attalica veſte, tabulis pictis, cęteroque choragio fuit, vt in Tuſculanam villam reportatis, quæ ſuperfuerunt quotidiani vſus delicijs, incenſa villa ab iratis ſeruis concremarentur ad ſeſtertium millies. Marmoreos parietes habuit, nec facile dictu. Itaque columnæ marmoreæ fuerunt 120. totidem ex vitro, totidem ex tabulis inauratis.

Amphitheatrum Titi.

Amphitheatri Titiani confuſa facies, & forma verè informis, lacera nimirum & dirupta egregij operis vmbra, & cadauer eſſe videtur, quod inter prima Romanorum opera ponunt Auctores, qui de eo ſcripſerunt. Locus erat ludicræ voluptatis, ſtructus in media Vrbe, teſte Suetonio, ſolidata Tiburtini lapidis compage, tanta altitudine, vt ægrè viſio humana contingat, inquit Ammianus. At quoniam de hoc plura infra dicemus, hæc dicta ſat erunt.

B Abſoluimus iam pleraſque prodigioſas Vrbis Romanæ moles, eorumque altitudinem, amplitudinem, ornamenta, & opes conſideraiuimus; & gaudemus luce ipſa clarius innotuiſſe, cætera omnia Orbis prodigioſa miracula, licet non in vna ciuitate, ſeu prouincia conſtructa, ſed longiſſimi temporis interuallo, & totius Aſiæ, Africæ, & Europæ impendijs, quæ non modo ſigillatim, ſed collectim etiam ſumpta; non fuiſſe nihilominus tanta, quin cum ſola inclyta Roma comparari nulla ratione potuerint; quin multis partibus amplitudine, dignitate, ornamentis & opibus ſuperentur; ac illæ, veluti faculæ quædam ſplendidiſſimo Solis ſplendori oppoſitæ, ſplendere minimè videantur. Quæque Romanæ magnificentiæ admiranda Conſtantij Imperatoris elogio decorantur, vt inquit Ammianus: *Is enim viſis pleriſque cum ſtupore horrendo, de fama querebatur, vt inualida, vel malignæ; quod augens omnia ſemper in maius; erga hæc explicanda, quæ Romæ ſunt, obſoleſcit.*

Myſtica conſideratio.

Diximus de excelſis priſcorum Romanorum & aliorum Regum terræ mo-
C libus, & tamen de his vix modicæ reliquiæ ad præſens remanent: quorum quidem priorum terræ incolarum ſuperbam perpetuæ gloriæ præſumptionem reprehendere videtur Regius Propheta Pſalm. 48. verſ. 12. ibi: *Sepulcra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie & progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* Vel, vt Hieronymus vertit: Vocauerunt nominibus ſuis terras ſuas: quaſi dicat: ſperantes perpetua hominum memoria poſſe permanere; nomina ſua impoſuerunt terris ſuis, quas videlicet antea condiderant: falſi tamen, deceptique omnino ſunt: cum ciuitates, palatia, habitationes magnificas alijs habitandas reliquerint; ſibi ipſis domorum, ac tabernaculorum vice ſolum obtigerit ſepulcrum, in quo permanebunt in longa ſæcula, donec ſuccedentibus alijs, & alijs generationibus, nominum eorum memoria omnino aboleatur & euaneſcat. Illud autem memoria dignum, quod cum tam celebres & excelſas ſacras ædes vbique locorum Magnus Conſtantinus erexerit; in nulla ipſarum mode ſtiſſimus Imp. ſui nominis titulum inſculpiſſe reperiatur; ſed contempſiſſe, quod Traianus
D & alij ante eum Imperatores magno ſtudio affectaſſent, & in ſingulis à ſe erectis operibus nomen ſuum affixiſſent, quod idem Conſtantinus lepide dixit eſſe *Herbam parietinam*, vt ex Aurelio Victore refert Baron. an. 324. vbi Spond. num. 22.

Egregius inde auctor Regem monens ſic inquit: *Non trabibus, aut ſaxis, ſed tuorum pectoribus nomen tuum incidatur.* Ea æternant corda; marmora etiam vetuſtas exedit. Animorum inſcriptio immortalis eſt; & his non alius nomen inſcribet quam ipſe Amor. Faciet Princeps, ſi parentis in omnes ſibi ſubiectos perſonam induerit: animam in ſuorum quaſi filiorum pectoribus deponat: nec aliud monumentum, nec ſepulcrum quærat. Si quis vero aliter

audeat

audeat ſuos in perpetuo metu tenere; tyrannus non Princeps eſt. Incidatur quoque Principum nomen virtuoſis à ſe geſtis actibus: diuitiæ, imagines, memoria ſui transferri ad hæredes poſſunt: virtus non poteſt: in animo cuiuſque naſci hæc debet; à qua verè quiſque magnus, nobilis haberi, & dici debet; non ab alienis. Ac etiam de huiuſmodi virtuoſis actibus ad poſterorum memoriam teſtes erunt hiſtoriarum Scriptores: hi namque ſunt, qui regna & egregia facta ſcriptorum ſuorum monumentis verè illuſtrant, & nunquam mori Principem patiuntur. A

Priuatorum Romanorum Aedes Vrbanæ, & Ruſticæ. Cap. VII.

EX priuatis Romanorum operibus in tam ſplendida & nitenti Vrbe duo maximè conſideranda, Domus & Villæ. Fuerunt autem domus, vt pulchri corporis apta & decora membra; magnificæ, ornatæ, inſtructæ columnis, marmore, auro, ſtatuis, & quidquid excogitare ambitio, aut luxuria poterat: ſed eædem etiam laxæ, patentes, vt refert V. Maximus lib. 4. c. 4. de Cincinnato: *Cui quatuor ſola iugera aranti non ſolum dignitas Patris familiæ conſtitit, ſed etiam Dictatura delata eſt.* Et comparatione & indignatione addit: *Anguſtè ſe habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Et idem auctor lib. 36. cap. 15. inquit: *Nimirum ſic habitarunt, qui hoc Imperium fecere, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam cellaria iſtorum.* Iterumque idem auctor lib. 18. cap. 2. *Bina tunc iugera Populo Romano ſatis erant.* & infra: *Contemptis huius ſpatij viridarijs, Piſcinas iuuit habere maiores: gratumque ſi non aliquem & culinas.* Nec exaggeratio ſermonis, vt ex Apuleio de Deo Socratis ibi: *Igitur illas ædificiorum ſpecies, in quas patrimonia ſua profuderunt, amæniſſimas & extruſtiſſimas deprehendas: aulas æmulas vrbium conditas, domos vice Templorum exornatas.* Comparat ſiquidem cum vrbibus quoque Seneca de Benef. lib. 7. cap. 10. & increpat: *Aedificia priuata laxitatem magnarum vrbium vincentia.* Qualia ab Olympiodoro referuntur in Bibliotheca Photij his verbis: *Quæque magnarum domuum omnia in ſe ipſa habet, quæcunque mediocris vrbs poſſit continere: nempè Circum, Fora, Templa, Fontes, Balnea diuerſa.* Ideo & Poeta dixit. B C

Vna domus Vrbs eſt, Vrbs oppida pluria claudit.

Erant domus illæ etiam in Fori faciem, vbi Iudicia, & Forenſes conuentus, & clientium, libertorum, ſeruorumque cauſas cognoſcebant, vt ſuadet Vitruuius lib. 6. cap. 8. ibi: *Nobilium, & qui Magiſtratus gerunt, domos laxiores fieri; Bibliothecas ibi eſſe, Pinacothecas, Baſilicas* (ad Iudicia) *non diſſimili modo quam publicorum operum magnificentia comparat: quod in domibus eorum ſæpius & publica conſilia, & priuata Iudicia, arbitriaque conficiantur.* Tanta igitur erat domorum in Vrbe laxitas. Si autem earundem Apparatus, & Inſtructio reſpiciatur; audiamus de eo Senecam ep. 96. ibi: *Quid inter pueros & nos intereſt? niſi quod nos circa tabulas, & ſtatuas inſanimus, carius inepti: illos reperti in litore calculi læues, & aliquid habentes varietatis delectant; nos ingentium maculæ columnarum, ſiue ex Aegyptijs arenis, ſiue ex Africæ ſolitudinibus aduectæ, porticum aliquam, vel capacem Populi cœnationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore indutos, cum ſciamus quale ſit, quod abſconditur: oculis noſtris imponimus. Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? ſcimus enim ſub illo auro fœda ligna latitare.* Vide in ipſa domo columnarum diſpoſitionem; ſiquidem refert Plinius lib. 35. in vna cœnatione Calliſti Claudiani liberti triginta ſe vidiſſe è lapide Germanico. D

Idem

A Idem in atrio Scauri collocatas maximas, atque adeo duo de quadraginta pedum Lucullæi marmoris. Subdit etiam Seneca, *Parietes marmore indutos*. Quod genus *Incruſtationes* Latini dicunt; vt tradit Plinius lib. 36. ibi: *Primum autem Romæ parietes cruſta marmoris operuiſſe totius domus ſuæ in Cœlio monte Mamurtam equitem Romanum Præfectum fabrum Cæſaris*. Id non aliud fuit quam marmor in tenues cruſtas ſectum, parieti ſcitè pro tectorio appoſitum. Lucanus.

Nec ſummis cruſtata Domus, ſectiſque nitebat
Marmoribus.

Declamator apud Senecam Patrem: *In hos ergo exitus varius ille ſecatur lapis, vt tenui fronte parietem tegat*. Tertio addit Seneca: *Auro tecta perfundi*: ſignificat laquearia inaurari tota ſolere. Mauſonius apud Stobæum: *Quo pertinent hæc atria columnata? quo variæ iſtæ colorationes? quo aurata lacunaria?* Varias colorationes refert ad marmora variegata parietibus impoſita, vel etiam ad Muſiuum opus. Et de lacunaribus Statius.

B *Et nondum craſſo laquearia ſulua metallo,*
Montibus aut altè Graÿs effulta nitebant
Atria.

Qui montes Graios poëticè nominat grandes illas, ſublimeſque columnas, & idem Statius.

Pendent innumeris faſtigia nixa columnis,
Robora Dalmatico lucent ſociata metallo.

Sed & Lucanus de Cleopatræ Regia.

Ipſe locus templi (quod vix corruptior ætas
Extruat) inſtar erat, laqueataque tecta ferebant
Diuitias, craſſumque trabes abſconderat aurum.

Trabes quidem auratas eſſe vult, ſed cameram gemmatam & eboratam. Vt in Ciceronis Paradoxis: *Tecta ebore, & auro fulgentia*. Propertius.

Quod non Tænarÿs domus eſt mihi fulta columnis,
C *Nec camera auratas inter eburna trabes.*

Augebatur ſemper ingenioſa Romanorum luxuria: nam lacunaria iſta verſatilia faciebant, & alia atque alia ſubinde facie conuiuas delectabant. Senec. epiſt. 91. *Verſatilia cœnationum laquearia ita coagmentant, vt ſubinde alia atque alia facies ſuccedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur*. Dum priuata luxuria eſt iſta: audiamus Neronis Cæſaris inſaniam, de qua Suetonius, in veſtibulo ædium ſuarum poſuit *Coloſſum centum viginti pedum*. Et infra: *Porticus triplices milliariæ; item ſtagnum maris inſtar, circumſeptum ædificijs ad vrbium ſpeciem. Rura inſuper aruis, atque vinetis, & paſcuis, ſyluiſque varia; cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis, vnionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, vt flores ex fiſtulis & vnguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuò diebus, ac noctibus vice mundi circumageretur*. Luci & arbuſta in magnis iſtis ædibus erant, imò & ſuper ædes, vt de ſuo æuo increpans Senec. epiſt. 123. ſic inquit:
D *Pomaria in ſummis turribus ſerunt, quorum ſyluæ in tectis, ac domorum faſtigijs nutant, inde ortis radicibus, quo improbè cacumina egiſſent*. Quibus ſyluis veræ intermixtæ aues. Vt in Romæ laudibus Rutilius.

Quid loquar incluſas inter laquearia ſyluas,
Vernula qua vario carmine ludit auis,

De domibus ad Romanas Villas progrediamur, eaſque animo, & memoria luſtremus. De ijs vniuersè Strabo pronunciat, vbi de Piſis, & Liguria ſcribit: *Eſſe ibi lapidicinas, & materiem ad ædificia vberem, ſed quam Romani ad ædificia ferè ſua in Vrbe, aut & villis conſumunt: Villis, in quibus velut more Perſarum Regias quaſdam ſtruunt*. Vt in hanc rem non valeat amplius quid- *Villa.*

piam

piam explicari. Vnde vt proponamus nobis ſpecimen alicuius particularis Villæ, audiamus de illa ſic ſcribentem Capitolinum: *Extat Gordianorum Villa via Prænestina, ducentas columnas vno peristylio habens, quarum quinquaginta Caryſtiæ Claudianæ, quinquaginta Siemitides, quinquaginta Numidicæ pari menſura ſunt. In qua Baſilicæ centenariæ tres: cætera huic operi conuenientia: & Thermæ, quales præter Vrbem nuſquam in Orbe terrarum.* Extant adhuc in agro Tiburtino rudera ex Hadriani villa, cuius ſuperbæ reliquiæ paucis Romanorum molibus ſecundæ: extant etiam ſimilia in Latio & ſuburbijs Romæ; immo per ſyluas, & vepreta columnæ, aut earum fragmenta, cryptæ, porticus, & diſiecta ædium membra: quæ omnia ex eorum aſpectu loquuntur tranſactam Romanam magnificentiam. A

Conſideratio. Perluſtrauimus priſcorum Romanorum ædes præclaras, amplas, & admirandas; tamquam ſi æternaturi ij fuiſſent in illis, vt meritò D. Hieronym. ad Gaudent. ſcribens, exclamet: *Viuimus quaſi altera die morituri: & ædificamus, quaſi ſemper in hoc ſæculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum,* &c. Inde Hormiſda ex regio Perſarum ſanguine ab Imperatore Conſtantio interrogatus, vt refert Ammianus: *Quid de Roma ſentiret? id tantum ſibi placuiſſe dicebat, quod didiciſſet ibi quoque homines mori.* Vnde qui fecerunt ea, aut moliti ſunt, quoniam omnes perijſſe videmus: cogitemus nos ipſos, qui hæc meditamur, poſt aliquot annos, dies, vel horas in puluerem, vmbram, vel nihilum redigendos; vt quoque ſuperba noſtra palatia, ædeſque magnificas diruturas (ſicuti iam omnes priſcorum Romanorum tranſierunt) quæ conſtrui niſi violata iuſtitia, legibuſque contemptis, oppreſſis ciuibus, operis defraudatis atque eiuſmodi alijs iniquitatibus admiſſis, quibus ſumptus minuuntur & pecuniæ comparantur. Audi Habacuc ſic prophetantem cap. 2. ibi: *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit: væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus.* Nempè pecunijs pauperum; nam ſanguis pecunia eſt miſeris mortalibus: *Et præparat Vrbem in iniquitate,* &c. Scilicet fundat Vrbem. B C

De Vrbis ſitu & amplitudine. Cap. VIII.

SEptem Orbis miracula ſatis inferiora fuiſſe quibuslibet Vrbis mirabilibus molibus, iam vidimus. Cuius Vrbis ſitum & magnitudinem vt modo cognoſcamus; ſupponendum, ab exordio tam ſimplicem eius vitæ cultum fuiſſe, vt primos eiuſdem Vrbis muros luto, & palis defixos Remus leui ſaltu ſic humiles illos tranſilierit: cuius ab initio tam ſimplex vitæ cultus, vt rudi cæmento conſtratas domos, ac ſcandulis roboreis, ac ſtramentis contectam Vrbem per annos 400. vſque ad Pyrrhi bellum fuiſſe ſatis conſtet; & totidem propè annos pulte pro pane vſos.

Nulla tamen Vrbs tam tenue habuit principium, nec ad tam magna rerum faſtigia ita maturè peruenit: vt poſt deuictum orbem delicijs rerum omnium, quas tellus, mareque gignit, illam expleuiſſe animum in compertò ſit. Terrarum omnium alumna, eademque parens: cuius ſedes in excellenti Capitolij ſaxo conſtituta, vbi tot Reges, tot Duces, tanta virorum ſpectata indoles gubernando & imperando ſteterunt: merito his locis Vrbs illa extructa, vbi ſaluberrimi colles, ager feraciſſimus, flumen ad res vehendas idoneum, ſitus ab externæ claſſis periculo immunis, Vrbs media Italiæ; & ob id ad rerum incrementa habilior. Vrbs tota paſſim culta, ac frequens, agro ad fruges, ad paſcua, ad vites gignendas vberrimo: ſyluis ad lignandum D

A dum & materiam ſuppeditandam abundè ſufficientibus, vbi temperies aeris perquam læta, & commoda ; ni voluptatum intemperantia obeſſet. Herboſi ſaltus, amœnæ valles, aquarum affluens tellus : ver vbi perpetuum atq; alienis menſibus æſtas. Solo ſemper tepido, numquam colono repugnanti; vbi greges, armenta, altilia quæque optima proueniunt : vbi auium aucupia, & ferarum venationes accommodatæ. Sed multo hominum præſtantiora ingenia ſemper progenuit, quam reliquus orbis terrarum. Gentium enim in toto orbe præſtantiſſima haud dubiè Romana extitit : quæ vt cœlum ipſum clarius faceret; ſparſa congregaret Imperia; rituſque molliret & populos diſcordes, feraſque linguas ſermonis commercio ad colloquia contraheret; & humanitatem hominibus daret; breuiterque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret, diuino numine hæc vna facta eſt Vrbs : quoniam, vt inquit Plato : *Nulla poteſt Ciuitas ſine fauore numinis proſpere conſtitui, nec feliciter adminiſtrari*. Vnde ait Vitruuius lib. 4. *Diuina mens ciuitatem Populi Romani egregia temperataque regione collocauit : vti orbis terrarum*
B *Imperio potiretur*. Nec vero Aſia in hac Vrbe ab Europa diſtincta eſt : ſed omnia Romani Imperij omnibus in medio eiuſdem Vrbis poſita ſunt : nemo in ea peregrinus cenſetur, modo ſit Imperio, aut fide dignus; ſtat vero hæc Vrbs communis terrarum ſtatus, iſque popularis ſub optimo Imperatore atque rectore, omneſque quaſi in commune forum conueniunt, pro ſuis quiſque meritis præmia relaturi. Quod vero ſuis finibus, Regibuſque ciuitas quæpiam eſt, id ipſum eſt : hæc vniuerſo orbi quaſi communis Vrbs prouinciæ totius cenſetur conuenire : porro in vnam hanc arcem coniectos omnes totius Imperij Romani habitantes, & populos diuerſa loca incolentes. Nec vero hæc vlli vnquam defuit; ſed vt terræ ſolum fert omnes; ita & hæc ex vniuerſo orbe confluentes omnes accipit; quaſi mare flumina : & ſicuti mare fluuiorum influxu nec maius creſcit; ita in hac Vrbe quicquam maius non apparet, ſed intra ſinum illa recondit omnia, & intra ſe complectitur : quippè vltro citroque meantibus eadem eſt, eadem viſitur. Hoc adeo verum, vt
C ex hac Romæ frequentia paulatim Italia penè deſerta remanſerit; & Varro iam ſuo æuo conqueritur pleroſque ex agris in Vrbem correpſiſſe : *& maluiſſe manus in theatro mouere quam in aratro*. De qua Orbis ſolitudine etiam canit Lucanus.

——— Videmus
Tot vacuas Vrbes : generis quò turba redacta eſt
Humani ? toto populi, qui naſcimur orbe
Nec muros implere viris, nec poſſumus agros :
Vrbs nos vna capit.

Eiuſdem Vrbis magnitudo duobus argumentis comprobatur : quorum primum iocoſum, de quo ſcribit Lampridius, Heliogabalum *ſeruis imperaſſe, vt omnes araneas colligerent in Vrbe : atque eos colligiſſe ad decem millia pondo*; additque Heliogabalum ſubieciſſe : *Vel hinc intelligendum quam magna Roma eſſet*. Et quidem omnes ferè angulos domorum habitatarum excuti oportuiſſe ad
D tale perficiendum pondus credibile eſt. Alterum argumentum triſte & à peſte; vt in Suetonij Nerone legitur : *Acceſſerunt tantis ex principe malis, & fortuita quædam peſtilentia vnius Autumni, qua XXX. funerum millia in rationem libitinæ venerunt*. Quod Lipſius in magna illa Roma omnino ſupponit reſcribendum trecenta millia.

Talem igitur fuiſſe Romam in ſummo eius flore; ſi conſideretur illa in ſuo ambitu, & quæ in ſuburbijs procurrebat, de quibus Plinius ait : *Expatiantia tecta multas addidiſſe Vrbes* : nempè vt tot eſſent Vrbes, quot ipſa ſuburbia, quæ Tybur, Otriculum, Ariciam, atque aliò excurrebant; & maximè Oſtiam mare verſus 15. milliaria; vt ex deſtinato Neronis conſilio inquit Suet. *Oſtiam tenus mœnia promouere; atque inde foſſa mare veteri Vrbi*

inducere: etsi non effecit. De qua magnitudine suburbiorum suo æuo Dionysius: *Omnia loca circa Vrbem habitata sine mœnibus esse: in qua si quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum fore, & hæsurum vbi desinat Vrbs, vbi incipiat: adeo suburbana ipsi Vrbi adhærent, & innexa sunt, & speciem immensæ longitudinis exhibent spectanti.* Et Aristides Rhetor sub Adriano sic refert de illa: *Descendit etiam & porrigitur ad mare ipsum, vbi commune est Emporium, & omnium è terra gignentium distributio.* Et infra: *Tantam Romam esse, vt in quacunque parte quis constiterit, nihil impediat, & in media eum esse.* A

Multitudo.

Multitudo vero hominum in hac Vrbe nostra infinita propè fuit; vt ex vestigijs scriptorum sagaciter indicatur. Ex Suetonio enim in Augusto constat: *trecenta viginti millia* aliquando fuisse plebis Vrbanæ, nempè tenuioris, quæ è publico victitaret: vnde si tanta inopum multitudo, quanta etiam debuit esse copia diuitum? scilicet Senatores, Senatorij, Equites, & ex ipsa plebe honesti; quos totidem vel saltem ducenta millia. Præterea pueros fœminasque addendas; & profecto tales duplo, triploque superarunt: & ita vbique gentium obseruatur: quam multitudinem in nostra Roma iam tunc ad duos hominum milliones ascendere. Serui prædictis accedant, quos totidem Romæ fuisse, ac liberos; quoniam tenuium quotusquisque vnum, aut alterum retineret ex illis: at diuites, vt loquitur Ammianus: *Agmina post se trahebant.* Vnus Pedanius Costa in Tacito *Quadringentos* seruos domi habuit; cum ab vno eorum est interfectus. Et Athenæus lib. 6. affirmat: *Quosdam Romanorum ad decem, aut viginti millia seruorum, nec vt quæstum ex eis facerent, sed vt assectas, aut subsequas eos modo haberent.* Vt ex his plures fuisse seruos quam liberos clare innotescat. Peregrinorum vero quam magna copia Romam aduentaret ex toto orbe, cum alij ex his inirent, & alij exirent; nec inde Roma creseeret, minueretur: Aristides dicit esse Romam velut *commune totius terræ oppidum.* Item, *Omnes gentes quasi vicatim diuisas ad hanc suam arcem conuenire: quæ numquam vlli se negat, sed vt terræ solum fert omnes, sic hæc omnes homines capit.* Fuit quoque Polemonis Sophistæ elogium apud Galenum: *Eadem Vrbs vrbium, quia videre in ea est omnes vrbes collocatas.* Et infra: *Deficiat non vnus dies, sed quotquot habet annus, si quis adnumerare conetur omnes vrbes in cælesti illa Vrbe positas: idque ob nimiam copiam: nam & totæ nationes illic simul, & confertim habitant; vt Cappadocum, Scytharum, Ponticorum, & aliarum complures.* Quod etiam ipse Seneca ad Heluiam Matrem inquit: *Aspice hanc frequentiam, cui vix Vrbis immensæ tecta sufficiunt: maxima pars illius turbæ patria caret, ex municipijs, ex colonijs suis, ex toto denique orbe confluxerunt.* Ad tot illas nationes, ex Athenæo, quæ incolebant, certæ erant regiones & concilia destinata. Sueton. in Iulij funere inquit: *In summo publico luctu, exterarum gentium multitudo, suo quæque more lamentata est.* Milites erant vlterius in præsidio Principis, aut Vrbis; ijs sui calones & honestioribus serui plures; & hos ad centena millia excreuisse. Erant quoque Palatini, ideſt, tota Principis aula, in qua tot officia, seu ministeria fuisse, vt ex antiquis lapidibus, seu scriptoribus habetur. Meretrices etiam & scorta vtriusque sexus ingentem numerum reddiderunt in Vrbe, in qua tot cœlibes & exteri absque vxoribus inhabitarent. Accedunt Gladiatores, Venatores, Scœnici, Quadrigarij, Xystici, multa millia fuerunt. At quoniam libertati ciuitas & iustitiæ studuit; ex concursu omnium gentium in dies amplior, populosiorque euasit: ex vno orbe facta est vna æterna Vrbs, regina terrarum & mundi vniuersi caput. B C D

Vnde suppeditatus cibus multitudini Romanæ?

Incidit autem difficultas ex prædictis; si tot millena hominum millia reperiebantur in hac Vrbe: vnde his cibus suppeditatus? Quoniam Orbis penè totus cum Vrbem vt suam metropolim adiret, eidem alimenta subministrasse non est ambigendum; vt inquit Seneca: *Cogitate hanc Vrbem, in qua*

per

A *per latissima itinera, sine intermissione defluens, eliditur: in qua consumitur, quidquid terris omnibus aratur.* De hac eadem frumentatione latius refert Aristides his verbis: *Mare per medium vestrum Imperium porrigitur, cui vndique amplæ regiones adiacent; necessaria pleraque vobis subministrantes: nam ex omni terra, marique quidquid vel anni tempora gignunt; vel regiones singulæ, fluuij, lacus, artesque item & ingenia, tum Græcorum, tum Barbarorum proferunt, id omne ad vos defertur. Itaque si quis talia omnia videre desiderat; is vel per totum orbem peregrinetur necesse est, vel in vestra ista Vrbe versetur. Quidquid enim apud alios vel crescit, vel conficitur, hic affluit & abundat. Tot autem & tantæ onerariæ naues singulis anni temporibus appelluntur, vt Vrbs communis quædam orbis officina videatur.* Ex quibus cognoscimus merces, copias, frumenta, fructus vndique in hanc Vrbem aduectas.

Caueant Principes non diffidere de necessarijs ad victum in benè disposita Republica; quoniam vbi concursus est Populi, illuc ex toto orbe per mare, per terras confluunt mercatores frumentum, & omnes alias merces B exponentes. *Consideratio.*

De Statuis, seu Simulacris. Cap. IX.

STatuæ à statuendo dictæ; & sunt simulacra, vel cerea, vel eburnea, vel marmorea, vel ex alia quacunque materia. Sueton. in Tiberio inquit: *Statuas atque imagines, nisi permittente se poni prohibuit.* Statuarum artem familiarem fuisse, & vetustam refert Plin. *Hercules ab Euandro sacratus in Foro Boario: & Ianus geminus à Numa Rege dicatus.* Cicero Philipp. 8. ait: *Maiores nostri statuas multis decreuerunt, sepulcra paucis.* Simulacrum, cum sit ficta alicuius imago; olim in principio ex desiderio mortuorum similia orta sunt, vt quæ desierant viuere, viderentur expressa.

C De Statuis apud Romanos incredibilis *Multitudo, Pretium & Species* extabat. Multitudo namque tanta fuit illarum; vt nullus publicus locus, vbi non hæc talia essent ornamenta. De origine & augumento earundem Cassiodor. lib. 7. his verbis: *Statuas primum Thusci in Italia inuenisse referuntur, quas amplexa posteritas penè parem populum Vrbi dedit, quam natura procreauit.* Nempe non minore copia factos ab arte illos homines, quam istos à natura; inde P. Victor in fine Descriptionis inquit: *Tabulæ, & signa sine numero.* Tale erat Romanorum studium in erigendis statuis; vt referat Dio lib. vlt. ibi: *Vrbs statuis implebatur, quia licebat cuique passim in tabula, ære, marmore se publicare, quod Claudius Imp. vetuit, & pleraque iam positas loco mouit, & alio transtulit, edixitque ne quis in posterum priuatus poneret, nisi Senatus permissu: excepto, si quod opus publicum faceret, reficeretue.* Coercere voluit Princeps ille, quia nimia iam statuarum copia Vrbem, vias, & vicos non aliter ornabat, sed stipabat & arctabat.

D Pretium statuarum ingens satis erat: etenim præter marmoreas & æreas infinitas; erant etiam argenteæ, aureæ, & eburneæ: argenteæ sub Augusto maximè increbuerunt, vt ex Sueton. cap. 13. & quamuis ille in hoc moderatus; superbo tamen arbitrio Domitianus, vt scripsit Sueton. *Statuas sibi in Capitolio, non nisi aureas, argenteasque poni permisit, & ponderis certi.* Et præter materiem, de pondere inquit Statius.

Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus.

Plinius etiam in Laudatione Traiani inquit: *Itaque tuam statuam in vestibulo Iouis Opt. Max. vnam alteramuè, & hanc æream, cernimus: at paulò ante aditus*

omnes, omnes gradus, totaque area; hinc auro; hinc argento relucebat, seu potius polluebatur; cum incesti Principis statuis permixta Deorum simulacra sorderent. A
Ac etiam pondere grauiores, vt de Commodo in Dionis compendio: *Statuam mille librarum auream habuit, cum Tauro, & Vacca, quasi Vrbis conditor.* Hinc discimus pondus grande in vtroque meliore metallo; quod crebrum omninò fuit, & crebrius etiam miscezi; & æs vel argentum inaurari. Ammianus de Romanis Nobilibus ait: *Ex his quidam ætenitati se commendari posse per statuas æstimantes, eas ardenter affectant atque auro curant imbracteari:* inauratas intelligit: quod aliquoties in lapidum titulis expressum legitur: *Sub auro statuam poni.* Circa pretium in huiusmodi statuis: non materia solum respiciebatur; verum & qualitas artificis, forma, & earundem antiquitas: vnde Horatius in sermon. *Insanit veteres statuas Damasippus emendo.* Hinc nos etiam addimus, non mirum videri, quod statuæ pleræque careant capitibus: quoniam capita facilius auferuntur, quam cæterum corpus: nam in vultu omnis decor, & gratia statuarum est: præterea ea pars fragilior est, & ad læsionem paratior; propterea etiam clanculum subripiuntur, aut emptæ B
aliò deferuntur.

Venerabantur, & adorabant ethnici Romani, & aliæ gentes statuas maximè Deorum; cum dæmones per illa responsa darent. D. Cyprianus de vanitate idololatriæ ibi: *Hi ergo spiritus sub statuis, atque imaginibus consecratis delitescunt, hi affatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant,* &c. Nec contemnendus quoque honor iam debitus principum statuis, ad quas tamquam ad asylum confugiebant. Sueton. in Tiber. cap. 53. ibi. *Ad statuam Augusti confugere.*

Species etiam variarum statuarum attendenda, ad opes Romanorũ cognoscendas: quarum quædam Colossææ, Curules, Equestres, Pedestres, & habitu variante & diuerso: & has statuas moris fuit Græcorum nudas ponere; vt animi ingenuitatem absque vllo palliamento indicarent; at vero Romani tunicatas collocare consueuerunt. Exprimebant quoque in statuis equos, leones, Sphinges, & varia animalia præter obeliscos & alia multa. De statuis vero satis multa scribit Plinius lib. 36. natur. hist. qui tradit Romæ simulacrum primum Cereri ex peculio Sp. Cassij, quem regnum affectantem pater ipsius interemit. C

Dubitatum à quibusdam, quare ex statuis illis argenteis & aureis Deorum & principum à transeuntibus aliquid abradere, & resecare de nocte in publicis vijs non potuerit? Sed præter in hoc capitis pœnam excubabat in Vrbe continuo miles vrbanus & vigilum ad templa, & loca item publica, ac etiam præfectus huic statuarum custodiæ; & qui militem haberet: & hic *Romana Comitiua* nuncupabatur: vt legitur in Cassiodoro lib. 7. his verbis: *Si clausis domibus insidiari solet nequissimum votum, quanto magis in Romana ciuitate videtur illici, qui in plateis pretiosum reperit, quod possit auferri? Nam quidam Populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum tali sunt tutela seruandi, quali & cura videntur affixi.* Et infra: *Quare per indictionem illam Comitiuæ Romanæ tibi concedimus dignitatem. Officium tuum & milites consuetos, noctibus potius inuigilare compelle: in die autem ciuitas se ipsa custodit.* Atque hic Comes Romanus Romam, & opera ipsius seruabat. D

Notandum in hoc statuarum argumento, quod tradunt aliqui, Diuum Gregorium magnum præcipuas Romæ statuas, & quidquid erat mirandi operis in Tyberim præcipitari iussisse, aut mutilari, & comminui, ne fideles à religione nuper instituta illa specie distraherentur: sed tale inuentum maleuoli, & historiarum ignari, sic de mendacio conuincitur, ex quo Constantius homo Græcus, perfidus, & nequam, postquam Romam die quinta est ingressus, omnes statuas ex ære, & marmore ad ornatum Vrbis positas distrahit, & nauibus ad id præparatis imponit: deinde quidquid superstitit, di-

re-

A repta Vrbe à Gothis, & alijs barbaris nationibus sublatum est; & quæ secum ferre nequierunt ornamenta, malignitate quadam, & sæuitia comminuta, & mutilata reliquerunt, vt refert Andreas Fulvius de antiquitatibus Vrbis lib. 4. pag. mihi 81.

Vt autem aliquo salutari monito hoc thema obsignemus; etiam ex Gentilium ruderibus, & statuarum seu obeliscorum fragmentis vtilia nobis colligi possunt; & digna, quæ sacris inserantur, & apponantur. Proferre hic possumus, quod è Iudæorum sapientibus quidam dixit; *Malogranatum inueni, interiora comedi, corticem abieci.* Et hoc maximè respexit D. Augustinus de vnico Baptismo contra Petilianum cap. 4. his verbis: *De ipsis Gentibus idolorumque cultoribus; multa vtique à nobis diuersitate distantibus: nihil aliud nobis demonstrat Apostolus, nisi vt ijs quoque quod prauum est, corrigamus; & quod fortè rectum est, approbemus: nam vtique idololatras redarguebat; vbi ait: Qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum:* B *dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Talia quippè nouimus fuisse simulacra Aegyptiorum, vbi instituta esse Idololatria perhibetur: talem scilicet fingentes Deū, qualis non est Deus, & non sicut eum cognouerunt, tradentes hominibus.* Et paulo post subdit: *Quod ergo immutauerunt in mendacium suum; Apostolus culpat, detestatur, euertit, quod autem verum in doctrina quamuis multis falsitatibus permixta, confusaque seruarunt; approbat, tenet, & affirmat.* Similiter & nos respuentes ac detestantes statuas, simulacra, & alia Gentium monumenta moribus, & dogmatibus Christianæ fidei contraria; approbemus & teneamus eorumdem Romanorum, Aegyptiorum, seu aliorum ethnicorum, quæ nobis proficua, & vtilia esse constant. *Consideratio.*

De Obeliscis. Cap. X.

C

QVoniam prisci Romani non minus de Obeliscis, quam de statuis soliciti fuere; illos etiam ex Aegypto tanto dispendio, & labore aduehendo; nos aliquid de prædictis referre, non erit ab instituto nostro argumento alienum.

Obelisci sunt lapides asperrimi, in figuram metæ cuiusdam sensim ad proceritatem consurgentes excelsam: vtque radium imitentur, gracilescentes paulisper, specie quadrata, in verticem producti angustum, innumeras notas hieroglyphicas habent; atque ad iam tum exorientis sapientiæ initia commonstranda ex veterum auctoritate adinuentas, vt refert Ammianus Marcellinus. Imitabantur in ijs Aegyptij radios Solis, quem ipsi adorabant, eidemque etiam illos dicauere: nec non ab ijsdem Solis radijs sumptum est nomen Obeliscus, diminutiuum verbi Obeli, quod Veru seu Acum significat, quamuis sint lapides excelsi, ex Herodot. in Euterp. & Bargæo de D Obelisco. Nec forsan in hoc satis dissimile est nomen Guglie sermone Italico, cum illud sit forsan desumptum à verbo Gallici idiomatis aguglie, quod acum denotat, quamuis alij credant hoc verbum Guglia processisse, quia in basi Vaticani Obelisci aliàs legebatur à rudioribus IVLIVS; at illi corrupto verbo nominauere Guglia, vt refert Mercatus de obeliscis cap. 1. *De Nomine.*

Præfatorum lapidum materia nominatur Granitum rubeum, nempe ex mixtione versicolori, tendente potissimum in rubeum colorem, necnon tenacissimæ firmitatis; ita vt, nisi difficile, frangi possit: nominatur hic lapis communiter à Græcis *Pyropœcilus*, ex Plinio lib. 36. cap. 8. quod idem sentit, ac versicolor in rubeum, quamuis ab alijs *Psaronium*, cum sit ille similis *Materia.*

ma-

maculis sturni, ex Plinio lib. 36. cap. 22. Thebaicus quoque lapis sic dictus A
à Thebaide Aegypti prouincia, sicuti etiam *Sienites* à Siene ciuitate eiusdem Thebaidis, apud quam extant adhuc voragines, ex quibus hic lapis excauabatur ad obeliscos extruendos, seu ingentes columnas elaborandas: & ex hinc per magnam fossam ducebantur ad Nilum versus Elephantinam ciuitatem, vt refert Herodot. in Euterp. & ex prædicto lapide solummodo elaboratos fuisse obeliscos, patet ex omnibus, quos adhuc videmus diuersæ etiam magnitudinis ab Aegypto Romam aduectos circiter quinquaginta, vt refert dictus Mercatus c. 3. Quare autem ex prædicto lapide solummodo extructi fuerint Obelisci? præter illius tenacitatem; videtur illius materia satis cõueniens ad exprimendam quoq; generationis materiam, in qua exercet Sol propriam virtutem, siquidem cum sit ille lapis compactus ex variis partibus versi-coloribus, quarũ plurimæ in colorem rubeum ad similitudinem elemẽti ignis; aliæ partes crystallini coloris sicuti aer, & aqua; cęteræ vero assimilãtur colori terræ: quæ omnia simul denotant mixtionẽ, quæ præcedit generationi; sicuti quoq; significãt multas, & varias res, quæ generantur, vt voluit Mercatus c. 8. B

Forma. Vnde autem Obeliscorum forma assimiletur radijs solaribus? Dicimus prædictos radios, quo magis erga nos extenduntur, eo amplius restringantur quasi coni figura, sicuti etiam obelisci: sed quamuis differant, quod obeliscus terminet *in acumen quadrum*, conus autem in formam circularem, sicuti alterum veru. Dicimus hoc expressisse Aegyptios, vt quadra obeliscorum forma solummodo responderet radijs Solis, non autem radijs cæterorum astrorum; quoniam Solis cursus continuò per quatuor anni tempora vertitur, nempe in Ver, Aestatem, Autumnum, & Hyemem, *quod non est* in cæteris astris. Secundo ea sit ratio, quoniam terrarum orbis illuminatur à Sole in quatuor partes, nempe in Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem; ex ijs expressere Aegyptij radios Solis in obeliscis forma quadra, vt differrent à radijs cæterorum astrorum circularibus: vnde ex Horoapolline lib. 1. Hieroglyphic. 5. volentes Aegyptij annum exprimere, quartum numerum exprimebant. C

Causæ extructionis. Quare autem Obelisci ab Aegyptijs fuerint fabrefacti? Dico, cum potissimum Aegyptij intenderent futura per iudiciariam astrologiam prægnoscere; vnde & Prophetæ nominabantur ipsorum Sacerdotes, ex Clemente Alexandrino lib. 1. propterea scalpendo ipsi prognostica in lapidibus magnificentissimis, ea *mysteriosis figuris* distinguendo, iuxta materiam, de qua tractabant, nempe ad Imperium spectantem, scalpebant ea in Obeliscis Soli dicatis, tanquam gubernatori, & dispensatori omnium viuentium: ijdemque hoc efficiebant, cum præuiderent qualitatem futurorum temporum circa corporum dispositionem, circa pestiferam contagionem, vt legitur apud Suidam in verbo Ioches, ac etiam confirmatur à Galeno lib. 5. de corpor. medic. & lib. 6. epidem. Sic etiam Hieroglyphicæ notæ in basibus Sphingium admonebant futura de Nili inundatione, sicuti de fertilitate, &c. & hæc sunt, quæ intellexit Plinius lib. 36. c. 9. continere Obeliscos inscriptos rerum naturæ interpretationem.

Obelisci etiam ante diluuium scalpti. Præterea cum Aegyptij ex Astris prægnoscerent futuram orbis submersionem ex Noë diluuio futuram, ijdem inde hieroglyphicis & alijs eorum characteribus fabricarunt & scalpserunt etiam in Obeliscis mysticam ipsorum Theologiam & Philosophiam, vt contra iniurias Noetici diluuij illæ perpetuarentur scientiæ: sicuti ex Arabum antiquissimis manuscriptis retulit mihi eruditissimus P. Athanasius Kircherius, à me propter reconditas eius scientias in maxima admiratione habitus. Nec improbabiles debent videri huiusmodi Aegyptiorum conatus ad eorum arcanas scientias perpetuandas; siquidem simile legitur etiam apud Iosephum Hebræum historiarum lib. 1. c. 3. *in fin.* his verbis: *Seth nepotes post se sui similes reliquit, qui quoniam erant om-* D

nes

A *nes bona indole præditi*. Et infra: *Syderalem scientiam, ac cælestium rerum cognitionem excogitarunt, ne autè inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent quam dignoscerentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum præcinuisse: vnum incendio, diluuio alterum, extitatis duabus columnis, vtrique sua inuenta inscripserunt; vt si lateritiam diluuio deleri contingerent, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet: aiunt enim lapideam illam ab ipsis dedicatam, quæ & nostris temporibus extat in terra Syria, &c.* Hæc, quæ apud Iosephum scripta leguntur, recitantur similiter à Dionysio Carthusiano art. 29. in cap. 4. Genes. Erigebantur etiam Obelisci in consecrationem alicuius viri Illustris, seu proprij Regis affinis, vt in Obelisco Semnisertei; sicut etiam colore. Religionis in honorem Solis exprimebant Potestatem Imperij, Victorias consecutas, magnitudinem tributorum, & cætera, vnde gloriam reportarent: non defuere tamen, qui fastum respuentes, & vanam gloriam, dicarunt etiam illos Soli absque vllis hieroglyphicis characteribus.

B Differebant inter se Obelisci magnitudine, quod proueniebat ex facultatibus eorundem auctoris Principis, aut priuati, quod ille esset; seu ex temporum varietate, quod sic seruaretur.

De eorundem Obeliscorum inuentoribus refert Plin. lib. 36. capit. 8. *Primus omnium id instituit Mitres, qui in Solis vrbe*, nempe Heliopoli, *regnabat, somnio iussus, & hoc ipsum inscriptum est in eo*. Quamuis ab Eusebio in Chronico non appelletur Mitres, sed Mephres, seu Mesphres, cum constet de corruptione diuersorum exemplarium ex Iosepho lib. 1. contra Appion. Euseb. in Chronic. & alijs. Quod autem scribit Plinius de prædicto somnio, fuit hoc figmentum, vt Obeliscorum inuentio, tanquam quid diuinum esset auctoritatis apud posteros, sicuti plurimis dein Regibus vsque ad exterminium Cambysis id fuit exemplar in aliorum similium extructionem. Ab inuentione autem prædictorum Obeliscorum vsque in præsens tempus transierunt circiter 3200. anni, ex Mercato cap. 12. *Mitres*.

C Post Mitrem, qui Obeliscos inuenit, vt inquit Plinius lib. 36. capit. 8. *Sochis quatuor numero quadragenum octonum cubitorum longitudine. Ramises autem is, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum*. Et hunc Ramisem fuisse filium, & successorem potentiæ Sochis indubitatum apud Iosephum, & alios: & extruxit hic Ramises alios quinque Obeliscos, ex Plinio dicto c. 8. & 9 lib. 36. quorum quatuor non amplius quadraginta cubitorum, quintum verò tantæ altitudinis, vt nec à præcedentibus, nec à subsequentibus Regibus similis fuerit vnquam erectus: *In hoc opere*, inquit idem Plinius cap. 9. *elaborasse viginti hominum millia; & ipse Rex cum esset illum subrecturus in Thebis ciuitate prope Nilum, vereretur que, ne machinæ ponderi non sufficerent, quo maius periculum curæ artificum denunciaret, filium suum adalligauit cacumini, vt salus eius apud molientes prodesset lapidi*. Hunc eumdem Obeliscum refert Diodorus lib. 3. fuisse adnumeratum inter septem mundi mirabilia; ac vt refert Constantius magni Constantini filius in inscriptione, quam posuit, & adhuc visitur in basi prædicti Obelisci, his verbis: *Et quod* D *nulla tulit tellus, nec viderat ætas*. Hic Obeliscus ille est, quem felicis recordationis Sixtus Quintus Pontifex Maximus erexit ante Lateranensem Basilicam, vt supra illum extolleret salutiferum Crucis signum, & nostræ Religionis trophæum. *Sochis, & Ramises*.

Sesostris Aegypti Rex, qui extitit regnante Salomone, vt habetur 3. Regum cap. 11. his verbis: *Voluit autem Salomon interficere Ieroboam, qui surrexit, & aufugit in Aegyptum ad Sesac Regem Aegypti, & fuit in Aegypto vsque ad mortem Salomonis*. Fuit siquidem Sesac idem, qui Sesostris, vt ex præcipuis litteris, quæ reperiuntur in vtrisque verbis, vt etiam à Diodoro Seoosis, & à Plinio Sesosis, & Sesochis nominatur. Hic Rex Sesostris post ingen- *Sesostris*.

tes

tes victorias reuersus in Aegyptum inter illustria, & mirabilia destinauit, & coepit simul iungere mare Rubeum, & Mediterraneum, vt ex Arist. Meteororum lib. 1. Præterea scribit Diodorus lib. 1. ab hoc eodem Sesostre duos fuisse extructos Obeliscos, vtrumque altitudinis centum viginti cubitorum, de quibus alterum refert Plinius lib. 36. cap. 9. in fine, fuisse Romam aduectum ab Augusto, & in campo Martio erectum: & ab Vrbe Heliopoli ante exportatum voluit Diodorus: nec non idem scribit, feciſſe Sesostrem in prædictis inscribi ipsius potentiam, cum tot consecutis victorijs superbus deueniſſet, quamuis velit Plinius fuisse in illis scriptam Aegyptiorum philosophiam. A

Nuncoreus. Nuncoreus filius Sesostris, postquam à libidinibus sobrius deuenit, & continens; obtulit plurima dona templis diuersis, & præsertim Heliopoli obtulit Soli duos Obeliscos excelsæ magnitudinis, quos extrui fecit absque vlla Hieroglyphicorum characterum sculptura, vt hic Romæ ex ijs duobus alterum in Vaticano videmus à Caio Imperatore Romam aduectum. Quare autem fuerit absque notis hieroglyphicis extructum? Credimus, quoniam, scientiæ, ad quæ Hieroglyphica inseruiebant, iam fuerant diminutæ. Altitudo prædictorum Obeliscorum Nuncorei, vt refertur ab Herodoto, Diodoro, & Plinio, erat centum cubitorum, quamuis hodie constet non eiusdem esse magnitudinis, quem habemus in Vaticano, sed hunc fuisse diminutum sexdecim cubitis: vnde Plinius de hoc ipso inquit: *Ex omnibus vnus fractus est in molitione.* Et hunc forsan tempore Nuncorei, quando ipse fortè illum erigere fecit, non autem tempore Caij, vt ex verbis, quæ subsequitur Plinius: *Quem fecerat Sesostridis filius Nuncoreus.* B

Smarres. Annis ducentis post Nuncoreum elapsis, regnauit in Aegypto Smarres, qui ab Euseb. in Chron. Merres Aethiops nominatur, vixit tempore Manassis annis 690. ante Christi natiuitatem. Scribit de prædicto Plinius dicto cap. 9. his verbis: *Sunt & alij duo Obelisci, vnus à Smarre positus; alter ab Eraphio sine notis quadragenum octonum cubitorũ:* non legitur apud auctores, vbi illum erexerit Smarres, Romam autem ambos aduectos, & in Mausoleo Augusti collocatos, quorum vnus dicti Smarris ille est, qui modo ante Ecclesiam sanctæ Mariæ Maioris visitur, cum sit absque notis, nec non eiusdem mensuræ cubitorum quadraginta octo. C

Nectabis. Regnauit deinde Nectabis, seu Nechao in Aegypto ante Christi aduentum annis sexcentis & duodecim. Hic circa confinia Babyloniæ vicit, & occidit Iosiam regem Iudæ, reduxitque totam Iudæam tribus mensibus sub ditione sua, & cum peruenisset Hierusalem, priuauit Imperio Ioacham, in quod successerat post mortem Iosiæ patris, refert Herodot. in Euterp. & pluries in sacro textu, Regum lib. 4. cap. 23. Paralipom. lib. 2. cap. 35. Esdr. lib. 3. cap. 1. Ierem. cap. 46. Reuersus post victoriam Nectabis in Aegyptum iuxta morem Sesostris, & aliorum extruxit Obeliscos in memoriam victoriæ. Plinius dicto lib. 36. cap. 9. inquit: *Alexandriæ statuit vnum octoginta cubitorum Ptolemæus Philadelphus, quem exciderat Nectabis rex, purum, manusque opus fuit in deuehendo, statuendoque, quam in excidendo.* Erexit dictum Obeliscum Ptolemæus Alexandriæ trecentis viginti quinque annis post mortem Nectabis, vt voluit Mercatus cap. 17. D

Aphries. Aphries, seu Ephrees nepos dicti Nectabis regnauit in Aegypto ante Christum natum annis quingentis nonagintaquinque: septimo Regni sui anno capta est Hierusalem à Nabucdonosor, qui captiuos in Babyloniam duxit Iudæos; ex ijs tamen plurimi in Aegyptum fugerunt, protegente illos Ephree contra Dei præceptum, & propterea minatus est Deus flagella non solum fugitiuis, verum & ipsi regi Ephree, ex Ierem. cap, 44. his verbis: *Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Aegypti inmanu inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius, sicut tradidi Sedeciam regem Iudæ in manu Nabuc-*

A *bucdonosor i regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam eius:* etenim dictus Ephrees trigesimo Imperij sui anno proditorie occisus fuit ab Amasi exercitus sui Duce, qui in Imperium successit, ex Herodoto in Euterp. & Diodor. lib. 1. Erexit dictus Ephrees Obeliscum similem alteri Smarris cubitorum quadraginta octo, absque hieroglyphicis notis, & hic vnus ex ijs reputatur, iam in Mausoleo Augusti erectis, vt apud Plinium dicto cap. 9. à quo per errorem dictus rex non Ephrees, sed Eraphius nominatur.

Fuit Samniserteus rex, qui ab Herodoto in Euterp. Psammenitus; hic fi- *Samniserteus.*
lius Amasis, & postremus in Aegypto regnauit; sed cum paulo post obitum Amasis aduenerit Cambyses ad destruendam Aegyptum, supponendum ex hoc, nec Obeliscos, nec aliud quippiam insigne potuisse perfici per Samniserteum, sed quod viuente adhuc patre Amase in senectute extrema Samni-
B serteus extrui fecerit Obeliscum, quem Augustus deinde Romam adduxit, & in Circo Maximo collocauit, vt ex Plinio dicto cap. 9. his verbis: *Is autem Obeliscus, quem Diuus Augustus in Circo Magno statuit, excisus est à rege Samniserteo, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, centum viginti quinque pedum, & dodrantis, præter basim eiusdem lapidis: is vero, qui est in Campo Martio nouem pedibus minor à Sesostride; inscripti ambo rerum naturæ interpretationem Aegyptiorum opera philosophiæ continent.* Fuit hic annus quingentesimus vigesimus primus ante Redemptoris nostri aduentum. Quamuis desueuissent precedentibus seculis inscribere Obeliscos hieroglyphicis notis, vt diximus. Voluit tamen hic rex iterum apponere illas in Obeliscis, quoniam cum illius pater Amasis ignobili esset genere natus, ex Herodot. in Euterp. sibi persuasit ipse Samniserteus rex nobilitatem assumere, demonstrando propriam
C originem à Rhamse celeberrimo Aegypti rege; & propterea Obeliscum Soli dicauit nomine dicti Rhamsis, attributis illi in consecratione titulis, & prærogatiuis, ijsdemque hieroglyphicis notis exaratis.

Ammianus Marcellinus lib. 17. refert partem explicationis hieroglyphicarum notarum in prædicto Obelisco Samniserteo, & inquit eam transumpsisse ex libro Hermaphionis, qui forsan illam à Sacerdotibus Aegyptijs receperat, seu quod vixerat ille Hermaphio tempore, quo prædictæ notæ scribebantur: & eandem notarum explicationem, necnon earundem declarationem refert Mercatus dicto tractatu de Obeliscis cap. 19. & seq.

Erectis in Aegypto prædictis Obeliscis, vt diximus, Cambyses Persarum *Diruti a Cambyse Obelisci.*
rex in Aegyptum transiens septimo Imperij sui anno, nempe quingentesimo vigesimo primo ante Christum natum, totum illud regnum deuastauit, vt sæpius vaticinauerunt Ieremias cap. 43. 44. & 46. Ezechiel. cap. 29. 30. & 31. & seq. necnon etiam Isaias cap. 19. & 20. his verbis: *Tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum.* Ex cuius euersione
D diruti sunt Obelisci, quod demonstratur iam ante prænunciatum à Propheta Ieremia cap. 43. *Conteret statuas domus Solis, quæ sunt in terra Aegypti, & delubra deorum Aegyptiorum.* Nec ambigendum, quin statuæ domus Solis essent Obelisci, qui repræsentabant radios Solis, & erigebantur in loco eiusdem Templi aperto. Scribit Strabo lib. 17. de hac euersione Obeliscorum Heliopoli in Aegypto patrata per Cambysem, quorum duo ab igne satis combusti Romam aducti fuerunt: eosdem Obeliscos dirutos refert vidisse Thebis Ammianus Marellinus lib. 17. Plinius vero lib. 36. cap. 9. inquit, quod Cambyses, cum Thebas expugnaret, obstupefactus magnitudine molis à Ramise extructæ, iussit ignem extingui, ne illa incendio absumeretur, quamuis nullam vrbis miserationem habuisset.

Mortuo Cambyse perseuerarunt in Aegypto spatio centum nonaginta quinque annorum bella, & seditiones vsque ad Alexandrum Macedonem, qui subacto Dario vltimo Persarum rege obtinuit omnia à Dario possessa, sicuti & Aegyptum, vbi Alexandriam à proprio nomine extruxit,

trecentis viginti octo annis ante Christum natum, quæ postea Macedonum fuit Regia vsque ad Augustum, qui Aegyptum in ditionem Romanorum redegit. Inter Macedones tertius fuit Ptolemæus Philadelphus, qui inter egregios illius animi sensus, Bibliothecam insignem collegit ex auctoribus omnibus, qui illa ætate poterant inueniri, inter quos, vt & sacram Scripturam haberet, liberalissimè erga Hebræos se præbuit; quæ tunc primum ab Hebræo in Græcum idioma per Septuaginta duos Interpretes fuit traducta; duobus & septuaginta annis ante Christi natiuitatem. Idem Ptolemæus pariter erexit dirutos à Cambyse Obeliscos; & vnum regis Nectabis Alexandriæ in templo Arsinois vxoris suæ collocauit, Plinius dicto cap. 9. A

Romanis autem in Aegyptum ingressis ex omnibus ab illis Regibus gestis, Obeliscos solummodo sunt æmulati; illosque Romam (vt inquit Plinius dicto cap. 9. Sueton. in Claudio, & Ammianus lib. 17.) per mare aduehendo supra naues satis planas, quarum duæ simul catenis compactæ ducebant vnumquemque Obeliscum per flumina Nili, & Tiberis; in mari vero inferiebant aliæ naues, quæ altiores, & profundiores essent, vt refert Ammianus dicto lib. 17. quod nauis, qua Constantius vexit Romam Obeliscum Lateranensem, fuerit ita grandis, vt nec antea, nec postea visa fuerit similis in Nilo, nec in Tiberi trecentorum remorum, quæ per Nilum vehebatur exuberante aqua mensibus Iulij, & Augusti. B

Augustus igitur primus fuit ex Romanis Imperatoribus, qui Romam duos ex maioribus Aegypti Obeliscos aduexit à ciuitate Heliopoli anno vigesimo secundo ante Christi ortum, quorum vnus Semnesertei in Circo Maximo erectus, & Sesostris alter ab eodem Augusto in Campo Martio positus, ac vtrumque illorum idem Augustus Soli consecrauit; sicuti etiam Circus, in quo primus fuit positus, symbolum erat mundi, qui à Sole circumdatur: & quamuis locus in Campo Martio, vbi alter Obeliscus Sesostris fuit collocatus, non esset Soli dicatus, nihilominus ad Solis mirandum vsum ibi accommodatus extitit, vt Solis vmbræ dierum, ac noctium magnitudinem ostenderent: quale opus tamen suo tempore defeciisse refert Plin. lib. 36. cap. 10. C

Hic autem Obeliscus ad Horologij vsum reperitur etiam hodie ad radices montis Citorij sub palatio, & domibus adiacentibus Excel. D. Ducis Poli ex nobilissima de Comitibus Romana familia, vt retulit mihi testis oculatus prædictus P. Athanasius Kircherius.

Caius Imperator in Circo Vaticano à se extructo, cum vellet ibi Obeliscum apponere, aduexit Romam post Christum natum anno quadragesimo primo vnum ex duobus Obeliscis à Nuncoreo elaboratis, quamuis ante fractus fuisset, vt diximus, & refert Plinius cap. 11. lib. 36. eumque consecrauit Augusto, & Tiberio parentibus, & in Imperio prædecessoribus, vt legitur in inscriptione per ipsum Caium ibi apposita.

Post Caij Imperium aduecti Romam fuere quadraginta quatuor Obelisci diuersę magnitudinis, notis hieroglyphicis fere omnes inciſi, ac in varijs Vrbis partibus collocati, & ij à diuersis aduecti, quorum ignoratur nomen, ex quibus duo in Mausoleo Augusti erecti ab Imperatoribus subsecutis, refert P. Victor. de Regionibus Vrbis, & alter in Hortis Sallustij, inquit Ammianus Marcellinus lib. 17. his verbis: *Secutæque ætates alios transtulerunt, quorum vnus in Vaticano, alter in Hortis Sallustij, duo in Augusti monumento erecti sunt.* D

Quamuis satis probabile sit hos duos in Augusti Mausoleo prope Tiberim à Claudio aduectos Romam, ibidemque vnus sit erectus, & ab eodem Claudio alter erectus in Sallustij Hortis, refert Mercatus cap. 27. & 28. ac etiam ex prædictis quadraginta duobus Obeliscis, creditur etiam fuisse illos, qui in Circo Floræ, & in Circo Caracallæ fuere, inquit Mercatus cap. 29.

Magnus Constantinus Thebis aduexit Alexandriam Obeliscum, quem rex Ramises extruxerat, cum decreuisset illum Constantinopoli erigere in

Circo

A Circo, quem ibi extruxerat, sed morte præuentus Constantinus remansit in portu Alexandriæ dictus Obeliscus, donec Constantius filius secuta diuisione inter fratres, plurimis elapsis annis, illorumque morte secuta, ac Tyrannis debellatis; cum dictus Constantius Romam adueniisset, ibidem que triumphasset, ad augendam sibi gloriam, Alexandria Romam adnexit Obeliscum, quem ibi pater Constantinus reliquerat, & in Circo Maximo eundem magna pompa collocauit; de cuius erectione maximè dubitarunt artifices, vt refert Ammianus Marcellinus lib. 17. Theodosius Imperator deinde in Circum Constantinopol. ex Aegypto alium Obeliscum aduexit, ibidemque reposuit, sicut Magnus Constantinus iam destinauerat, vt refert Mercatus capit. 34.

Erectis Romæ Obeliscis, vt vidimus, iterum illi diruti fuere, & hoc non casu, seu fortuito incendio, vel terrarum motu, sed data opera. Credidere aliqui hoc à summis Pontificibus Christianis zelo Religionis peractũ, qui de- *A Gothis secundo confracti.*
B struentes Circos cum omnibus suis ornamentis, euerterint etiam Obeliscos, sicuti à sanctis Patribus reprehenduntur spectacula Circensia, & Equestria, quæ in Circo repræsentabantur, vt ex sancto Cypriano, & Tertulliano in lib. de Spectaculis, & Prudentius, vt penitus tales ludi tollerentur, hortatur Honorium: *Tu mores miserorum hominum prohibeto latari*. Quod executus est Honorius, quamuis Arcadius & Honorius permiserint solum, quæ in Circo & Theatris agebantur: *Ne nimia tristitia in Populo generaretur*, affirmat Theodoretus cap. 26. lib. 5. Deinde in Concilio Constantinopolitano generali anno 681. Can. 66. omnia spectaculorum genera diebus festis fuerunt prohibita. Demum Romæ propter eiusdem Vrbis vastationem & desolationem penitus remanserunt abolita spectacula: etenim spatio annorum quinquaginta septem Roma orbis dominatrix ter violenter capta, & direpta fuit à Barbaris; primum à Genserico Rege Gothorum, anno Christi 412. Secundò Valentiniano mortuo, anno 456. capta iterum, & crudelius direpta à Rege Vvandalorum, qui secum adduxerunt in Africam Eudoxiam Im-
C peratricem Valentiniani viduam, vna cum immenso populo captiuo: & duodecim elapsis annis, tertiò direpta à Ricimero Sueno, qui Valentiniani duxerat alias exercitum; respirauit nihilominus deinde Roma sub Theodorico Gotho, à quo etiam restaurata fuere spectacula, & alia insigniora ædificia, vt Cassiodor. lib. 3. in epist. ad Faustum Præpositum.

At vero postquam Iustinianus Imperator Vrbem à Gothorum dominio recuperauit; à Totila eorundem Gothorum Rege eadem quartò crudeliter bis capta, & penitus desolata remansit anno 547. vt omnibus habitatoribus vacua remanserit, refert id Procopius lib. 3. de Bello Gothorum, & de hac eadem desolatione Leonardus Aretinus sic scribit: *Itaque insurgens Totila mirabili crudelitate mœnia Romæ pluribus in locis ad solum euertit: fuit autem illa, quæ euersa est, tertia pars totius ambitus murorum; Capitolium deinde incendit; circa Forum, & Suburram, & viam Sacram omnia conflagrarunt: fumabat Quirinalis, mons Auentinus flammam incendij euomebat: fragor ruentium domorum vbique audiebatur*. Ex tunc de spectaculis, seu alijs pompis
D Vrbis non amplius penitus actum: siquidem anno 589. eandem etiam Longobardi obsederunt, quamuis tunc non fuerit capta: fuit nihilominus deinde bis à Saracenis direpta, nempe anno 829. item anno 845. & sic varijs seditionibus depressa remansit vsque ad Caroli Magni Imperatoris aduentum.

Hinc clarè constat Gothos, & barbaras alias nationes in tam longa Vrbis vastatione; ipsas, non autem summos Pontifices deuastasse Obeliscos in Circis inclusos. Tantaque rabie eosdem Barbaros inarsisse, ne vllo vnquam tempore amplius erigerentur Obelisci; vt in eorundem extremitate ferro, aut igni diruti, seu combusti plerique illorum adhuc appareant; quamuis à sum-

mis Pontificibus modò reſtaurati, & erecti, ac barbarorum conatus deluſi, & irriti remanſerint. Præterea nec omnes Obeliſci erant intra Circos, ſed ex ijs plerique in campo Martio, in Mauſoleo Auguſti, & hortis Salluſtij, ac in alijs Vrbis partibus reperiebantur erecti; & ille Vaticani Obeliſcus, quem ex omnibus vnicum adhuc integrum videmus; ante alios omnes à Pontificibus fuiſſet confractus, quando hoc illi egiſſent, vt tollerentur ſpectacula; cum hic in Circo Vaticano eſſet erectus. A

Addimus etiam prædictis: à tempore iam debellationis & deuaſtationis Aegyptiacæ per Cambyſem Perſarum Regem, eorumdem Aegyptiorum hieroglyphica, cæteroſque characteres in totalem obliuionem inde redditos; adeo vt ipſe Cambyſes maxime etiam inſteterit ad occiſionem illorum Sacerdotum, qui de prædictis præcipuè callebant: & de ſcriptoribus à nobis cognitis Pythagoras & Plato poſtremi de prædictis fuerint eruditi: ſiquidem ſapientiſſimus Ariſtoteles teſtatur ſuo æuo eorundem ignorationem in tractatu de Theologia, ſiue Philoſophia ſecundum Aegyptios lib. 14. c. 14. his verbis: *Conceptus animorum acceptos ſcribebant in lapidibus per figuras: idem in omnibus ſcientijs artibuſque facientes: quas locabant in templis tamquam paginas perlegendas, taleſque aderant libri eis vtenſiles.* Et infra: *Quale optimum fuit pulcherrimumque documentum: per quod vtinam etiam indicaretur, qua ratione attingerent formas illas mirandas & abſconditas; ſic enim illorum ſacramentum eſſet laude dignius, qualis conditio paucis viris contigit.* Et nihilominus Reu. P. Athanaſius Kircherius Fuldenſis Societatis Ieſu in Mathematicis, & Aſiaticis idiomatibus peritiſſimus: ipſe hodie prodigiosè & omnium gentium ſtupore prædictorum hieroglyphicorum, & characterum Aegyptiorum reſtaurator & interpres deuenit, potiſſima cognitione antiquiſſimorum, & reconditorum Arabum manuſcriptis. B

Ignorata adhuc hieroglyphica per Kircherium hodie interpretata.

Denique quomodo hic Romæ Aegyptiorum Obeliſci fuerint noſtris temporibus erecti: videbimus infra in Cap. 22. de Vrbis reſtauratione per Sixtum Quintum, & Sanctiſſimum Noſtrum Innocentium Decimum.

C

De Columnis in Vrbe. Cap. XI.

INter varia, eaque præclariſſima Romanæ magnificentiæ monumenta, quæ vel temporis ictus, vel hoſtiles barbarorum furores euaſere, extant adhuc integræ excelſæ magnitudinis columnæ diuerſorum generum ſcalptæ, & ex remotiſſimis Orbis partibus ab Imperatoribus Romam aduectæ: quas etiam in Pantheon, in Baſilicis Apoſtolorum Petri & Pauli, & alijs pluribus antiquis Vrbis templis erectas adhuc videmus. Atque illas in vſum ſepulcrorum erectas conſtat ex lib. Machab. cap. 18. verſ. 27. vbi habetur quod Simeon ſupra ſepulcrum quatuor fratribus *circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma ad memoriam æternam, &c.* Idque ſuo tempore factitatum refert Homer. Iliad. 16. D

Ibi ipſum ſepeliunt fratreſque ciueſque
Monumentoque, columnaque: Hic enim
Honor eſt mortuorum.

Et nobilibus columnas poſitas notauit Seruius 8. Aeneid. ibi: *Columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur ad oſtendendum eorum columen.*

Sed præter columnas præfatas, ex grandioribus ſtiriatam, & à Paulo V. Pont. Max. ex ruinis Pacis templi erutam, & ante Liberianam Baſilicam annis præteritis erectam; in cuius vertice Deiparæ ex ære extat collocata Imago: ſi quæ principem locum obtinere merentur inter illas, & molis inſania,

A sania, & artificij nobilitate clariſſimas: quibus nihil vnquam Roma nec admirabilius, neque magnificentius erexit, Traianividelicet, atque Antonini Imperatorum columnas illas etiam hodie videmus, in quarum verticibus quamuis olim Roma eorumdem Imperatorum collocatas veneraretur imagines; Sixti tamen Quinti Pont. Max. eximia pietas, eas dignioriſecit pondere nobiliores: quippe qui Antoninam D. Pauli; Traianam vero D. Petri ſacris imaginibus decorauit.

Hanc igitur Traiani columnam deſcripſerat olim Iulius Romanus pictor egregius, eamdemque deſcriptionem inde ſecutus Mutianus, Alfonſo Ciacono eruditiſſimo viro viam aperuit ad ea exponenda Latinè ab ipſis hiſtoriarum penetrabilibus, atque antiquitatis vilceribus, quæ in opere tam ſpiſſo, & vario continentur: demum Franciſcus Villamena inſignis excuſſor eaſdem tabulas depoſitas iam, & planè deiectas ad communem omnium vtilitatem, non tam ab interitu vindicauit, quam in lucem euocauit. In ijs etenim omnes omnino Romanorum mores, militum fortitudo ac diſciplina, *Traiani columnæ.*

B Imperatorum victoriæ, Sacerdotum religio, varia pugnantium genera, Vrbium oppugnationes, expugnationeſque, omnia denique militiæ munera reperiuntur expreſſa. Sed & hanc columnam tanta artificij præſtantia perfectam, eiuſque pulcherrimas olim imagines, non ſolum pictores totius terrarum orbis nobiliſſimi ad ſuorum operum ornamenta ſunt imitati, ſed etiam (quod grauius eſt) eximiæ pulchritudinis eiuſdem fama permotus Franciſcus ipſe Primus Galliæ Rex glorioſiſſimus, vniuerſam deſcribi, eiuſque formas diligenter effingi iuſſit, quò deinde ſibi perſimilis ænea funderetur in Gallia.

Columnam hanc marmoream cochlidem Romæ in medio Traiani Foro erectam, nunc etiam extantem cxxviij. ped. altam, ad cuius faſtigium per clxxxiv. gradus conſcenditur, lucem feneſtrellis xliij. miniſtrantibus: S. P. Q. R. Traiano Auguſto bellis Aſiaticis implicito dicauit. In cuius extima ſuperficie reperitur expreſſum, quidquid optimus Princeps gemina in Dacos expeditione contra Decebalum Regem præclarè, & feliciter geſſit. *Columna Traiani intima & extima frontis orthographia.*

C Quam licet morte præuentus non viderit, ipſius tamen cineres in Vrbem relati, intra auream pilam in eiuſdem fuere ſummitate reconditi. Conſtat tota huius columnæ moles ex xxxiij. marmoreis lapidibus ſtupendæ magnitudinis: Romanæ vtique potentiæ & ſplendoris argumentum; & moles adeo ſumptuoſa, quæ cum Memphiticis pyramidibus facile certare poſſet. Longitudinem huius columnæ, licet cxl. ped. Eutropius & Caſſiodorus prodant, Publius tamen Victor aliam fortaſsè rationem menſuræ ſecutus, cxxviij. non excedere tradit, quod & nunc etiam deprehenſum eſt: gradus autem & feneſtrellas, non vt ipſe Victor, ſed vt nos ſupra retulimus, adhuc etiam extare comperimus. Baſis autem in ſingula latera xx. ped. Rom. habent, id-eſt ſimul lxxx. vt exacta menſura deprehenſum eſt.

In baſi quoquòuerſum huius marmoreæ columnæ trophæa inſculpta ſunt, ſuperatis hoſtibus parta, inter quas viſuntur labarum, ſigna draconum, tubæ, tunicæ, paludamenta, Dacorum genti propria, galeæ, loricæ, thora-

D ces, ſcuta, clypei, haſtæ, gladij, acinaces, pugiones, clauæ, ſecures, falces, militares arcus, pharetræ, & ſagittæ; Aquilæ ſigna Romani exercitus felicia trophæis ſuperſtant: quarum ductu & auſpicijs victoriæ partæ, hoſtibuſque præda adempta. Hæ ſertum ex quercu factum, vnguibus tenent, ex quo corona ciuica in circulum contorqueri poſſet, caputque victoris redimiri, vittis vtrimque pendentibus, quibus ad ſinciput alligaretur. Qua ſemel accepta perpetuò vti licebat.

Columnam hanc à S. P. Q. R. & ipſius etiam ſumptibus erectam expreſsè profitetur antiqua columnæ ſuperaddita inſcriptio; quamquam Dio Caſſius Græcus auctor diuerſimodè ſenſerit: cumque id acciderit xvij Traiani

plebis

plebis Tribunatu, liquet eius Imperij anno 17. fuisse dicatam: totidem namque annos Tribunitia potestate Cæsares functi, quot Imperio præfuere. Quo certè tempore Traianus Italia aberat Parthico, & Armeniaco bellis distentus: inciderat namque in annum ab V.C. 867. Christi autem 115. Coss. Minnio Hasta, & P. Manilio Vopisco, ex Panuini fastis. A

Simulacra in hac Traiani marmorea Columna incisa, parum à superficie eminent, duorumque circiter pedum longitudinis existunt: sed quo magis à basi versus capitulum procedunt, eo grandiora euadunt: adeo vt quæ capitellum proximè pertingant, eandem quam inferiora magnitudinem fermè ostentent, quod dupla ijs proportione respondeant.

Traiani Augusti Forum, in cuius medio hæc Hetrusco opere Columna eminebat inter Capitolium, collem Quirinalem, & Forum Neruæ, ab Apollodoro peritissimo artifice tecto æneo superimposito, extructum fuit. In quo palatium Traiani vario ex marmore, statuis & picturis ornatum; gymnasium, bibliotheca, arcus triumphalis ob superatos Dacos, & Sarmatas (cuius pulcherrima ornamenta, mira artificum manu elaborata, in alterum B posteà triumphalem arcum Constantino Magno ob superatum Maxentium tyrannum erectum, translata fuere: quæ nunc extant.) Erant quoque in dicto Traiani Foro porticus amplissimis excelsisque opere Corinthiaco columnis, magnis epistylijs adiunctis, statua equestris ipsius Traiani in medio porticus atrio, columnis altissimis superposita. Huc à plerisque Cæsaribus illustrium hominum statuæ translatæ, non paucis dicatæ, inter quas etiam Claudiani Poetæ insignis fuit. In huius Fori ruinis Symmachus Romanus Pontifex ædem D. Basilio sacram construxit; sicuti & Bonifacius Octauus tres turres excelsas superædificauit: harum rerum auctores existunt Dio Cassius in Vita Traiani, Ammianus Marcellinus lib. 16. A. Gellius lib. 13. cap. 23. Blondus lib. 3. Romæ instauratæ Marlianus lib. 3. cap. 13.

Celebris hæc Traiani Columna in fastigio Colossum habuit superimpositum, idest, statuam ipsius Traiani immodicæ proceritatis erectam; cuius rei fidem faciunt eiusdem, qui visuntur, nummi. Erat autem statua paludata, thoracata, & ocreata: orbem seu pilam auream tenebat in dextera, C intra quam ipsius cineres reconditi asseruabantur; & sceptrum in sinistra. Statua autem hæc vel à barbaris Vrbem vastantibus demolita, vel tempestatis vi deiecta: nam illius caput, cum basis ruderibus purgaretur, repertum; & in ædes q. Cardinalis de Valle, translatum: pedes autem fastigio Columnæ adhærentes adhuc visuntur. Fuit autem Colossus hic longus pedes Romanos 21. nam caput à vertice ad mentum duorum pedum, quatuor vnciarum extitit, quod nona totius corporis pars esse solet. Decretæ autem in columnis statuæ à Senatu plerisque fuerunt; in sepulcris vero, neque monumentis reliquis columnarum ratio fuit, vt cuius nomini dicatæ essent, gloria supra cæteros mortales attolleretur: hinc illa Ennij de Scipione verba: *Quantam statuam faciet Populus Romanus? quantam columnam, quæ res tuas gestas loquatur? vel certè quod maioribus mos fuerit, principes viros sub montibus sepelire?* At cum montes sepulcris excitandis vbiuis non sufficerent, pyramides, altasque columnas super cadauera erexere; vel ipsa potius ca- D dauera supra columnas & pyramides recondere curarunt. Solus autem inter Imperatores, teste Eutropio, Traianus in Vrbe sepultus est: nam Mausoleum, Augusti, moles Adriani, & Columna Antonini Pij extra Vrbis habitationem fuere.

Causæ huius belli in Daciam Traiano Augusto fuere: pecunias grauari magis eam prouinciam quam Daciæ facultates: illorum copias in dies, & vires augeri, efferatiorique subinde animo fieri: prouincias finitimas in amicitiam Populi Romani, fidemque susceptas ab ijs summopere infestari: gloriæ auiditas vindicandæ iniuriæ, dedecorisque abolendi desiderium;

quod

A quod ex profligato nuper exercitu, signisque legionum amissis conceperat. Dacij Pannonijs & Sarmatis sunt contermini, & pugnacissimi milites (gloriabantur enim suum incolam Martem fuisse, vt allusit Virgil. Aeneid. *Gradiuumque Patrem, Geticis qui præsidet aruis.*) Transyluani, Vvanachi, & Moldaui hodie Dacij dicti: qui sæpè multum detrimenti Romanis intulerunt. Sub Cotisone enim rege in Pannonias, & Mœsias irruperunt concreto gelu Danubio: contra quos C. Lentulus ab Augusto missus [illegible]rum Duces satis victo-ere parans, Aox Domi-cum nullus sæpè insul-Duces & si-uit. Sub-ratus, ad-rem ad pa-ritos se de-nus sibi in-b Galieno eri posse, s reliquit: no scribit; pem agno-



Mmnę Antoninæ Romæ, de qua Baronius

i M. Aure- *Columna Anto-* ij dicauit, *nini.* ac etiam, n longitu-eneſtrellas oloſſus in-iquis: qui vt optimi mque ge-itiam per-e paran-lanarent, Columna ibus reci-les in re-, Columna cis sepul-

Ceterum quamuis prætata M. Antonini Columna iam declinante Imperio fabricata, quando scientiæ, nec non omnes artes liberales, & mechanicæ D iam erant diminutæ; vt propterea ista non fuerit tãto artificio elaborata sicuti iam pridem altera Traiani: admiranda tamen nobis hæc est propter historiam in ea expressam sub Ethnico Imperatore, qua maior attestatio non extat in omnibus Ecclesiasticis Annalibus de veris miraculis Christianæ religionis; non modo per ipsos Ethnicos scriptores, verum & in hac eadem Columna scalptis, vt hodie nec futuris temporibus impugnari eius veritas possit.

Siquidem vt refert Card. Baron. tom. 2. Annal. sub anno 176. cum Romani ab ingenti hostium multitudine aliquando ita concluſi fuissent apud Cornutum oppidum in expeditione Marcomannica, vt ex locis difficillimis nulla exeu ndi nec vi, nec arte facultas daretur; atque insuper tum alijs incom-




M. Aurelij Imp: contra Marcomannos Victoria precibus militum Christianorum miraculose obtenta. Ex fragmento Columnæ Antoninæ Romæ, de qua Baronius sub Anno 176 Cap 15. pag 748. lin. F.

Cæterum quamvis præfata M. Antonini Columna jam declinante Impe-

plebis Tribunatu, liquet eius Imperij anno 17. fuisse dicatam: totidem namque annos Tribunitia potestate Cæsares functi, quot Imperio præfuere. Quo certè tempore Traianus Italia aberat Parthico, & Armeniaco bellis distentus: inciderat namque in annum ab V.C. 867. Christi autem 115. Coss. Minnio Hasta, & P. Manilio Vopisco, ex Panuini fastis. A

Simulacra in hac Traiani marmorea Columna incisa, parum à superficie eminent, duorumque circiter pedum longitudinis existunt: sed quo magis à basi versus capitulum procedunt, eo grandiora euadunt: adeo vt quæ capitellum p
ostentent,
Traiani
minebat i
pollodoro
quo palati
nasium, t
(cuius pul
postea trit
tyrannum.
dicto Trai
lumnis, m
porticus a
illustrium
Claudiani
tifex æden
turres exc
in Vita Tr
Blondus li
Celebri
situm, ide
rei fidem f
data, tho
intra quan
Statua aut
statis vi de
tum; & in
Columnæ;
Romanos
ciarum ex
in columni
numentis
ria supra
Quantam
gestas loqu
tibus sepeli



pyramides, altasque columnas super cadauera erexere; vel ipsa potius cadauera supra columnas & pyramides recondere curarunt. Solus autem inter Imperatores, teste Eutropio, Traianus in Vrbe sepultus est: nam Mausoleum, Augusti, moles Adriani, & Columna Antonini Pij extra Vrbis habitationem fuere. D

Causæ huius belli in Daciam Traiano Augusto fuere: pecunias grauari magis eam prouinciam quam Daciæ facultates: illorum copias in dies, & vires augeri, efferatiorique subinde animo fieri: prouincias finitimas in amicitiam Populi Romani, fidemque susceptas ab ijs summopere infestari: gloriæ auiditas vindicandæ iniuriæ, dedecorisque abolendi desiderium;

quod

A quod ex profligato nuper exercitu, signisque legionum amissis conceperat. Dacij Pannonijs & Sarmatis sunt contermini, & pugnacissimi milites (gloriabantur enim suum incolam Martem fuisse, vt allusit Virgil. Aeneid. *Gradiuumque Patrem, Geticis qui præsidet aruis.*) Transyluani, Vvanachi, & Moldaui hodie Dacij dicti: qui sæpè multum detrimenti Romanis intulerunt. Sub Cotisone enim rege in Pannonias, & Mœsias irruperunt concreto gelu Danubio: contra quos C. Lentulus ab Augusto missus, tres eorum Duces cum magnis copijs deleuit: citeriorem ripam præsidiis muniuit, satis victoriam putans, posse illos prohibere. Dein Augustus eosdem coercere parans, qui se in Pontum & Thraciam effuderant, morte præuentus est. Mox Domitianus per Alpes Iulias itinere facto biennio Pannonios domuit, cum nullus ad eum diem ausus fuisset ad Danubium arma transferre; quamuis sæpè insultantibus barbaris; cum Dacis tamen bis infeliciter congressus, Duces & signa amisit; licet de ijs Romæ victus potius quam victor triumphauit. Subsecutus Traianus Dacorum insolentiam haud diutius ferendam ratus, ad-
B uersus eos arma mouit, duabus factis expeditionibus; sub priorem ad pacem petendam supplices coegit, sub posteriorem multis prælijs attritos se dedere; Decebalumque ipsorum regem in desperationem lapsum manus sibi inferre coegit. Dacia in prouinciam Romani Imperij redacta sub Galieno perditissimo Imper. amissa est. Aurelianus Imper. desperans retineri posse, omnem Daciam trans Danubium sublato exercitu prouincialibus reliquit: hodieque Seruia & Bulgaria nuncupatur, vt Vopiscus in Aureliano scribit; & partim Turcarum Tyranno subsunt, partim proprium Principem agnoscunt, quem vulgo Vaiuodam vocant.

Columna Antonini.

Columna altera Romæ ad exemplar præfatæ Traiani facta, quam M. Aure-
C lius Imperator Antonino Pio August. in Cãpo Martio area Flaminij dicauit, quæ adhuc visitur rimis dehiscens, ignique parumper deformata, ac etiam satis inferioris artificij illa Traiani, quam ista excellit xlvij. pedum longitudine, vtpote quæ alta sit ped. clxxv. & gradus habeat ccvj. feneſtrellas vero lvj. P. Victore attestante: in cuius summitate iam extabat Colossus ingens, qui imaginem ipsius Antonini Pij referebat, vt in nummis antiquis: qui hodie non extat. Columnæ huius erectio ideo a S.P.Q.R. facta, vt optimi Principis cunctisque carissimi memoria superesset æterna, rerumque gestarum gloria atque ferarum gentium victoriæ ad posterorum notitiam peruenirent: ipsique præterea assentarentur in Vrbem ex Asia venire paranti, vt forum quod ipse omnium elegantissimum construxerat, complanarent, & vndique conspicuum redderent monte tantæ altitudinis, quantæ Columna extitit, inde congesto: vtque ea moles illius post obitum cineribus recipiendis vsui esse posset: non secus atque Memphiticæ pyramides in regum Aegyptiorum, Mausoleum Augusti, sua postea moles Hadriani, Columna altera Traiani, & Septizonium demum Septimij Seueri Pertinacis sepulcra cessere.

Cæterum quamuis præfata M. Antonini Columna iam declinante Imperio fabricata, quando scientiæ, nec non omnes artes liberales, & mechanicæ
D iam erant diminutæ; vt propterea ista non fuerit tãto artificio elaborata sicuti iam pridem altera Traiani: admiranda tamen nobis hæc est propter historiam in ea expressam sub Ethnico Imperatore, qua maior attestatio non extat in omnibus Ecclesiasticis Annalibus de veris miraculis Christianæ religionis; non modo per ipsos Ethnicos scriptores, verum & in hac eadem Columna scalptis, vt hodie nec futuris temporibus impugnari eius veritas possit.

Siquidem vt refert Card. Baron. tom. 2. Annal. sub anno 176. cum Romani ab ingenti hostium multitudine aliquando ita concluſi fuissent apud Cornutum oppidum in expeditione Marcomannica, vt ex locis difficillimis nulla exeundi nec vi, nec arte facultas daretur; atque insuper tum alijs in-

com-

commodis, tum maximè siti vexarentur: & Marcus Aurelius Imperator cum A
deos suos precatus ab illis non exaudiretur: tunc milites Christiani, quorum magna copia in exercitu erat, flexis genibus ad Deum verum se conuerterunt: qui mox illos exaudiens, non solum aquam Romanis, qua reficerentur, immiserit; sed & eodem momento hostes vehementi grandine, igne, & fulminibus consumpserit. Hæc à pluribus referuntur auctoribus, & maxime a Xiphilino, dum arguit de mendacio voluntario Dionem, quod magicis artibus id tribuerit. In tanti vero beneficij remunerationem suis litteris Imperator generali edicto sanxit: Neminem quod Christianus esset in iudicium vocari; eorumque vt talium accusatores, viuos exuri; cuiusmodi edictum etiam temporibus Commodi Marci filij viguisse Romæ, meminit Eusebius lib. 5. histor. cap. 20. Hoc idem testatur Tertullianus in Apolog. cap. 5. his verbis: *Si litteræ Marci Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam, conteſtatur.* & infra: *Adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.* B

Sed, quod spectat ad nomen Legionis, in qua ijdem Christiani militarunt: omnes fermè auctores consentiunt, eam ex admiranda illa fulminum immissione, dictam esse *Fulminatricem*, seu *Fulmineam*.

Extat porro hactenus Romæ tam egregij miraculi præclarum monumentum in nobilissima Marci Antonini Columna cochlide insigniter sculptum, vna cum alijs Marci Aurelij in bello Marcomannico facinoribus fortiter gestis: ac etiam in eadem Milites Christiani apparent, qui flexis genibus Deum exorant; nec non ijdem in proprijs eorum scutis tremendum Crucis signum sculptũ habent: ac prætèrea cernitur inter cætera Iouis figura vndiq; imbres fundentis, & fulgura admiscentis, qualem dicere solerent *Pluuium*. Quamuis M. Aurelius Imperator publicis suis litteris, tantam diuinitus impetratam gratiam, Christianorum precibus acceptam tulerit; tamen, vel quod nomen Christianorum illi esset incognitum, vel quod ore omnium Gentilium diffamaretur, eam à Ioue fuisse concessam, cui reliquæ res omnes prosperæ, C
etiamsi Christianorum precibus impetrarentur, tribui solerent; vt ex Tertull. in Apolog. cap. 4. & idem Tertull. in Apolog. cap. 4. & idem capit. ad Scapulam, de dicta pluuia per milites Christianos à Deo impetrata, sic inquit: *M. quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum Militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus, & iuuantibus nostris, etiam ciuitates sunt depulsæ? Tunc & Populus acclamans Deo deorum, qui solum potens est, in Iouis nomine Deo nostro testimonium reddidit.* Idcirco Iouis imago pluuiam dantis in Columna fuit expressa: cuius Columnæ fragmentum in Christianæ fidei attestationem hic delineandum curaui.

Cæterùm eandem Columnam, & Christianæ Fidei præclarissimum monumentum, barbarico furore deorsum incensam, ac desuper fulmine tactam, iam deformatam & collabentem, Sixtus V. Pont. Max. summo studio in pristinum splendorem restituendam curauit; collocata desuper in eius vertice ærea inaurata Pauli Doctoris gentium sacra effigie: vt vbi olim ab Antonino D
Pio statutum fuerat simulacrum Marco Aurelio Parenti, ibidem illius, qui ad veram pietatem Vrbem excoluit, & Gentiles Christo subegit, signum nobilissimum cerneretur, vt de his latè Card. Baronius tom. 2. sub anno 176.

Consideratio. Recensuimus superbos Aegyptiorum Obeliscos, & Romanorum Columnas, Traiani, ac Antonini præsertim; vt eorundem Impp. cineres recondererentur super illas. Hominum plerique toti in extimo mortuorum apparatu intenti, potius fastui litant quam pietati, dum suorum funus prosequuntur & iusta suis soluunt: & nihilominus Iudas Machabæus in sacro textu commendatur, qui pecunias misit Ierusalem, vt offerrentur pro mortuis sacrificia;

non

A non vero effertur Simeon, qui tam nobile ſtruxit parentibus ſepulcrum: hinc tacitè nobis indicitur, vt mortuorum potius vtilitatem ſpectemus quã quæ in noſtri gloriam poſſunt reſilire. De hoc egregiè arguit Abbas Raulinus ſerm. 79. his verbis: *In expenſis mortuorum homines communiter plus intendunt propriam oſtentationem quam mortui vtilitatem, cuius rei primum ſignum eſt, quod mallent in talibus expendere multas marcas, quam de debitis vnum ſolidum reſtituere, vel de male ablatis. Secundum ſignum, quia de cera & pannis minus quam poſſunt pro defunctis apud locum ſepulturæ demittunt, & totum ſi ſine verecundia poſſent, reportarent.* Anima, quæ vitam corpori inhalat, dum illud informat, nos admonet, vt mortuorum recordemur, & illis quam poſſumus opem afferamus, vt ſanctus Hilarius loquitur: *Animam cogita, quæ vitam corpori huic morticino communicat, & diſce à teipſo mortuorum habere curam, totumque te impendere in mortuorum auxilium.* Quod anima in corpus aſſiduè facit, corpus & anima in vita functos præſtent.

B O vtinam ſibi quiſque quærat, & erigat ſepulcrum virtutum facinoribus, quæ etiam poſt mortem cæteris in omnium memoria præluceant; vt ſic pro vno ſepulcro habeat multa; illos ſcilicet omnes, in quorum mente virtutum ſuarum fama vixerit: cadunt hic optimè prædicti Raulini verba: *Honorificentiſſimam ſepulturam ſunt adepti, qui non eam potius, in qua ipſi ſiti ſunt, quam eam, in qua ipſorum gloriam in qualibet rerum, vel dicendarum, vel agendarum occaſione, quæ ſeſe offert, perpetuò celebrandam reliquere: nam illuſtrium virorum omnis tellus eſt ſepulcrum, neque cipporum & columnarum, in agro domeſtico erutorum inſcriptio virtutem eorum teſtatur, ſed etiam in alieno ſolo memoria nullis mandata ſcriptis, magis apud animum cuiuſque, quam apud ſepulcrum in illorum honorem ab hominibus extructum perpetuo manet.* Conferamus lapideum ſepulcrum cum hoc ſpiritali, quod egregijs facinoribus in ſuperſtitum animis ſibi magni viri fabricant, & colliges, quam pluris hæc præ illa ſtructura facienda ſit. Satius eſt vt noſtra memoria virtutum actibus in viuentium animis viuat, quam mortui ſepulcri ope mortua

C ſit, etiam cum videtur viuere.

De Viarum operibus magnis; & de Appia præcipuè. Cap. XII.

NON Vrbem ſolam luſtramus, ſed alia quædam circa eam oſtendemus etiam; nempè magnificentiam Viarum, Aquæductuum, & Cloacarum: de quibus Dionyſius Romæ ſcriptor ſub Auguſto inquit lib. 3. *Ego ſanè in tribus magnificentiſſimis operibus Romæ, & è quibus maximè apparent illius Imperij opes, pono Aquæductus, Viarum munitiones; Cloacarum ſtructuras. Neque id ſolum ad vtilitatem eiuſmodi operum reſpiciens, ſed etiam ad impendij, ſumptuumque modum.* Quæ tria velut ſpecimen & argu-

D mentum vult eſſe Romanæ opulentiæ & potentiæ; ſiue ab vſu, ſiue ab impendijs illa conſideremus.

Primæ ſunt Viæ, quas illi plurimas & plurimo opere extra Vrbem ad longiſſima ſpatia muniuerunt: inde in Foro Romano erectam columnam, in quam omnes viæ Italiæ deſinerent, indicat Plutarchus in Galba, dum ait: *In Foro Romano ſtabat columna, in quam omnes viæ Italiæ ſectæ deſinerent.* Ex prædictis verò Vijs præcipuè conſideremus Appiam viam, de qua Procopius lib. 1. de Bello Gothorum inquit: *Beliſarius via Latina exercitum duxit, Appia ad lævam dimiſſa. Hanc Appius Romanorum Cenſor ante annos nongentos ſtruxerat, & à ſe dederat nomen. Longitudinem eius quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſit emetiri. Ab Vrbe Roma Capuam pertinet, ea latitudine, vt*

duo currus ex aduerſo obuij liberè queant peruadere, & commeare. Et eſt ſanè A
hæc via præter cæteras ſpectabilis: ſiquidem Appius ex alia, & longinqua tunc,
vt reor, regione exciſos lapides, & hos quidem ſiliceos, ac ſuopte ingenio du-
riſſimos in hanc viam vehendos curauit. Quos planos deinde, ac læues redditos,
& quadratos inciſione factos, iunxit & in ordine locauit, metalli nihil aut alte-
rius rei inſerendo. Sunt tamen ita connexi, & validè inter ſe hærent, vt ſpeci-
men viſentibus præbeant, non coniunctos ita ſed congenitos eſſe. Et quamuis tot
iam ſæculis atterantur, aſſiduis plauſtris iumentiſq;: tamen neque ſerie ſua vel
minimum exeunt, & dimouentur, neq; franguntur, aut læuorem ſuum amittunt.

Occurrit autem difficultas in hoc quod ſi Appius viam lapidibus ſtrauit; quid eſt quod in Liuio lib. 41. legimus: *Q. Fuluium Flaccum, & A. Poſtumium Albinum Cenſores, vias ſternendas ſilice in Vrbe, & extra Vrbem glarea ſubſtruẽdas, marginandaſque primos omnium locauiſſe?* Quomodo primi omnium, cum hi fuerint Cenſores anno V. C. 580. & Appius aliquot ætatibus præceſſerit? Conſtat etiam Flaminiam viam diu ante ſtratam ſub bellum Punicum ſecundum. Quod poteſt intelligi *Glarea* tunc primum vias ſtratas (nempè terra lapidoſa) per ipſos Cenſores; ſeu ad Cenſores iunctim refertur duplex ratio ſternendi, vel Glarea, vel Silice, quæ vtraque notata per Tibullum ad Meſſallam. B

Namque opibus congeſta tuis hic Glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte Silex.

Aduerte verbum illud, *Marginandaſque* vias: nempè quod eſſet in via agger altiuſculus; qui firmiter arctari & ſtringi lapidibus grandioribus ad oras debebat; ne diffluerent. Hoc marginari ad vſum duplicem fieri erat ſolitum: primo vt eſſent cippi quidam eminentes, in quibus inſidere feſſis, onera reclinare, aut & aſcendere ex his in equum fas eſſet; & ij crebriores diſpoſiti per totam viam: alteri autem rariores, qui vt columnellæ extabant, & notis numerorum inciſi, milliaria notabant. Vtrumque hoc G. Gracchus inſtituit, ex Plutarcho, quod gratum fuit in vulgus; quoniam peregrinantibus nihil magis ad tædium & fatigationem, quam ignaros ſpatiorum oberrare: at C
contra refici animum, ac vires ea ſignatione: rectè Quinctilianus inquit: *Partitio reficit audientem, non aliter quam facientibus iter, multum detrahunt fatigationis notata in ſcriptis lapidibus ſpatia.* Quod idem inquit Rutilius.

Interualla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus Millia multa lapis.

Hinc ille mos per lapides computandi, quos Græci ab hac notatione Milliarium Σημεῖα vocant, ideſt ſigna, ſiue notas.

De longitudine viæ Appiæ quinque dierum, vt ſupponit Procopius Brundiſium vſque, aduertendum; quod Appius produxerit illam Capuam dumtaxat: vt notauit Frontinus his verbis: *Appia aqua inducta eſt ab Appio Claudio Cenſore, qui & viam Appiam à porta Capena ad vſque Capuam muniendam curauit.* Nec vlterius ipſe potuit, cum nec vlterius tunc Romani protenderentur fines: & in obſcuro eſt, quis vſque Brundiſium illam longius munierit. Vt Strab. lib. 5. ibi: *Viam Appiam Terracinæ mare primum attingere, & Brundiſium vſque ſtratam eſſe.* Et Horatius. D

Brundiſium melius Numici via ducat Appi?

Vlterius de materia: *Ex longinqua regione lapides aduectos, eoſque Siliceos.* Silicem intelligit aſperum, durumque, non minutum, qui in Glaream potius reducitur: illum autem non in vicina regione reperiri, vt Procopius indicauit; ſed vt voluit Panuinus his verbis: *Montes oſtendi duos, ad Sinueſſam vnum, alterum inter Puteolos & Neapolim, è quibus ſaxa ea colore, & duritie ferrum referentia, videantur exciſa.* At Leander ſpecus, & fodinas in Bruttijs extare ad Seminariam, è quibus lapides ad vias eruti, præſertim ad Appiam, apparent. Opus certè mirum, & laborioſum.

Subdit

A Subdit Procopius: *Lapides planos, quadratosque fuisse*; vt hodie passim conspiciuntur tales diuersa magnitudine trium, quatuor, quinque etiam pedum quaquauersus; vt etiam iunctura, & firmitate vnum corpus appareant. Quæ omnia miranda magis quam explicanda, vt merito dixerit Poeta.

Appia longarum teritur Regina Viarum.

Hæc enim celebritate, & longitudine emicuit; quia Roma in Græciam, Asiam, & trans mare ducebat: Flaminia verò via breuior, quæ Roma Ariminum vsque, & inde Aquileiam ducebat.

Muniebantur viæ à Romanis non in Italia solum, verum & in Prouincijs ipsis, vt dixit Isidorus: *Pœnos primum, lapidibus vias strauisse, quas postea Romani penè per totum orbem dispposuerunt*, & has montibus sæpè excisis, vallibus complanatis, vt æquabiles & faciliores viæ essent. Strabo: *Strauerunt & vias excisis montibus, vallibus repletis, vt currus vehere possint & susciperent nauium onera*.

B Erant in prædicta Appia Via monumenta, & sepulcra, & passim latus vtrumque prætexebant: & hæc illustrium & clarorum virorum, alibi libertorum, seruorum; de quibus Varro: *Monimenta secundum viam, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales*.

Lubet ex hoc capite de Via hoc nobis proficuum deducere ex D. Gregorio Magno hom. xj in Euang. his verbis: *In præsenti vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus; maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident, &c.* Beatissima Virgo Maria huius viæ ascendendi ad Deum, & ad cælestem patriam aperuit & complanauit nobis iter. Hinc illi cœlestes Spiritus præ stupore exclamarunt de celeritate passuum illius in Cant. cap. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum quasi virgula fumi?* Digna quippè exclamatio, & admiratio: quoniam, vt inquit Vgo Card. *Fumus eodem tempore partim oritur, & partim moritur*. Ita beata Virgo ascendebat, vt dona Spiritus sancti, & eius charismata reciperet; vt verè repleretur ascendebat, vt virgula fumi; & ideò excedebat de deserto, cui moriebatur, vt nasceretur Deo in æternum victura, moritura mundo. Hæc est Via regia, qua peruenitur & Deum, & ipsi soli viuere; at verò mundo, carni, & voluptatibus emori carnalibus. *Consideratio*

C

De Romanorum mirabilibus Aquæductibus & Cloacis. Cap. XIII.

MAgnum olim visum, & portento simillimum potuisse Xerxem Athomontem in mille quingentorum passuum longitudinem à continente abscindere, perfodere, fretoque nauigabilem reddere perpetuò, ad vlteriorem vsque Isthmi oram alueo deducto. Nec illud minus si non maius in fœmina; cum Semiramis Ecbatana campestri loco sita, per montem, cuius recto itinere ascensus stadia quinque & viginti explebat; ima radicis parte ruptum flumine fossa latissima iuxta & altissima cinxit, idque per saxosi montis radices.

D

Nec illa Romanorum admiratione sua minori carent; quæ sub terra thesauros & latentium quorumdam operum moles ostendunt, scilicet Aquæductus & Cloacæ. Quamuis enim teste Frontino, diu extiterit Vrbs sine Aquæductibus; & Tiberis, putei, ac si qui fontes natiui erant, aquas populo subministrarent, sed nondum sic illo aucto: Vrbe dein magna & plena constituta, & cum collibus procul à flumine degerent ciues: *Optimum rerum aqua*; vt canebat Pindarus, quæsita, & per tubos, & canales in fornicibus lateritijs Romam aducta. Id factum primò anno V.C.cccxli. cum Appius Claudius

dius Cenſor, idem qui vias ſternere inſtituit, hoc quoque bonum inuenit. A
Ab eo eſt Aqua Appia per milliaria circiter vndecim deducta. Hoc initium habuerunt Aquæductus: at deinde ita eorumdem incrementum, vt non ſolum egeret ille Populus aquis ad potum; ſed ita vbertim inductæ ſint, vt quiſque domi aut in vicinio haberet copiam: ſcribitque Strabo: *Flumina per Vrbem & cloacas videri fluere, atque domum propemodum habere fiſtulas & canales, quibus aquam inducat.* De eadem re Plinius: *Si quis diligentius æſtimauerit aquarum abundantiam in publico, in balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis, ſuburbanis villis, ſpatioque aduenientium extructos arcus, montes perfoſſos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuiſſe toto orbe terrarum.* Vt tam mira de copia aquarum, & molibus in adducendo ſint dicta. Hoc ipſum Caſſiodorus, dum Formas appellat hos ductus his verbis: *In formis Romanis vtrumque præcipuum eſt, vt fabrica ſit mirabilis, & aquarum ſalubritas ſingularis: Quot enim flumina quaſi conſtructis montibus perducuntur? naturales credas alueos ſoliditates ſaxorum: quando tantus impetus fluminis tot ſæculis potuit ſubſtineri.* Inde Frontinus olim aquarum curator hoc inquit: *Magnitudinis Romani Imperij id præcipuum eſſe indicium*: quoniam non Romæ tantum, ſed in coloniis pleriſque & maioribus oppidis hæc fuere. B

Numerat Procopius in Vrbem perductos Aquæductus quatuordecim, coctili laterculo per priſcos illos ædificatos ea latitudine, ac ſimul altitudine; vt vir eques commodè per eos poſſit incedere; ſed auget P. Victor, & xx. numerauit; quorum pleroſque etiam hodie nos ſubleuatos centum & nouem pedes; vt etiam refert Frontinus: *Et quoſdam a quadrageſimo milliari perductos eſſe per valles, montes, & per tot inæqualia ſupra & infra terram.* Inde canit Rutilius: *Quid loquar aerio pendentes fornice riuos?* &c. Extant iuxta Sublacum Aquæductus Claudiani, de quibus Leander Albertus in ſua Italiæ deſcriptione inquit: *Fieri profecto non poſſe ſcio, quin omnino incredibile ſit, niſi oculis vſurpetur operis huius ratio admiranda. Nec enim quiddam maius excogitari poſſe humano ingenio arbitror, quã quod hic Romani effoſſis tanto ſpatio montium intimis viſceribus fecerunt. Ad quæ opera patranda nunc totus orbis infirmus videatur.* Loquitur autem, vt dixi, de Claudij Aquæductu, de quo Plinius: *Vicit antecedentes aquarum ductus nouiſſimum impendium operis, inchoati a C. C æſare* (Caligulam intelligit) *& perfecti à Claudio: quippè a quadrageſimo lapide ad eam excelſitatem, vt in omnes Vrbis montes leuarentur, inſtituere Curtius & Cæruleus fontes. Erogatum in id opus HS. ter millies.* Hoc ipſum Caſſiodorus notat: *Claudiam per tantã faſtigij molem ſic ad Auentini caput eſſe perductam; vt cum ibi ex alto lapſa ceciderit, cacumen illud excelſum, quaſi imam vallem irrigare videatur.* De pecunia autem in id opus imputata fuerunt ex Plinio ſeptem noſtri milliones & ſemis. Iure igitur exclamat Frontinus: *Tot aquarũ, tam multis neceſſarijs molibus, Pyramides, videlicet otioſas comparem, aut cætera inertia, ſed fama celebrata opera.?* Nec diſſimilia facta à M. Titio, qui ſubterraneo Martiam aquam riuo per montes ad quatuor & quinquaginta paſſuum millia, & opere arcuato ad paſſuum millia ſeptem duxit. C

Huius rei exempla Romæ quamplurima hodiè etiam viſuntur: effoſſa quoque ad xxx. & xxxx. palmos terra in imo eximiæ magnificentiæ aquæductus, copioſiſsimique fontes reperiuntur, quorum nullum prius exſtabat indicium; vſq; adeo illud verum eſt, Roma Romæ ſepulta iacet, vt refert Vvillalpandus in Apparatu Vrbs, & Templi tot. 3. pag. 152. vt etiam A. Donatus in ſua Roma Veteri lib. 3. cap. 18. Ac etiam hodie non longè à Porta Pinciana Romę cernitur per ſpiracula Aquæ Virginis profundiſsimus Aquæductus: per quem Gothi clam ingredientes ſubter Pincianam Portam facilè Vrbem cepiſſent, niſi detecti fuiſſent, vt auctor eſt Procopius. Similiter Plinius quædam de lacubus, alijſque additamentis Aquæductuum ſcripſit non ſine miraculo audienda his verbis: *Agrippa in ædilitate ſua, adiecta Virgine* D

aqua

A *aqua caterìs corriuatis atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit, præterea ſalientes centum quinque, &c.* Hæc vnus Agrippa, & vno anno. O virum Auguſto Principe dignum, nec publicæ vtilitati benignius ingenium!

At Magnitudinem operum ſequebatur difficultas conſeruandi: nam vt ait Frontinus lib. 3. *Aut vetuſtate corrumpuntur, aut impotentia poſſeſſorum, aut vi tempeſtatum, aut culpa malefacti operis, quod ſæpius accidit in recentibus: minus iniuriæ ſubiacent ſubterranea, nec gelicidijs, nec caloribus expoſita: Pilæ quoque ipſæ topho extructæ ſub tam magno onere labuntur.*

Inter aquas in Vrbem corriuatas fuit aqua Virgo, quam Agrippa deduxit. Virginem nuncupatam dixit Frontinus, cum à puella primum inuenta & indicata fuiſſet. Quamuis Plinius lib. 31. cap. 3. ſcribat: Idem Agrippa & Virginem adduxit ab octaui lapidis diuerticulo vndecim millia paſſuum, Prænestina via, Virginis nomen obtinuit. Caſſiod. lib. 7. ep. 6. *Currit aqua Virgo ſub delectatione puriſſima: quæ ideo ſic appellata creditur, quod nullis ſordibus polluatur.* Dio lib. 54. inquit: Aquam, quæ Virgo vocabatur, pro-

B prijs ſumptibus Agrippa adduxit, Auguſtamque nominauit: quod ita gratum fuit Auguſto, vt inopia aliquando vini exiſtente cum quereretur Populus, ſatis prouiſum diceret ab Agrippa, ne quis eorum ſiti periret. Hanc aquam aliquot ſæculis deperditam & dilapſam Nicolaus Quintus, Sixtus Quartus, & Pius Quartus acquiſitis etiam nouis fontibus reſtituerunt. *Tactu præſtitiſſe olim Virginem, hauſtu Martiam*, tradit Plinius lib. 31. cap. 3.

Aqua Martia auctore Plinio lib. 31. cap. 3. *Inter reliqua Deorum munere Vrbi tributa, clariſſima aquarum omnium in toto Orbe, frigoris ſalubritatiſque palma: præconio Vrbis: ſtagnino colore præuiridi, ſplendore, & rigore gratiſſima.* De hoc poſtremo Statius.

Marſaſque niues, & frigora ducens
Martia.

Hæc ad milliarium xxxiij. concepta in Pelignis, ductu paſſuum lx. millium corriuata eſt: inquit Plinius: *Tranſit Marſos & Fucinum lacum Romam non*

C *dubiè petens: mox ſpecu merſa in Tiburtina ſe aperit ix. m. p. fornicibus ſtructis perducta.*

Claudia aqua bonitate Martiæ proxima, & illa altior à C. Caligula inchoatis binis ductibus, à Claudio perfectis, per millia paſſuum xlvi. auctore Frontino ſubterraneo & arcuato opere perducta eſt, & Plinius inquit: *A lapide quadrageſimo ad eam excelſitatem, vt in omnes Vrbis montes leuarentur, influxere Curtius, atque Cæruleus fontes.* Sueton. in Claudio cap. 20. *Claudiæ aquæ gelidos & vberes fontes eorum alteri Cæruleo, alteri Curtio, & Albundio nomen eſt: ſimulque riuum Anienis nouo lapideo opere in Vrbem perduxit, diuiſitque in plurimos & ornatiſſimos lacus.*

Alſiatinam prouidit Auguſtus, ideo & Auguſta dicta eſt: *Hæc omnibus humilior erat*; vt ait Frontinus, parum ſalubris; Naumachiæ, quam Auguſtus trans Tyberim fecit, hortis ſubiacentibus, & vſibus priuatorum inſeruiens.

Appia quæ primò ab Appio Claudio, cui poſtea Cæco cognomen fuit, deducta, M. Valerio Maximo, & P. Decio Murena Coſſ. anno Vrbis 442.

D Caſſiodorus: *His Conſulibus per Appium & Claudium Cenſorem via facta & aqua inducta eſt, quæ ipſius nomine nuncupatur.* Effundebatur propè portam Capenam & Trigeminam, ad Salinas, fluens vſque ad Campum Martium.

Fuerunt in Vrbe & aliæ plurimæ aquæ, nempè Iulia ab eodem Agrippa deducta, vt idem quoque aquam Tepulam deduxit. Erat etiam Anio Nouus ſic dictus ad veteris diſcrimen, quem M. Curius, & L. Papyrius Curſor Cenſores in Vrbem deducendum curarunt A.V. ccccIxxxix. Fuit & Crabra aqua, Herculanus Riuus præter cætera, de quibus Plinius, Frontinus & alij ſcriptores.

Aquæ-

Aquæductus vero teſte Frontino propè Vrbem, nempè: *A ſexto miliario plures aquas ſinguli ſuſtinebant*. Romæ autem fuiſſe quatuordecim teſtatur Procopius his verbis: *Romæ aquæductus decem & quatuor numero ſunt, cocto ex lapide per priſcos homines ædificati, ea latitudine, ac ſimul profunditate, vt equeſter vir aliquis ipſo cum equo per eos ſuperne euadere liberius queat.* Ideoque Belliſarius, ne per eos Gothi tranſirent in Vrbis obſidione, ædificio complexus muniuit, ac ſepſit. Quo tempore cum ijdem Gothi aquas omnes ſubſtuliſſent, quæ præter reliqua commoda verſatiles molas ad conterenda frumenta voluebant: & has molas frumentarias, quas hodie in medio Tyberi ædificari videmus, excogitauit, & induxit primo Belliſarius. A

Horum veterum Aquæductuum ſimiles etiam videmus in præſens hic in noſtra Vrbe; influentibus vberrimis aquarum fontibus in omnes Vrbis angulos diſtributis; vt de aquis Virgine, Felice, & Paulina; & ex his ſola Virgo potui idonea: & forſan Martia illa aquarum Regina aliquando Vrbi reſtituetur.

Plurima, & aſſidua impendia fuere circa has aquas: quarum Curatores ab Auguſto inſtituti cum Lictoribus, Seruis, Scribis, Librarijs, Præconibus, vt Frontinus ſcripſit: & Agrippam primo, *Per ſeruos priuatos ſuos hæc feciſſe, eamque familiam Auguſto morientem legaſſe. Auguſtum deinde publicaſſe, & deinceps manſiſſe: atque habuiſſe homines circiter ccxl. Erat autem & altera familia Cæſaris dicta & numerus eius cccl. quam Claudius, cum aquas in Vrbem perduceret, inſtituit.* Addit in vtraque varia miniſteria fuiſſe; Villicos, Caſtellarios, Curatores, Silicarios, Fectores, alioſque opifices, homines perpetuos ſexcentos ad aquarum tuitionem. B

Lubet hic apponere lapidem ſepulcralem, repertum annis præteritis in vinea mea prope portam Appiam: & hic de duobus prædictis Villicis Aquæ Claudiæ Cæſaris ſeruis: nempè.

D M	D M
Sabbio Cæſ. N. S. *Cæſaris noſtri ſeruo.*	Sporus Cæſ. N. S. *Cæſaris noſtri ſeruus.*
Villic. Aquæ Claudiæ	Villic. Aquæ Claudiæ
Fecit ſibi & Fabiæ	Hermionæ Coniugi
Verecundæ Coniug.	Suæ ſanctiſſimæ
Suæ, cum qua vixit	Et Libertis, Libertabuſque eius,
Annis xxiv. ſanctiſſimè	& Vikarijs
Et Libertis, Libertabuſque	Suis, poſteriſque eorum
Eius, & Vikarijs ſuis	Omnium. In parte
Poſteriſque eorum omnium.	Dimidia ſua.
In parte dimidia ſua.	

C

De Cloacis. Nec miranda ſolum erant Romanorum, quæ de Aquæductibus cognouimus; verum & miracula ferè videbantur ab eiſdem ſtructæ Cloacæ & à Tarquinio Rege primum, ad munditiem, ſordeſque omnes, vel abluendas, vel euehendas: firmiter id habetur ex Plinio lib. 36. cap. 15. his verbis: *Cloacæ operum omnium maximum, ſuffoſſis montibus, atque Vrbe penſili, ſubterque nauigata. Fecit id Agrippa in Aedilitate per meatus corriuatis ſeptẽ amnibus, curſuque præcipiti, torrentium modo, rapere omnia atque auferre coactis. Qui inſuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt, aliquando Tyberis retro infuſi recipiunt fluctus, pugnantque diuerſi aquarum impetus intus; & tamen obnixa firmitas reſiſtit. Trahuntur moles internæ tantæ, non ſuccumbentibus cauſis operis; pulſant ruinæ ſponte præcipites, aut impactæ incendijs; quatitur ſolum terræ motibus: durant tamen à Tarquinio Priſco annis prope octingentis inexpugnabiles.* Opus hoc omnium maximum inquit Plinius, vt omnia quoque Romanorum miranda. Nauigatas inquit has Cloacas; id enim & Strabo D

ſcripſit

A ſcripſit, dum Romanos ait, *Trium maxime operum curam geſſiſſe, quæ neglecta videbantur à Græcis: Viarum, Aquæductuum, Cloacarum.* Additque: *Cloacas iſtas, lapidibus ſectis, & ad normam poſitis ſuffultas, ſpatium etiam currui fœno onuſto ad tranſitum præbuiſſe.* Enimuerò Marlianus, qui dimenſus eſt, prodidit, pedum xvi. latitudinem ſe reperiſſe. Amplius dixit Plinius, *Corriuatos ſeptem amnes.* Et hoc de ſeptem præcipuis Cloacis intelligi, tot quot ſunt montes. Nam ex ijs defluebant, & deriuabantur aquæ & ſordes, & in magnam vnam confluebant, præter alias minores Cloacas: ſed illæ tot fuere quaſi flumina, atque per plana Vrbis ferebantur. Liuius de Tarquinio Priſco lib. primo inquit: *Infima Vrbis loca circa Forum aliaſque interiectas collibus conualles, quia ex planis locis haud facile euehebant aquas, Cloacis è faſtigio in Tiberim ductis, ſiccat.* Pergit deinde Plinius firmitatem Cloacarum commendare, commemorans cauſas concutientes, nec inde illę labefactentur: nempe pugna aquarum & copia intus; moles & columnæ vaſtæ, quæ per vias, & ſuper illas trahuntur; ruinæ variæ & pondera incidentium
B ædificiorum; denique validi aliquot terræmotus: & tamen firmum rara duritie per tot ſæcula opus reſiſtit. Neceſſaria tamen aliquando fuit illarum reparatio, vt refert Liuius lib. 39. ibi: *Cenſores detergendas Cloacas, & in Auentino atque alijs partibus, quà nondum eſſent, faciendas locauiſſe.* Quam ſumptuoſa huiuſmodi Cloacarum reparatio dicit C. Aquilius apud Dionyſium lib. 3. *Neglectis aliquando Cloacis, & non defluentibus Cenſores in earum inſtaurationem mille talenta impendiſſe in redemptores.* Ea ſunt ſexcenta millia ſcutorum in ſola partis reſtauratione, non autem in totali ſtructione. Sed finem imponamus, & Caſſiodorum de iſtis audiamus his verbis: *Splendidæ Romanæ ciuitatis Cloacæ, tantum viſentibus conferunt fluporem, vt aliarum ciuitatum poſſint miracula ſuperare. Videas illic fluuios, quaſi montibus concauis clauſos, per ingentia ſtagna decurrere. Videas ſtructis nauibus per aquas rapidas, non minima ſolicitudine, nauigari, ne præcipitato torrenti, marina poſſint naufragia ſuſtinere, Hinc ò Roma ſingularis, quanta in te ſit poteſt colligi ma-*
C *gnitudo, quæ enim Vrbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua poſſunt ſimilitudinem reperire.* Et in hoc dicto conquieſco: cum inter magnifica & Vrbis ſplendores etiam ſordes cloacarum repoſuerimus: quod vere dixit Poeta, *Stellis nebulam ſpargere candidis.*

Quæ de Romanorum aliarumque Gentium Aquæductibus huiuſmodi mi- *Conſideratio.*
randa diximus, effoſſis montibus per viſcera terræ; ſi componantur cum illis Redemptoris noſtri Chriſti canalibus ſeu fiſſuris in eius Paſſione, riſum magis quam admirationem prouocabunt. Hinc quidam piæ mentis Religioſus ad cœlum oculos erigens, ſic contemplando retulit: Quis non obſtupeſcat per tot annorum millia clauſum, omnibuſque imperuium cœlum vnius Chriſti morte reſerari potuiſſe? perque manuum, pedum, & lateris vulnera, nulla ante potentia, nullo robore peruium iter etiam pueris, puelliſque recta facilique via patuiſſe? Quicquid terras inter, cœloſque iacebat, obſtinauerat magis quam in ſaxum, & chalybem, nec ferro, nec ignibus vincendum, nec omnium terrarum, inferorumque viribus: acceſſerunt Chriſti vul-
D nera & ſanguis; & omni cera mollius tot ſæculorum compacta durities tanquam Sole niues medio defluxit; & quicquid tot ætatum obſtinata clauſerat ſeries, ſanguis recluſit.

De

De Sanctorum Martyrum Cœmeterijs in Vrbe. Cap. XIV.

A

PLurima memoranda in Vrbe ædificia, quæ ſub terra extructa ſeù ſepulta iacent, propoſuimus, quorum maximè extant Aquæductus & Cloacæ: celebriora autem quæ etiam in viſceribus terræ reſtant recognoſcenda, erunt Cœmeteria Sanctorum in Vrbe; & quamuis ſuperiora illa clara ſint propter ſumptus & labores in eorũ extructione, vnde aquarum flumina, & omnia Vrbis immunda per eadem excurrebant: in Cœmeteriorum autem extructione præter immenſos labores à Sanctis illis naſcentis Eccleſiæ Viris peractos, non aquarum flumina, nec alia immunda ex illis manabant; ſed certè magna ex Sanctorum Martyrum ſanguine congeries eminebat; & millia millium eorum corpora in pace quieſcebant.

B

Sunt autẽ huiuſmodi cauernæ, antra, ſpelũcæ ſubterraneæ erutę in arenarijs, plurimis diuerticulis, & anfractibus obſcuriſſimis labyrinthorum inſtar; vndique in illis intra ipſos parietes ſepulcra ſunt ſepultorum cadauerum: & hæc ſic ampla & latè patentia, vt plurimis ciuitatibus non extent inferiora ſingula Cœmeteria. Accurate deſcribuntur loca prædicta a D. Hieron. teſte oculato, vt in Ezechielem cap. 40. his vebis: *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudijs erudirer, ſolebam cum cæteris eiuſdem ætatis, & propoſiti, diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorum & Martyrum circumire; crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defoſſæ, ex vtraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum: & ita obſcura ſunt omnia; vt propemodum illud propheticum compleatur: Deſcendant in infernum viuentes. Et raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum, vt non tam feneſtram quam foramen demiſſi luminis putes: rurſumque pedetentim acceditur, & caua nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur.*

Horror vbique animos, ſimulip ſa ſilentia terrent.

C

Deſcribitur quoque Cœmeterium ſancti Hippolyti à Prudentio in Periſt. hymno xj. quod ipſe inuiſit.

Talia igitur erant Cœmeteria priſcorum fidelium in pluribus prædijs, a publicis vijs parum diſtantia propè Vrbis mœnia, ad ſepelienda præſertim martyrum corpora, quæ iuſſu Imperatorum inſepulta à carnificibus relicta, & à Chriſtianis occulto in nocte ad propinquius Cœmeterium delata; ſpreta etiam in hoc Principum ſub pœna mortis prohibitione.

Hinc inter cætera nomina quamuis ea loca nuncupentur Arenaria, Cryptæ, Catacumbæ, Areæ, & ſimilia; communiter Cœmeteria dicuntur à verbo Græco κοιμαω; ideſt Dormio; & inde Dormitoria: quoniam etiam ab Ethnicis Philoſophis fuit mors ſomno aſsimilata: & Virgil.

Dulcis & alta quies, placidoque ſimillima ſomno.

Quod in ſacro textu ſæpiſsime Iob. 3. *Nunc etiam dormiens ſilerem, & ſomno meo quieſcerem.* Iſaias cap. 14. *Omnes reges gentium vniuerſi dormierunt in gloria.* Et Chriſtus apud Ioan. cap. 11. *Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado vt à ſomno excitem eum.* Propterea apud fideles mors non appellatur ſomnus perpetuus, vt apud Gentiles, ſed temporalis. S. Chryſoſt. hom. 21. ad populum inquit: *Mors non eſt mors, ſed dormitio temporalis:* Ideoque ſepulcra Depoſita dicuntur, vt in epitaphijs, & inſcriptionibus eorundem; ac etiam S. Auguſt. in Pſalm. 87. ibi: *Ideo namque mortuos conſueuit ſcriptura dicere dormientes, quia euigilaturos; ideſt reſurrecturos, vult intelligi.*

D

In hæc igitur Cœmeteria tanquam in dormitoria primi fideles corpora defunctorum deponebant; quoniam propter paupertatem ſepulcra conſpicua in publicis locis conſtruere non erat illis permiſsum, ſed ſolum in ca-

A cauernis & cryptis ſub terra; ſicuti etiam mos erat Patriarchis Veteris teſtamenti in ſpeluncis ſepelire.

Quamquam in iſtis cœmeterijs non ſolum priſci fideles corpora ſepeliuiſſent, ſicuti Patres Veteris teſtamenti conſueuerant; verum tempore ſæuientium Imperatorum contra fideles; ijdem in illis conueniebant, vt verbum Dei audirent, ſacramenta reciperent, anniuerſaria martyrum ibidem conditorum celebrarent, vt etiam ſynaxes & alia ſacra, & pia Chriſtianæ Religionis peragerent: vt hinc fuerint forſan eadem cœmeteria concilia Martyrum nuncupata, vt in actis Ioannis Presbyteri, in quibus hunc ſanctum penes Martyrum concilia ſepultum fuiſſe legitur.

Summi quoque Pontifices in hæc eadem cœmeteria conueniebant: in quibus tempore perſequentium Imperatorum habitabant, ſynodos & ordinationes celebrabãt, baptiſmum conferebant, & fideles ibidem afflictos & abſconditos recreabant, vt in actis Calliſti, Vrbani, Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelij, Stephani, Sixti Secundi, Caij & aliorum Pontificum. Pariter
B dum Eccleſiam hæretici Imperatores perſequebantur, in eadem loca fideles, ac ſummi Pontifices eorumdem temporum confugiebant, vt legitur tom. 1. Concil. ibi: *Habitabat Liberius Papa ab Vrbe Roma milliario tertio in cœmeterio Nouellæ iuxta cœmeterium Oſtrianum, vbi Petrus baptizabat.* Et infra: *Eodem tempore Paſchæ baptizauit Liberius in eodem cœmeterio promiſcui ſexus quatuor millia & duodecim.* Refert etiam Blibiothecarius: *Habitauit Bonifacius Primus in cœmeterio S. Felicitatis via Salaria.* Et de Ioanne Papa Tertio refert idem Bibliothecarius: *Tunc venerabilis Papa retinuit ſe in cœmeterio SS. Tyburtij & Valeriani, & habitauit illic multo tempore, vt etiam Epiſcopos ibidem conſecraret.*

Reddita autem Eccleſiæ pace: conſtructa in prædictis cœmeterijs plurima fuere Oratoria, & cappellæ, & alia ædificia; ac ſummi Pontifices maximè inſteterunt ad illorum inſtaurationem & ampliationem, & augendam in Populis eorundem locorum venerationem: & de Fabiano Papa Bibliothe-
C carius inquit: *Hic multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit.* Et idem de Ioanne Tertio: *Hic ampliauit & reſtaurauit cœmeterium ſanctorum Martyrum, & inſtituit vt oblationes hamulæ* (nempè panis, & vini pro ſacrificio) *& luminaria per eadem cœmeteria in omnibus Dominicis à Lateranis adminiſtrarentur.* Ac etiam de Gregorio Tertio idem refert: *Hic inſtitutis diſpoſuit, vt in cœmeterijs ſanctorum Martyrum circumquaque poſitis Romæ in die natalitiorum ipſorum luminaria ad vigilias faciendas & oblationes, de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Miſſas per Sacerdotem, qui pro tempore fuerit.* Et in Vita Nicolai Primi: *Hic Pontifex cœmeterium S. Marci inter viam Appiam, & Ardeatinam multis ruinis conquaſſatum, atque contritum, mirificè conſtruxit, ac decorauit, diuinique cultus myſterium, quod multos per temporum curſus diſceſſerat; reſtituit.* Et ſuper hæc eadem cœmeteria à tempore Magni Conſtantini cœptæ ædificari eccleſiæ, à quibus per gra-dus deſcendebatur, cuius adhuc remanent veſtigia.

Nec hæretici nec ethnici ſepeliebant in cœmeterijs.

Hæc prima inſtitutio & fundatio fuit ſacrorum Cœmeteriorum. Cum au-
D tem dubitaſſent aliqui ſepulta in illis etiam cadauera Ethnicorum, hæreticorum, & ſchiſmaticorum: quantum à veritate hoc fuerit alienum, conſtabit. Ethnici namque diuerſos penitus ritus à Chriſtianis etiam in ſepeliendis defunctis habuerunt: & præter morem comburendi cadauera penes Romanos, de quo Tacitus 16. Annal. de Poppea inquit: *Corpus non igne abolitum, vt Romanus mos eſt; ſed Regum externorum differtum, odoribus conditum, tumuloque Iuliorum infertur.* Et Laertius de Vita Philoſoph. lib. 9. ait: *Aegyptij quoque condientes ſepeliunt corpora, Romani vero incendunt.* Chriſtiani vero à tali ritu abhorrẽtes, ab ethnicis Romanis increpati, quia non comburebant ſed ſepeliebant cadauera, vt refert Minutius in Octauio: *Exe-*

crantur rogos, & damnant ignium ſepulturam. Differebant etiam inter ſe in A
ijſdem ſepulcris; quoniam Romani collocabant cineres propè publicas vias
in ſumptuoſis & conſpicuis monumentis, quorum remanent adhuc veſtigia: :
cineres vero pauperum & vilium perſonarum extra Exquilinam portam con-
diebantur. Chriſtiani autem loca ſubterranea & occulta elegerunt in ſepul-
turas, ibique etiam à perſequentibus tyrannis deliteſcebant, vnde ijdem
damnati puteolanam arenam extraxerunt; vt quoque annis ſeptem quadra-
ginta millia eorundem fidelium ad extruendas Thermas Diocletianas ean-
dem pœnam ſubierint : vt in Roma Subterranea apud Boſium.

In Cœmeterijs prædictis ethnicos non fuiſſe ſepultos conſtans eſt, tum
propter diuerſitatem rituum eorundem à fidelibus, tum propter auerſio-
nem & abominationem eorundem inter ſe: adeo vt nec permitteretur fide-
libus ethnicorum nomina filijs imponere; vt ex ſacris Concilijs & præſertim
Nicæno can. 36. ibi: *Sancti Patres anteceſſorum ſuorum inſtitutioni & veſtigijs*
inhærentes, Gentilium nomina filijs imponi vetuerunt. Quæ auerſio cum inter
illos viuentes intercederet, non dubium quin etiam illis mortuis circa ſepul- B
turam continuaret: vt de quodam Martiali ex hoc ab epiſcopatu remoto,
refert D. Cyprianus epiſt. 68. ibi: *Martialis quoque præter Gentilium turpia,*
& luculenta conuiuia, & collegia frequentata: & filios in eodem collegio, ex-
terarum gentium more, apud prophana ſepulcra depoſitos & alienigenis conſe-
pultos, &c. In quem locum D. Cypriani aduertit Baronius in Annal. an. 258.
tom. 2. his verbis: *Quæ obſignare voluimus ob aliquos leuiter nimis dicentes in*
Vrbis cœmeterijs, vna cum Chriſtianis, Gentiles quoque ſepeliri conſueuiſſe: nam
immane ſcelus id eſſe cenſebatur, &c.

Nec ethnici ſolum; verum nec hæretici, aut ſchiſmatici fidelium ſepul-
cra vnquam contaminabant: cum à conuentu Catholicorum ſemper ij omnes
excluſi remanſerint; vt de Valentino & Marcione ſub Antonino Imp. refert
Tertull. de Præſcrip. capit. 80. ibi: *Vbi tunc Marcion Ponticus Nauclerus,*
Stoicæ ſtudioſus? Vbi tunc Valentinus Platonica ſectator? Nam conſtat illos, ne-
que adeo, olim fuiſſe, Antonini ferè principatu, & in Catholicam primò doctri- C
nam credidiſſe apud eccleſiam Romanenſem; donec ſub Epiſcopatu Eleutheri be-
nedicti, ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua patres quoque vitiabant;
ſemel & iterum reiecti ſunt. Similiter an. Domini 196. à Victore Papa Theo-
dotus hæreticus Conſtantinopolitanus excommunicatus & expulſus fuit: de
quo Theodoretus lib. 2. inquit: *Eum Beatiſſ. Victor Romanus Epiſcopus abdi-*
cauit, & excommunicauit. Aduenit quoque eodem tempore Romam ex
Aſia quidam nomine Praxea, quem Zepherinus Papa excommunicauit, vt
refert Tertull. aduerſus Praxeam cap. 1. Conſueuerunt enim omni tempore
fideles catholici excommunicare hæreticos & ſchiſmaticos; vt ſi quiſpiam
hæretica prauitate infectus fuiſſet detectus, denunciabatur vt talis ſummis
Pontificibus; ita Dionyſius Alexandrinus Sixto Papæ Secundo hæreſim à
Sabellio Ptolemaidæ ſuſcitatam patefecit. Euſeb. lib. 7. cap. 7. Quam abo-
minationem Catholicorum aduerſus hæreticos & ſchiſmaticos non ſolum
viuentes, verum & mortuos circa ſepulcrorum communionem perſeueraſſe
conſtat. D

Amotis Tyrannis & reddita Eccleſiæ pace: ex hæreticis Donatiſtæ ab
Africa Romam aduenerunt: at ij, cum pauci extitiſſent, Templum nec alium
locum obtinuerunt in Vrbe, ſed ſolam ſpeluncam extra Vrbem ſupra mon-
tem quendã; & inde illi Montenſes dicti; vt ex hoc conſtet non cõmunicaſſe
illos cũ cœmeterijs Catholicorum, qui ſub terra & non ſupra montes repe-
riuntur; nec vnquam oculis nouerunt illi Cathedram Petri materialem, nec
ſepulcrum eiuſdem inuiſerunt, nec aliorum Martyrum memoriæ aliquid ob-
tulerunt, nec cum aliquo ex Catholicis ad communionem admittebantur, vt
refert Optatus Meleuitanus aduerſus Parmion. lib. 2. Ex his igitur nec minus

eoſdem

A eoſdem Donatiſtas cum cœmeterijs Catholicorum voluiſſe, nec potuiſſe participare, patet.

Et quamuis idem Optatus aduerſus Parm. lib. 6. Epiſcopum Donatiſtam ſic inquiat: *Baſilicas inuadere voluiſtis, vt vobis cœmeteria vendicetis: non permittentes ſepeliri corpora catholica; vt terreatis viuos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum, &c.* Quæ verba non intelligenda de Baſilicis, ſeu Cœmeterijs Romæ, quæ nunquam illi conſequi potuerunt, vt dixi, ſed de his ſolum ab ipſis ex Africa vſurpatis.

Ariani quamuis Eccleſiam S. Agathæ in Suburra obtinuerint; ex S. Gregorio Reg. lib. 3. epiſt. 19. non infertur propterea habuiſſe illos communicationem cœmeteriorum; quinimmò quoniã cum Catholicis non conueniebant, ſibi ſolis appropriarunt prædictam eccleſiam, ac etiam Merulanam. Sed tollitur omne dubium ex magna Catholicorum auerſione contra Arianos; ſicuti D. Antonius maxime in hoc ſuos diſcipulos increpabat, de quo

B D. Hieronym. epiſt. 53. ad Caſtrutium, ibi: *Cum Arianis nulla vobis ſit coniunctio. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes Chriſtiani eſtis: illi nullo interuallo à gentibus ſeparantur.* Idem Religionis zelus eminebat in illis priſcis eremi Patribus, vt de ſancto Pacomio propè mortem ad ſuos, ita refertur in Vita Patrum lib. 10. cap. 12. *Nulla ſit vobis coniunctio cum ſectatoribus Meletij, vel Arij, vel Origenis, ſeu cæteris Chriſti præceptis aduerſantibus.* Fuit quoque prohibitum Hæreticis oblationes offerre ſupra Catholicorum altaria, nec cum illis orare, ſeu canere; nec hæreticorum libros legere permiſſum: vt ex Apoſtolicis Canonibus, Conciliorum Decretis, Imperatorum Conſtitutionibus; quas breuitati inſeruientes conſultò omittimus. Quod in vſu fuiſſe, hoc vnum referam de ſancto Leone Papa, qui Dei impulſu Manichæos Romæ degentes publicè propalauit, damnauit, eorundemque libros etiam comburi iuſſit, vt ex Proſperi chronica relata per Baronium tom. 6. anno 447. Eorumdem hæreticorum nomina ex libris & tabulis eccleſiaſticis delebantur; vt ex epiſt. ſancti Leonis ad A-

C natolium Conſtantinopolitanum: & ex alia epiſt. Epiſcoporum Aegypti ad eundem Anatolium, vt in concilio Chalcedonenſi & alibi. Et de hac eadem Catholicorum auerſione contra hæreticos, vt nunquam in vſu fuerit iſtos in Catholicorum cœmeterijs ſepeliri; etſi caſu id eueniſſet, non abſoluebantur catholici niſi antea prædicta hæreticorum corpora exhumaſſent, & proiecciſſent, vt perpetua carerent illa ſepultura, vt præter Concilia refertur etiam ab Alexandro Papa IV. *in cap. Quicunque de Hæreſi.*

Et adeo à veritate eſt alienum, vnquam hæreticorũ corpora in ſacris Cœmeterijs fuiſſe ſepulta: quoniam Romani Pontifices omni æuo eadem cœmeteria ſunt venerati, quinimmò ex his plurimi perſequẽtibus Eccleſiam tyrannis, in ijſdem inhabitarunt, eademque poſtea reſtaurantes, vt in actis eorundem Pontificum & eccleſiaſticis Annalibus plenè refertur, quod nullatenus ijdem Pontifices permiſiſſent; ſi dubium aliquod eueniſſet, potuiſſe in illis hæreticorum, aut ſchiſmaticorum corpora fuiſſe ſepulta.

Nec minus defunctorum Hebræorum communio fuit in cœmeterijs Chri-

D ſtianorum, cum illi particulare cœmeterium habuiſſent in via Portuenſi; de quo in opere A. Boſij, cui titulus *Roma Subterranea* lib. 2. cap. 22. Hebræi namque à Magno Pompeio debellati, ſub Imperatoribus Romæ degentes in Tranſtiberina Regione, admodum vilia ibi faciebant exercitia, de quibus Martial. lib. 1. ep. 35. in Cæcilium.

Hoc eſt Tranſtiberinus ambulator,
Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis.

Et idem Martial. lib. 12. ep. 46.

A matre doctus, nec rogare Iudæus,

Nec sulphurata lippus institor mercis. A

& Statius lib. primo Siluar.

Illic agmina confremunt Syrorum.
Hic plebs scænica, quique comminutis
Permutant vitris regale sulphur.

Quod in prædicta etiam regione Transtiberim habitassent Hebræi præter Ciceronem, & alios testatur Philo in legatione ad Caium, dum loquitur de Augusto his verbis: *Alioquin non passus fuisset Transtiberim bonam Vrbis partem teneri à Iudæis, quorum plerique erant libertini: quippe qui belli iure in potestatem redacti, ab heris suis manumissi fuerant, permissi ritu maiorum viuere. Hos sciebat habere suas proseuchas, in quibus cœtus facerent, præsertim Sabbatis, iuxta Religionem patriam. Sciebat eos collectas primitiarum nomine mittere Hierosolymam, & certos homines, qui pro ipsis offerrent victimas. Eos autem nec Vrbe iussit excedere, nec mulctauit iure Ciuium.* Hæc Transtiberim eorum habitatio ad antecedentia vsque sæcula nostra permansit, vt ex recentium Hebræorum traditione; & ex præfatis non est ambigendi locus B habuisse eosdem particulare Cœmeterium, & hoc maxime in Via Portuensi commodiore, & propinquiore Transtiberinæ regioni: quod præter Hebræorum inscriptiones, & signis Candelabri ibidem supra muros, & in lucernis repertis indubitatè testatur Bosius in sua Roma Subterranea supra citata. Ex quibus dum ipsi Hebræi particulare habuerunt Romæ Cœmeterium, non probabile cõmunicasse illos cum sacris Christianorum similibus,

Figura indifferentes. Quoniam in sacris Christianorum Cœmeterijs repertæ aliquando figuræ indifferentes fuere cum aliqua etiam ethnicorum suspicione: ex hoc autem non tollitur in illis illibatus Christianorum vsus ab alijs quibusque gentibus segregatus. Poterant namque prisci illi fideles à Gentilismo ad Christianam Religionem conuersi, figuras illas indifferentes seruare; & ab Apostolis & summis Pontificibus in his tolerati, dum Christianæ religioni non repugnarent. Sic etiam fideles illis Symbolis, & hieroglyphicis vtebantur apud ethnicos etiam indifferentibus, & promiscuis, inde etiam in annulis ijdem fideles C apponebant figuras piscium, columbarum, nauis & similium, vt legitur in Pædag. Clementis Alexand. his verbis: *Sint autem vobis signacula, Columba, vel pisces vel nauis, quæ cursu veloci à vento fertur; vel lyra, vel musica, qua vsus est Polycrates; vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus; & si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aquis extrahuntur &c.* Quæ omnia signa mysterium reconditum in se habebant. In actis etiam M. S. S. Cæciliæ legitur illam sepeliuisse corpus sancti Maximi martyris, in cuius arca phœnicis symbolum erat scalptum; *ad indicium fidei eius, qui resurrectionem se inuenturum exemplo phœnicis ex toto corde susceperit.* Conspiciuntur etiam in ijsdem Cœmeterijs Christi & Apostolorum figuræ forma agnorum: eiusdem Christi forma Orphei: cuius explanationem, & similium, ne longior sim, late refert Bosius in sua Roma Subterranea lib. 4.

Consideratio. Diximus de Martyrum & aliorum priscorum fidelium Cœmeterijs in Vrbe: qui cum in bona confessione obijssent, non mortui sed dormientes dicebantur; ita loquitur Grammaticus in cap. 23. Mat *Mos obtinuit apud Christianos, vt mortui eorum, qui in bona confessione discesserunt, non mortui, sed dormientes vocentur, & monumenta eorum dormitoria.* Ac etiam D. Chrysost. hom. 59. ad Populum ait de monachis: *Nec vllus audet dicere, ille mortuus est, sed ille consummatus est.* Vtilis namque huiusmodi Cœmeteriorũ aspectus, præsertim cum sanctimonia nobiles fuerint illi, quorum corpora ibi continentur. Dauid in Regem vngendus Deum consuluit, vt sciret quo in loco id præstandum esset: respondit que Dei oraculum: In Hebron illi eundum esse 2. Reg. 2. in princ. *Quia*, inquit ibi Liranus, *in illa ciuitate sunt sepulti quatuor principales Patriarchæ, propter quod Caleb illuc iuit ad orandum Dominum ex deuo-*

tione,

A *tione, Dominus voluit quod ibi inciperet regnum Dauid* : ſicque regiam ſtatim mentem ab illic ſepultis ebiberet. Obſeruatum eſt etiam Petrum poſt trinam negationem ter ad Chriſti ſepulcrum ſe contuliſſe. Euthymius in cap. 24. Lucæ, ibi : *Trina ergo vice ad ſepulcrum accedens, trinam curauit negationem.* Denique exemplum Abrahæ intueor. Gen. 23. ibi : *Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris* : Vt nos diſceremus, eorum eſſe, qui ſpectarunt funera & ſepulcra, ad altiora conſcendere, ad ſublimiora ire, ita Caietanus in illum locum : *Hinc Abraham à funere ſurrexiſſe, non receſſiſſe eſt dictus, quia illius eſt, qui cadauera ſpectat, ad celſiora ferri*, & ſublimioris vitæ ſtatum inſtituere.

Nobis quoque à funeribus, & ſepulcris Sanctorum recedendum ; ſed ita recedamus, vt ſurgamus : meliores curémus euadere, in ſublimia feramur ; in perennatura. Quid adhuc hæremus terræ ? Quid morituris immorimur morituri ? O veræ vitæ inhalet nobis Deus ſtetiſſe circa ſepulcra : Finio, & altè inclamo : *In Cœlo victurus, mentem dum hic viuit, in Cœlo ſepeliat.*

B

De Pontibus ſupra Flumina. Cap. XV.

VIdimus Aquæductus ſupra terram eleuatos, eoſdemque ſimul ac cloacas per viſcera montium effoſſas : cognouimus etiam Cœmeteria Sanctorum in penetralibus terræ extructa. Addendum quoque eſſet de amnicis Aggeribus, & Pontibus ſupra flumina à Romana potentia extructis : breuitati autem inſiſtentes de Vrbanis Pontibus primo referemus.

Pons Sublicius.

At viro Pontium Romæ extructorum in Tiberi antiquiſſimus eſt *Sublicius*, ab Anco quarto rege, qui Ianiculum adiecit, factus è trabibus, tabuliſque iliceis, vnde nomen accepit Roboreus. Idem clarus Horatij Coclitis pugna, cum ægre diſruptus, ne clauis vmquam ferreis committeretur ſanci-

C tum eſt. Hunc P. Victor *Aemilium* nominat : nam ab Aemilio Lepido Prætore lapideum factum volunt. De iſto ſic loquitur Tacitus : Othone Principe, *Tiberis immenſo auctu prærupto Ponte Sublicio refuſus*. Situs erat Pons iſte ad radices Auentini montis, cuius adhuc rudera ſeu pilæ remanent.

Palatinus ſeu Senatorius.

Non multum ab Auentino diſtans erat alter Pons, olim *Senatorius*, *ſeu Palatinus* nuncupatus, qui nunc ſanctæ Mariæ dicitur. De quorum Pontium proximitate ad Circum loquitur Ouidius.

Pontibus, & magno iuncta eſt celeberrima Circo
Area, quæ poſito de Boue nomen habet.

Reſtituerat hunc Pontem Iulius Papa Tertius, tum magna ex parte Gregorius XIII. ſub initium anni ſecularis 1575. durantibus antiquis fornicibus ad vtramque ripam. Sed anno 1598. inundante, vt numquam ante, Tiberi verſus Palatinam ripam iterum ruptus, nec dum inſtauratus, in vſu non eſt.

Fabricius.

Duo deinde Pontes peruetuſti operis inſulam Tiberis iungunt : *Fabricius,*

D *& Cæſtius.* Fabricius nunc quatuor Capitum a quadrifronte Iani ſtatua ibi poſita in citeriore ripa. *L. F. CVR. VIAR. faciundum curauit* : vt in vtroque fornicis arcu ſcriptum eſt. De eo Dion lib. 37. *Pons quoque lapideus ad Inſulam, quæ in Tiberi extat, pertingens extructus, Fabriciuſque dictus eſt.* Id peractum A. V. DCXCII. Alterum olim *Cæſtium*, nunc ſancti Bartholomæi Ianiculum verſus, Valentinianus, Valens, Gratianus Impp. vt monet duplex inſcriptio, faciundum curarunt. Ipſa porro Inſula præter templum Iouis, Aeſculapij, Fauni, lapidibus olim inſtructa in modum puppis, inſignem fertur habuiſſe ſtatuam Iulij Cæſaris, ac ſemel, quod ſcribit Tacitus lib. primo hiſtor *in Inſula Tiberini amnis ſereno & immoto die ab Occidente in Orientem*

Cæſtius.

tem conuerſam. Eodem loco Simoni Mago ſtatuam ethnici poſuerunt, vt narrat Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtor. lib. 2. cap. 12. A

Ianiculenſis. Propè inſulam alterum pontem nomine *Ianiculenſem* ſtatuunt, vbi nunc Sixtum: Sixtus IV. Pont. Max. magnificè poſuit.

Vaticanus. Pontis *Vaticani* in via Triumphali ad Noſocomium S. Spiritus nonnulla in flumine cernimus extare veſtigia.

Miluius. *Miluius* extra Vrbem deriuato vocabulo ab Aemilio Scauro conditore dictus eſt, eumque Nicolaum V. Pont. Max. perhibent inſtauraſſe.

Aelius. *Aelius* ad molem Adriani adhuc extat: de quo Spartianus: *Fecit Adrianus & ſui nominis pontem, & ſepulcrum iuxta Tiberim.*

Ethæc de Pontibus, præſertim in Vrbe attigiſſe ſufficiat.

Pons Traiani ſupra Danubium. Quoniam in iſtis & ſimilibus Pontibus ſuper flumina non multum coruſcat Romana maieſtas, cum apud exteras gentes ſimiles eſſent in vſu: maximè autem inter egregias Romanorum moles enituit Pons ille ſupra Danubium, ab Imp. Traiano in Dacica expeditione, de quo nobis erit referendum: & hunc præſertim in comparatione aliorum, de quibus referunt ſcriptores, lubet memorare, quem dictus ille Imperator ſtruxit operum omnium fortaſſe arte & difficultate maximum, ſi non ſumptu. B

Deſcribit illum graphicè Dio Caſſius his verbis: *Traianus Imperator pontem lapideum ſuper Iſtrum ſtatuit, quem ego nec dignè quidem habeo admirari. Nam etſi alia pulcherrima Principis eius opera extant, tamen hoc eſt ſuper omnia. Pilæ igitur eius ſunt viginti, è lapide ſecto, & quadrato, quæ altitudinem habent cl. pedum, latitudinem lx. Diſtant inter ſe clxx. pedes, fornicibus deuinctæ. Quomodo autem non aliquis ſumptum in iſtas admiretur? quomodo non & deſtituendi, firmandique modum? idque in flumine magno, & vortigoſo & fundo ipſo infido, & limoſo. Nam nec auertere quidem curſum fluminis licuit vllo modo. Nec vero de magnitudine fluminis ideo dixi, tamquam ibi maximum ſit (imo vero alibi duplo maius eſt, aut triplo, atque inſtar Pelagi ſe diffundit:) ſed quia locus ille arctiſſimus ibi locorum, & aptiſsimus ponte iungi, eſt tantus. Quo autem magis in arctum illud ex lato contrahitur, & rurſum in latum ſe effundit; tanto nimirum & rapidius fluit & profundius exiſtit. Vt hoc quoque difficultatem atque arduum operis valde auxerit. Magnitudo igitur animi Traiani ex eo quidem conſtat, non tamen vſum nobis nunc præbet: ſed pilæ dumtaxat ſtant, quaſi in eum finem modo ſtructæ, vt documento ſint, nihil eſſe quod ingenio humano non poſſit effici.* Additq; deinde Adrianum Imperatorẽ metu, ne barbari ea tranſirent, an æmulatione in optimum Principem, iuſſiſſe ſuperiora pontis dirui: atque ita pilas ſolas manſiſſe. Putat & cenſet Dio omnia ab hoc opere ſuperata, & refert *Pilas viginti* fuiſſe: atque Paulus Iouius florentis ingenij ſcriptor dicit etiam nunc triginta ſex extare & conſpici in confinio Vallachiæ & Tranſiluaniæ ad oppidum Seuerinum. Sed Pilas viginti fuiſſe conuincit ratio Dionis fluuium ibi arctiſſimum eſſe; nempè paulò minus vnius milliaris, vt refert Lipſius de Magnitudine Roman. lib. 3. cap. 13. Accedit quod de auctoritate Dionis ſcriptoris non ſit ambigendi locus, cum vir ille non ſolum inſignis peritia, verum & honoribus in ipſis ijs locis Præſes fuerit Dalmatiæ, Pannoniæque. Itaq; ſcire veriſimilius debuit in cura iſta rerum ſcribendarum: potius tamen credẽdum vt errauerit Iouius qui etiam alibi auditionum facilis & parum diligens examinis, aut veri. Subdit etiam Dio: *Pilarum interuallum fuiſſe clxx. pedum.* Grande hoc concamerationis ſpatium, nec efficiendum, niſi altitudo illa pilarum, & tarde, ac lenta inclinatione fornix ſurrexiſſet. Præterea Dio: *Mirari ſe quomodo in tali profundo flumine, & verticibus Pilæ firmatæ.* Difficile omnino opus; ſed Adrianus pontem ſic bene ſtructum deſtruxit: inuidit enim optimo, maximoque Principi & habere ſupra omnes glorioſum voluit magis quam mereri. Et hæc dixiſſe de Traiani ponte ſupra Danubium ſufficiat. C D

De

De Aggeribus, & Pontibus ad mare extructis. Cap. XVI.

SVperba in Orbe ædificia, & in Romana Vrbe præsertim à diuersis Regibus, & Imperatoribus, ac etiam priuatis personis constructa, *sumus* peruagati. Aliqua etiam attigimus de ædificijs fabricatis sub terra; quinimò in eiusdem etiam terræ viscera penetrantes, Aquæductus vidimus. Pontes quoque super flumina perspeximus: sed hæc non tanti stuporis erant, vt componi potuissent cum admirandis molibus, seu aggeribus in medio maris extructis, de quibus *sumus* scripturi. Quanto siquidem difficilius est ingentem illum, terrasque omnes lustrantem Oceanum frænare, quam flumina, vel lacus, vel minora maria; tanto deprehendemus nostros hos Aggeres in mari erectos omnibus aliorum operibus præponendos.

Pons Darij in Bosphoro.

Primo ergo loco proferam in medium Pontem in Bosphoro Thracio extructum, quem Darius Hystaspis filius Persarum Regis extruxit, cum in Europæos Scythas, & Græcos tenderet; vt Herodot. lib. 4. qui Melpomene inscribitur, est auctor: vbi inter cætera inquit: *Darius Susis mouens, peruenit Chalcedonem ad Bosphorum, vbi pons iunctus erat. Ille conscensa naui traiecit ad insulas Cyaneas, &c.* Postea subijcit obseruatam à se etiam Propontidis mensuram; vt in his verbis: *Longitudo vero istius oris, siue collum, quod Bosphorus vocatur, ad quod pons Darij situs fuit, est stadiorum* 120. *tendit verò in Propontidem Bosphorus.* Et infra: *Cuius angustiæ sunt septem stadiorum.* Quamuis calculus iste Herodoti differat ab alio Plinij lib. 4. c. 12. ibi: *Angustiæ appellantur Thracius Bosphorus latitudine* 500. *passuum, qua Darius pater Xerxis copias ponte transuexit.* Nam quingenti passus, vt refert Plinius, non efficiunt nisi quatuor stadia; cum Herodotus ei tribuat stadia septem, hoc est passus 1370. At vero tantam fuisse ibi faucium angustiam, vt teste Plinio lib. 6. cap. 1. *Bouis permeabilis est transitus, & alitum cantus, canumque latratus inuicem audiuntur, vocis etiam humanæ commercia inter duos orbes meante colloquio; nisi cum id ipsum auferunt venti.* Infelix denique fuit huius expeditionis exitus: Darium istum Scythæ turpi submouere fuga, vt loquitur Iustinus: ipse cum Græcis dein congressus, dum bellum restaurat, in ipso apparatu decessit, vbi Themistoclis virtus emicuit.

Pons Xerxis ad Hellespontum.

Subsequitur alter Pons ad Hellespontum, quem Xerxes Dario progenitus cœptum aduersus Græciam à patre bellum, per quinquennium instruxit. Hominum septingẽta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxilijs; naues quoque centum millia numero habuisse dicitur. Sed tanto agmini Dux defuit. Pontes non ad Bosphorum, sed ad Hellespontum structi fuere duo inter Sextum & Abdium. De Ponte illo sic Plin. lib. 4. cap. 12. *Primas angustias Hellespontum vocat: hac Xerxes Persarum Rex contracto è nauibus ponte duxit exercitum.* Vnum fuisse pontem credidit Plinius; sed ex Herodoto, qui de hoc bello diffusè tractat, lib. 7. qui inscribitur Polymnia, duos fuisse constat, ibi: *His peractis per alterum pontium, qui vergebat in Pontum peditatus omnis, equitatusque transiuit, per alterum vero qui vergebat in Aegeum, iumenta & seruitia.* De Hellespontiacitudine non conuenit inter scribentes, quamuis Plinius septem stadijs fretum illud finiat lib. 4. cap. 11. ibi: *Hellespontus septem stadijs Europam ab Asia diuidens, quatuor illic inter se conterminas Vrbes habet; in Europa Callipolim, & Sestos; in Asia Lampsacum & Abydum.* Et cum Plinio in hac septem stadiorum latitudine concordat etiam Herodotus adductus. Xerxes autem in hac expeditione, vt refert Iustinus: *Primus in fuga, postremus in pugna semper visus est: in periculis timidus; sicubi metus abesset, inflatus: ante experimentum belli fiducia virium, veluti naturæ*

ipsius

ipsius dominus. Et, vt verbo dicam, *Lepus Galeatus*. Similia apud Aemilium Probum in Themistocle: Orosium lib. 11. c. 10. Diodorum Siculum lib. 11. A

Agger Alexandri magni ad Tyrum.

Proponitur tertio loco Agger Alexandri Magni ad Tyrum, cum tenderet in Orientem, vbi mare ac tempestas impediens magnos ipsius Alexandri conatus, & moles iactas disijciens: vbi obsidentium & obsessorum animus & obstinatio pares in impediendo & disrumpendo aggere falcibus, harpagonibus, & ferreis alijs instrumentis. Externa auxilia afferebant Carthaginenses obsessis Tyrijs, quibus illi originem suam debebant. Ac demum ijdem Carthaginenses ad humanas victimas rebus desperatis confugerant: & cum nequicquam proficuisset fortitudo & amor patriæ Tyriorum; inclyta tandem illa ciuitas ab Alexandro septimo mense quam oppugnari cœpta erat, capta est. Vrbs & vetustate originis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam posteritatis insignis. Atque hæc ex Aggere Alexandri; cuius ope Tyrus capta est: vt exactè, & purè diffusè scripsit Q. Curtius.

Pons Pyrrhi ab Hydrunte.

Referam quarto de Ponte ab Hydrunte Italiæ ad Apolloniam Græciæ pertingente opus Pyrrhi Epirotarum Regis, vt refert Plin. lib. 3. c. 11. Postea B etiam Varronis conceptum animo, decretumque in bello Piratico, ex L. Floro. Sed neque ipsum Varronem, neque Pyrrhum alijs curis impeditos, ab instituto opere destitisse; vera autem & vnica causa fuit impossibilitas.

Scipionis Africani ad Carthaginem.

Quintam adducemus molem Scipionis Africani Minoris ad Carthaginem, defendente vrbem Asdrubale, in qua triginta millia selectorum militum erant, vt recluſis aditibus annonæ subuentione priuaret, atque inde ad deditionem cogeret. Obseptis omnibus terrestribus itineribus restabat portus. Produxit ergo in mare longum Aggerem ab ea tænia, quæ inter stagnum erat, & mare; atque os portus protendit, postea saxa grandia ita deiecit, disposuitque, vt ne fluctibus cederent: ac ita portum clausit. Porrò Aggeris illius latitudo in superficie erat pedum xxiiij. in fundo verò erat quadruplo maior. Id opus quamuis ab initio Pœni deriderent, tandem territi aggressi sunt diuersa portus parte fodiendo aperire os aliud, quò nullus agger pertingere poterat propter maris altitudinem & vim ventorum sæuientium. Atque hæc quidem Appianus Alexandrinus lib. de bellis Punicis. C

Cleopatra ad Pharos.

Sexto supponendum quod Cleopatra Aegypti Regina Ptolemæi Auletę filia: quoniam insula Pharos Rhodiorum obnoxia erat vectigalibus. Fœmina callida in fraudes, solemnium specie feriarum publicanis secum ad suburbana perductis, opus iusserat nimia celeritate septem dierum, totidemque stadiorum: molibus iactis in mare Pharum continenti Alexandriæ iunxit: quo cum vehiculo ingressa, inquit: *Errare Rhodios flagitantes Portorium Insularum, non continentis*. Refert Ammianus Marcellinus lib. 22. agens de Cleopatra.

Iulij Cæsaris ad Brundusium.

Septimo succedit opus Iulij Cæsaris ad portum Brundusinum. Reperijt Cæsar Pompeium remanere Brundusij cum cohortibus xx. forsan quò facilius inde omne Adriaticum mare cum extremis Italiæ partibus, regionibusque Græciæ in potestate haberet: exitus Brundusini portus ille impedire instituit; cuius portus fauces angustissimæ cum essent, molem atque aggeres ab vtraque parte littoris iaciebat. Contra hæc Pompeius turres magnas D erigebat, & omni genere telorum ad opera Cæsaris appellebat, vt rates prærumperet, & opera disturbaret: sed prope dimidia parte operis à Cæsare effecta, diebusque nouem in ea consumptis: Pompeius siue operibus Cæsaris permotus, siue etiam quod ab initio Italia excedere constituerat, profectionem parare instituit: vt refert idem Cæsar lib. 1. de Bello ciuili.

Caligulæ Imp. ad Baianum.

Libet octauo referre Caligulæ amentiam intra ipsa maria ad pontem Baianum; sed cum à Puteolis orsus esset, incertum est desieritne ad Baias, an ad Puteolos; vt prolixe refert Dio lib. 58. totam illius vanitatis historiam: & à Baulis ingressum scribit, & egressum ad Puteolos: Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 18.

A lib. 18. cap. primo a Puteolis pontem ducit ad Miſenum. Audiamus etiam Suetonium ibi: *Nouum præterea & inauditum genus ſpectaculi excogitauit: nam Baiarum medium interuallum, Puteolanas ad moles trium millium & ſexcentorum ferè paſſuum ponte iunxit, contractis vndique onerarijs nauibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperiectoque Aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem vltro citroque commeauit biduo continuò. Primo die phalerato equo, inſigniſque quercea corona, & ſecuri, & cetra, & gladio, aureaque chlamyde: poſtridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famoſorum equorum &c.* Exagitat ſtultitiam iſtam Seneca lib. de Breuit. Vitæ, ibi: *Modo intra paucos illos dies, quibus C. Cæſar perijt ſi quis inferis ſenſus eſt, hoc grauiſſime ferens; quod decedebat Populo Romano ſuperſtite, ſeptem aut octo certè dierum cibaria ſupererant; dum ille Pontes nauibus iungit, & viribus Imperij ludit; aderat vltimum malorum obſeſſis quoque alimentorum egeſtas. Exitio pene ac fame conſtitit, & quæ famem ſequitur rerum omnium ruina, furioſi & exteri, & infeliciter ſu-*
B *perbi Regis imitatio.*

Nono memoranda moles proponitur modò Maximiani Auguſt. ad Geſſoriacum, quod nunc Bononiam in Gallia appellamus; nam Oceano obiecta fuit in Portu Gallico aduerſus Caraüſum Archipiratam, qui ſumpta purpura cum aliquot Romanis legionibus Geſſoriacum inuaſerat; ſedemque illic belli aduerſus Conſtantium poſuerat, quam facilis illic futurus eſſet ex Britannia ſociorum eiuſdem Piraticæ conſpirationis appulſus. Hinc coactus Maximianus Imp. maritimam vrbem illam obſidere; & actis in portu roboribus, quorum vicinæ ſyluæ ſuppeditabant; ita viam obſtruere; vt neque ſubſidia ex Britannia, neque commeatus obſeſſis afferri vllo modo poſſent: vnde portus occluſus victoriam inde ſponte patuiſſe, vt ſcripſit Panegyriſtes eius temporis ad Maximianum Imp. *Maximiani ad Geſſoriacum Imp.*

Adducam decimo Aggeres Hollandiæ & Zelandiæ (a me in itineribus earum regionum inſpectos) Nulla eſt autem toto Orbe regio Oceani
C furentis æſtibus æquè expoſita, & præſidio Aggerum munita atque Hollandia & Zelandia. Facit hoc ſoli ſitus depreſſior, maximorum amnium Rheni, Moſæ, Vahalis, & Scaldis amplitudo ingentem ſecum aquarum copiam trahentium, ad quorum oſtia Inſulæ illæ ſitæ ſunt: nam cum Oceanus intumeſcit, quod bis fit xxiv. horarum ſpatio, ſiſtuntur aquæ illorum fluminum, & maiori vi retroaguntur ſuo incremento, terras vicinas inundaturæ: eſt enim tunc mare terris altius, & amnes tumefacti, ſi perruptis obicibus ſe in regiones effundant, ſternunt omnia. *Aggeres Hollandiæ & Zelandiæ*

Sed Aggerum in vniuerſum plura ſunt genera: & præcipuè quidam iacti ſecundum vndarum vltro vtroque decurrentium lapſum, quos aquæ non directè impellunt, ſed tantum ſtringunt: eiuſmodi ſunt Aggeres Nili in Aegypto, Ligeris in Gallia, Vahalis, Leccæ, Moſæ, Rheni in Hollandia, Scaldis in Flandria & Brabantia, &c. Alij vero fluctibus decurrentibus opponuntur, eoſque ſiſtunt. Tales ſi obijciantur mari, debent vim eius omnem excipere, & in ſummis eam tempeſtatibus retundere. Eſt quoque ter-
D tium Aggerum genus; cuius non niſi in bello ad vrbes maritimas obſidendas vſus eſt; ne ex mari ad obſeſſos cibaria, milites, arma, aliaque eiuſmodi deferantur; vtque obſeſſi longa fame preſſi ad deditionem tandem cogantur; quod ſi formam ſpectes, poteſt Tranſuerſarium nominari, quia non ſecundum littus, ſed tranſuerſim in mari agitur, vt infra de Aggere ad Rupellam diffusè dicemus.

Eſt aliud Aggerum genus procurrens in mare, quoties æſtus aquarum mutato alueo in aliquam partem violentius incumbit, vt permultos habet Zelandia, quibus ingentes lacus exſiccati ſunt; & præſertim Baneſtra in Friſia Occidentali, & alij plurimi. Neque enim putandum, eam ſemper

fuisse faciem illarum regionum Septemtrionalium, quæ nunc cernitur; aut subitò ex forma illa priore,& neglecta in hanc, quã nunc videmus, cultissimam & amœnissimã transiuisse, sed multo tempore, magno labore, immanibus impensis, summa vigilantia ad hanc recentem formam opus fuit. Neque dubium est, quin depressior fuerit olim Batauici soli fundus; ita scilicet auctæ sunt terræ,& priori solo quasi inducta veluti crusta, quam postea aggeribus munitam eodem statu conseruarunt: sed inter cæteros, quos incolarum industria extruxit; est locus in Hollandia nuncupatus Sylua Canina, qui quamquam eminentis artificij, Oceani tempestatibus quasi miraculosè videtur succubuisse. Quo fit vt, qui nunc nauibus in huiusmodi æstuarijs pleno mari vehuntur, videant interdum cum stupore arua, segetes, pascua, ipsaque arborum cacumina infra se trans aggerem sita: quique intra aggerem degunt, suspiciant maria, & naues supra se positas. Nec sit Regionibus illic integris perdendis via certior quam perfossio aggerum, quæ siue tempestate fiat, siue malitia humana, indubitatum exitium adfert: nec vis humana est, quæ possit obsistere. Hinc inundationes agrorum, villarum, vrbium, & pagorum, cuiusmodi non semel in Hollandia, & Zelandia factas narrant historiæ; de quibus inter cæteras refert Ludouicus Guicciardinus in Descriptione Inferioris Germaniæ anno Christi MCCCCXXI. extra Durdrechtum duo & septuaginta pagi perrupto aggere vna eluuione mersi sunt, hausti centum prope hominum millibus.

Nota.

A B

Verum quia, vt dixi, in regionibus prædictis situs maris aggeribus retentus persæpè altior est terræ situ profundiori, vt propterea non sufficiat aggerum præsidium, quin ex profundo terræ mari adiacentis aqua continuò scaturiat, intumescat, & terram iam inde exsiccatam inundet, & iterum submergat. Hinc ab ingeniosa incolarum industria facta in multis locis congerie aquæ scaturientis ex profundo terræ: eamdem illam aquam deinde è campis molis aquaticis educunt, quæ vento continuò impelluntur (sicuti nos vulgari sermone diceremus Molini à vento) quarum impetu aqua in altum elata, illam deinde ad mare transmittunt: & inde aggerum præsidio, & molis aquaticis præsertim campi illi, qui iam sæculis præteritis à fluminibus & mari inundabantur & submergabantur; hodie tali artificio & industria desiccata fructum persæpè centuplicatum reddunt. Mirabile visu, & auditu; vt idem refert Plinius de fertilitate Aegypti lib.18.cap.10.

Molæ aquaticæ.

C

De Pontina Palude, eiusque Exsiccatione. Cap. XVII.

NON multum absimilis naturalibus Hollandiæ & Zelandiæ campis est in præsens Pontina Palus ad mare Tyrrhenum adiacens: intra Rutilos & Volscos se extendens; seu intra Ardeam, Antium & Terracinam; in cuius medio Circeum promontorium reperitur. De qua referam aliqua ex relatione habita à Petro Bertio viro eruditissimo, & Lutetiæ Cosmographiæ Professore eminentissimo; cui dum vixit, intima adstrictus familiaritate fui in Gallia.

D

Pontina Palus, vel Pontinæ Paludes (sunt enim plures in vnum collectæ) nomen habent ab vrbe Pomeria. Eas faciunt flumina exundantia, Amasenus præcipuè, & Vfens, quæ se in solum depressum effundunt; iuuat & Numicus, de quo Virg. Aeneid. septimo: *Et fontis stagna Numici*. Et Asturius, de quo idem: *Asturium iacet atra palus*. Iuuant & imbres, quorum aquæ ex Albano, Vellitre, vicinisque montibus in illa loca decurrunt; eumque non habeant, quo se exornerent, putrescunt in istis paludibus,

& aerem

A & aerem inficiunt. Vt autem de huiuſmodi Paludum exſiccatione dicamus.

Ridiculum eſt quod ſcribit Plinius lib. 26. cap. 4. *Siccentur hodie Aethiopide herba Pontinæ paludes, tantumque agri ſuburbanæ reddatur Italiæ.*

Tentarunt exſiccare Corn. Cethegus. Eptom. Liuij lib. 46. *Pontinæ Paludes à Cornelio Cethego Conſule, cui ea prouincia euenerat; ſiccatæ: agerque ex ijs factus.* Inciderat autem eius Conſulatus in annum ab V. C. 594. qui fuit ante Chriſtum 156.

C. Cæſar poſtea idem tentauit, Suetonius capit. 43. *Siccare Pontinas Paludes deſtinabat.*

Auguſtus. Horat. de arte Poetica: *Steriliſue diu Palus, aptaque remis vicinas vrbes alit, & graue ſentit aratrum, Regis opus.* Vbi commentator vetus plenius id explicat.

Traianus, Dio lib. 68. *Per Pontinas Paludes viam ſaxoſtrauit, extruxitque iuxta vias ædificia, ponteſque magnificentiſſimos fecit.*

B Decius quidam Patricius ſub Theodorico Gotho Rege Italiæ. Caſſiodorus lib. 2. Variarum Epiſt. 31. 32. Teſtatur idem marmor repertum Terracinæ.

Sed iſtorum opera non ſuffeciſſe docuit experientia. Credo quia non fuerunt à poſterioribus continuata & conſeruata. Certiſsima ratio foret, ſi aggeſtu terræ munirentur fluminum ripæ, ne exundarent, quod quidem leui opera fieri poſſet: tum præfatis molis aquaticis humor educeretur è campis, actis etiam in eam rem foſſis inciſilibus; ſicuti fit per vniuerſam Hollandiam, vbi molæ aquaticæ vento impelluntur: moles autem illas oportet non eſſe temporarias, ſed perpetuas, quarum agitatio nunquam intermitteretur. Ad eam & ad aggeres faciendos conſtituendus eſſet Magiſtratus cum Quæſtore, & Scriba; quorum eſſet ſingulis diebus inſpicere Aggeres, Molas, Foſſas; & exigere pecunias ab ijs, qui Aggeres ibi haberent, eaſque conuertere in conſeruationem agrorum exſiccatorum, ne noua inundatione
C mergerentur. Exſiccatis hoc modo Paludibus ceſſaret noxius & peſtilens aer, qui æſtiuis menſibus loca iſta reddit inacceſſa. Proinde etiam hiberno tempore potiſſimum incumbendum operi: & inde quicquid immani ſumptu, & ſummis laboribus efficeretur ad exſiccandas huiuſmodi paludes, centumplicatos fructus deducendos poſſe ſperari ex huiuſmodi exſiccatis paludibus, non eſt incompertum; vt de ſimilibus terris in Hollandia annis elapſis iam ego cognoui. Namque hominum cultura manſuefactus ager, ſalſugine partim imbribus percolata, partim ſole, & ventis excocta; partim etiam foſsis & canalibus educta, magno cum fœnore ſemina caperet; & tantus inde prouentus accederet ex frumentorum collectione, & animalium paſcuis, cæteriſque fructibus, vt non ſolum hæc ad Vrbem ſuſtentandam, verum ad exteras regiones eadem tranſuehenda cum maximo prouentu ſuppeditarent. Quæ maximè Romanorum Principum animos excitare deberent ad opus tale aggrediendum.

Tranſcurrit per Pontinam Paludem VIA APPIA, opus Appij Clodij
D Cœci. Ducens Roma Brunduſium, & nunc magna ex parte Paludibus merſa eſt. Quamobrem Roma Neapolim proficiſcentibus ad læuam verſus Terracinam in editiora deflectendum eſt. Strabo ad eam foſſam fuiſſe ſcribit, quæ paluſtribus & fluuialibus impleta aquis nauibus patebat, ac noctu maximè nauigabatur: vt qui nauem veſpere intrarent; nunc egreſsi Appia reliquum iter conficerent, Sed & interdiu mulos ait per eam foſſam naues loris trahere ſolitos. Vide omnino Horat. lib. 1. Satyr. 5.

Fuit autem hæc Via ſumptuoſo opere facta elegantium lapidum compagine artificioſè compoſita; vt ad decimum quemque pedem, quæ pertica vetus fuit, & noſtros pedes 12. efficit; lapides ſinguli medio pede præ cæ-

teris eminerent, ac decem pedum mensuram demonstrarent. Latitudo Viæ erat eadem. A

De Aggere ad Rupellam à Christianiss. Ludouico XIII. Cap. XVIII.

ATque hactenus quidem plurimorum Principum & Romanorum potissimè spectauimus opera diuersis orbis locis ad mare extructa: Aggerum, inquam, moliumque diuersas species: alibi quippè iniecta sunt in mare saxa & arbores ad claudendum fretum, & iungendas continenti Insulas: alibi pontibus mari impositis, alijsque eius generis operibus, vt ingeniosa necessitas, vel luxus ditioribus suasit.

Supereſt, vt Aggeres à Chriſtianiſs. Ludouico XIII. Franciæ & Nauarræ Rege portui Rupellano iniectos inſpiciamus (cum ego illius obſidioni octo menſium ſpatio interfuerim apud fel.mem. Io.Franciſcum Card.à Balneo tunc Nuntium Apoſtolicum apud illam Maieſtatem.) Hi vero præ cæteris Aggeribus egregium & ſingulare habebant, quod tranſuerſim per ſinum ipſum ſiuè portum acti ſunt; quod non flumini, non mari Mediterraneo, ſed ipſius Oceani furoribus, & inclementiæ oppoſiti, rabiem atque impetum eius exceperunt; quod non ad tuendam regionem, ſed ad obſidendam vrbem, & impediendos aditus exituſque vltro citroque commeantium inuenti fuerint: demum quod teli hoſtilis iactui, dum aggeres ſtruerentur, continuò Galli eſſent expoſiti; tum ab obſeſſis Rupellæ, tum ab Anglorum claſſe, dum in mari ſuppetias erat ipſis obſeſſis allatura. Ad tales aggeres quoquo te vertas terrarū, & rerum præteritarum memorias luſtres; nūquam offendes opus huic ſimile: etenim cum Iuſtus Rex Ludouicus ægerrimè ferret ciues ſuos in Reges obſequij oblitos; vt facta cum Anglis coniuratione, exterum militem euocaſſent. Videns ipſe Rex irrita clementiæ conſilia apud homines efferos quibus ad officium adduci poſſent; ſtatuit tandem vrbem munitiſſimam obſidere; vt cinctam tam diu longa & lenta fame ad deditionem compelleretur. B C

In Sanctonica prouincia extat Rupella: cuius maris ſinus ante illius portum latitudine ferè MM. paſſuum, ſiuè ſtadiorum ſedecim, qui intra horas XXIV. bis experitur maris incrementa, & decrementa, vt alto ac pleno mari ad decem pedes quotidiè adſurgat æſtus; nouilunijs & pleniluniis ad duodecim: equinoctijs vero Martij, & Septembris, itemque ſolſtitijs multò etiam altius. Hunc ergo ſinum Rex, cum terreſtria omnia itinera circumquaque vallo, foſſa, caſtellis, præſidijſque plurimis muniuiſſet; ſtatuit claudere & Rupellanos exitu, & Anglos aditu prohibere; vt obſeſſi deſtituti cibarijs, quæ ex Anglia, & aliunde ſubuehi poterant, fame tandem ad deditionem cogerētur. Nec mora, miſſi protinus, qui ſaxa eruerent; ſiquidem naturæ beneficio plus etiam ſaxorum ex vtriuſque littoris ſolo poſſet erui quotidie, quam ad Aggeres extruendos requirebatur. Exciti quoque Lutetia Architecti duo, qui Regis decretum, & eius exequendi modum vehementer probauerunt: Inde ingentia ſaxa plauſtris aduecta, longa ſerie in littore vndis nudato duplici ordine diſpoſuerunt: poſtea medium interuallum coniectis promiſcuè per baiulos minoribus ſaxis, leuiterque diſpoſitis impleuerunt. Fecere hos Aggeres declines tum verſus Oceanum, tum verſus vrbem: ijdem quoque trabibus, tigniſque tranſuerſarijs intus opus firmauerunt; vt haberent ſaxa aliquid quod totum ſine calce compagem vinciret & ſtringeret. Ad hoc euocati ex Lemouico MM. opifices cædendis, & aptè diſponendis ſine vlla calce ſaxis adſueti. Milites quoque & ex vicinis pagis agricolæ, baiulorum vicem ſpontè ſubierunt ſpe lucri allecti. Ita intra paucos dies multum promo- D

tum

A tum est: & quia vrgebat obsidentes incerta Anglorum aduentantium fama, depressæ sunt in mare intra duos Aggeres lix. naues muratæ intus, & valida cæmentatione firmiter obstructæ, quæ rupium instar vim tempestatum frangerent, & aditus exitusque impedirent. Hæ postea producto longius opere intra ipsam Aggerum structuram comprehensæ & saxis tectæ sunt, vt continuum & eiusdem fabricæ opus credi posset, nisi quod extantes mali testarentur naues subesse: sic ingens hæc moles in ludibrium maris est substructa, quam antè rei molitio, sumptus magnitudo, & frementium vndarum insani æstus retardauerant. Nihil autem minus credebant Rupellani, & ipsorum fautores Angli, quam vt aduersus tempestates, furoresque Oceani Aquitanici Aequinoctionales & Solstitiales possent ista omnia munimenta subsistere. Enimuero nisi Deus, cuius in manu sunt maria, terræ, venti, cœlum, & tempestates, mirabiliter Regi optimo adfuisset; vt rebelliones & hæreses punitæ extarent, non potuissent ista Oceani totius violentiam retundere.

B Dum ergo incassum expectant Angli, vt moles Regiæ tempestatibus disijciantur, & anxiè nouilunia, plenilunia, solstitia numerant, spatium Regi dederunt Aggeres vndique muniendi. Postquam verò aduersus tempestates Aequinoctij autumnalis stare adhuc aggeres; & præter opinionem suam atque omne iudicium humanum continuatas, perfectasque moles intellexerunt; cœperunt mutatis consilijs de perrumpendis vi aggeribus, & disijciendis molibus seriò cogitare.

Armatur ergo Anglorum classis, & nauium rostratarum præter incendiarias, & eas quibus machinæ vehebantur disploforiæ ad dirumpendum aggerem: hoc interim confoditur in Anglia à Scoto Buckingamius auctor & dux omnium malorum, quæ ab Anglis prouenerunt; suffectusque in eius locum Essexius; vt in hac inopinata Buckingamij cæde non apparuerit maior vnquam dextera Dei armata ad defensionem populi sui. Apparuit primum classis Anglorum mense Septembri in festo sancti Michaelis Archangeli, Franciæ, & totius Christianitatis Tutelaris præsidis: seseque applicuit

C ad promontorium Baiense. Dici non potest quanta tunc fuerit Francorum exultatio, quanta alacritas. Accursum est protinus ex omnibus castrorum angulis ad spectaculi nouitatem. Erat tunc Nouilunium, mare solito altius, ventus etiam fauens. Vidisses nobilitatem Gallicam in littore turmatim consistere, militem ordine dispositum, Duces, ac Præfectos in prima acie phaleratos, armis coruscantibus insignes. Quin & matronæ, virgineſque nobiles quadrigis vectæ, tanquam ad monstrum aliquod imbelle eminus spectandum in vicino littore constiterant. Indignus credebatur Francico nomine, qui tũc arma aduersus communem patriæ, & Ecclesiæ hostem non expediuisset. Ignaua etiam castrorum turba sibi temperare nõ potuit, quin & ipsi ad littus accurrerent: sed ante omnes Rex statura, armis, equo, & lectissima primariorum Ducum frequentia conspicuus, obibat agmina, & suos ad fortitudinem dictis exemploque stimulabat aduersus diu expectatum nominis Gallici hostem. Simulatque vero in remotiores Galliæ

D partes, ac præcipuè Lutetiam fama aduentus Anglorum perlata est, statim vniuersa nobilitas ad Regem suum maxima contentione excurrit: plena erant omnia itinera: creuerunt castra Regis intra quatriduum ad decem hominum millia.

Kalendis Octobris sub horam tertiam pomeridianam pandunt Angli vela & leuatis anchoris componunt se quasi æstu secundo in sinum ingressuri, sed destituens ipsos repentè ventus consilia eluſit. Nocte proxima mittunt machinas disploforias vndecim in classem Regis: hæ ex ferreis laminis in amplioris tubi formam aptatis constabant, plenæque puluere nitrato ferebantur salignis truncis: in medio transuersim erant collocatæ rotulæ, similes ijs, quæ in horologijs conspiciuntur; simulatque machina in solidum ali-

quod

quod corpus impegisset, laxatæ rotulæ ignem in puluerem inclusum impingebant; machina vero disploſa circumstantia omnia disrumpebat magno impetu: sed machinæ istæ omnes in obsidentium Francorum potestatem venerunt; quarum vna impacta in nauem Regiam, nil aliud fecit memorabile, quam multam aquam in nauem iniecit. A


Tertia Octobris commissum est prælium nauale, in quo post multam ferreorum globorum eiaculationem vtrimq; factam, vna Anglicana fulminatrix pertusa & depressa est: & puluis tormentarius igne etiam sub aquis concepto, irritum fecit omnis artificij choragium, vano enim ictu aquas dumtaxat in aerem eiecit. Multi eo prælio Angli periere; è Regijs septem dumtaxat; fuitque etiam hoc singulare diuinæ benedictionis argumentum. Interea Cardinalis Richelieù circumspicere, & in omnes partes prouidere, ne qua ratione Angli vel astu, vel vi possent ad Rupellanos penetrare. Vigilias, stationesque vbique duplicare; obire loca omnia; aggeres, naues, machinas ordinare: tormenta expedire: milites hortari, & voce & exemplo ad virtutem excitare. Aggerum ea fuit ratio, quam antè diximus: inter B
Aggeres vero duæ ingentes naues apertæ planis carinis positæ cum tormentis & militibus; vt Anglum ibi si fortè transitum molieretur, crebra globorum, glandiumque eiaculatione repellerent. In extremis etiam Aggeribus duo erant propugnacula lignea tormentis plena. Ex ipsis quoque Aggeribus duæ vtrimque procurrentes in Oceanum structæ erant moles, inter quas nauibus erat necessario proficiscendum, priusquam ad aggeres penetrarent. Has autem moles tormentis, & militibus sclopetarijs Rex ipse impleuerat. Præterea Directores exercitus ante magnos lapideos Aggeres iactis in fundum sinus magnis trabibus, quæ tignis transuersim confibulatæ erant, & præacutis ferramentis armatæ, Candelabra has machinas appellabant, quæ nauibus Anglicanis moram inijcerent, quando saxeum Aggerem superare tentassent. Ingeniosa siquidem fuit inuentio, vt à littore maris, vbi has ligneas machinas fabricabant; & vt illæ in dicto fundo maris collocarentur; per funes alligatas illas deducebant; in quarum fundamento, vt super aquas G
sustinerentur, alligata erat multitudo doliorum, quæ vacua in se non aliud quam aerem seruabant: & in locum maris destinatum cum machinæ illæ deuenissent, amotis dolijs, replebantur statim lapidibus quædam arcæ lignea, ibidem affixæ; ita vt statim machinæ in loco destinato mergerentur; sicut in delineatione vnius ex prædictis machinis inter se confibulatis, in sequenti pagina apparebit.

In Oceano autem classis Regia excurrebat. Hæc omnia perrumpenda erant ijs, qui Rupellanis obsessis laturi erant suppetias: vincenda in Oceano classis Regia, in sinu pugnandum cum nauibus rostratis; & per tormentorũ tonitrua in molibus positorum, quas ab Aggeribus in altum diximus procurrere; perque impedimenta ad ipsas aggerum angustias penetrandum; vbi siue Anglos æstus destitueret, necessario pereundũ erat, siue non destitueret, nouũ certamen subeundum cum maximorum ex omni parte tormentorum ictibus.

Rupella ſuperata.

Sed consultò abstinuerunt ab ista conceptione Angli. Hinc Rupellani fame enecti, irrita videntes sociorum auxilia, deditionem fecerunt, spectantibus è propinquo Anglis anno Christi MDC XXVIII. festo sanctorum Simonis & Iudæ. Rex capta vrbe in deuictos omni vsus est clementiæ genere; vitam quippè dedit rebellibus: ciuesq; qui iam vmbræ & monogrammi erant, totum triduum aduectis in vrbem alimentis, quæ gratis distribui iusserat, benignè pauit: quorum cibus iam ante per plures menses non alius ferè fuerat, quam coria animalium decocta, & hominum demortuorum cadauera. Turres, murosque vrbis præterea Rex disiecit, soloque æquauit, per annos lxx. continuò elaboratos, non alios certè in Europa secundos. Sic dedita est aggerum istorum, moliumque beneficio vrbs, quæ Regum D

Fran-



B *Trabes magni, ligni transuersim consibulatis, & præacutis ferramentis armatæ, quæ nauibus Anglicanis moram iniycerent, quando saxeum aggerem superare tentassent.*

C *Bases seu fundamenta prædictarum machinarum, quibus alligata erant dolia, vt super aquas sustinerentur.*

A *Icon vnius ex prædictis machinis inter se colligatis, quæ in locum maris destinatum ad summersionem cum deuenissent, amotis dolijs replebantur lapidibus arcæ ligneæ affixæ, vt facilè in mare immergerentur.*

D

Franciſci Primi, Henrici Secundi, alterius Franciſci, Caroli Noni, Henrici Tertij arma deſpexerat.

Fuit miraculo proximum, ſaxa ſine vlla alia cementatione compoſita, & ruſtico opere congeſta potuiſſe tam diu furentibus Oceani vndis, & ventorum flabris obſiſtere. Aggeres enim iſtos non quotidiani æſtus, non Aequinoctialia Veris & Autumni incrementa, non Nouilunia, non Plenilunia; quibus ſupra quotidianum modum ſolent maria intumeſcere, ruperunt: ſimulatque autem vrbs deditione venit in Regis poteſtatem; ſtatim veluti ex condicto pars eorum aliqua deſilijt: mox etiam maior abrupta eſt, ac tota

tandem

tandem dissoluta. Nec dubium est, quin si aliquot mensibus ante illud acci- A
disset, Angli obsessis suppetias ferre potuissent, & difficiliorem reddere
vrbis deditionem, Regisque consilia retardare: sed pugnauit pro Rege ipse
etiam Oceanus; sicut & mare Rubrum post transitum Populi Israelitici redijt
ad naturam suam, & Pharaonem cum Aegyptijs hausit.

Poteram hic finem operi de Aggeribus imponere: sed mouet me argumen-
ti affinitas, & præsentis temporis status. Quod quamuis ignauæ plebi videre-
tur profusa Ludouici Regis impensa in obsidenda Rupella, quæ exclusis mu-
ris & arcibus munitis ad eiusdem defensionem; intus tamen non apparebat
in ea munditia aliqua, nec ædificiorum splendor, seù aliud decorum: At vero
exitus ex illa victoria magnos demonstrauit euentus à dictis molibus & Ag-
geribus excitatos. Quoniam vix capta vrbe, rebelles qui per totum Galliarũ
Regnum vbique munitas vrbes & castra plurima occupata tenebant; cum
defeciſſet illis Rupella munitum maris refugium & asylum; statim apertis ia-
nuis Regi eorundem claues obtulerunt. Inde Rex per duas vices media hie- B
me consenso equo cum exercitu suo, ac æneis tormentis ad eiaculandos glo-
bos ferreos vi pulueris nitrati, secum illa ducens, Alpes per Sabaudiam tran-
scendit & subalpinas regiones penetrauit; vbi Pinarolo recepto iam Galliæ
debito, suppetias attulit Mantuæ Duci, ne Arx Casalis in Monte Ferrato in
potestatem exterorum Regum deueniret. Post hæc autem Ludouicus Rex
Lutetiam reuersus, Germaniam ferè totam deuastari permisit: Lotharingiam,
Alsatiam cum alijs adiacentibus prouincijs apprehendit. Vlterius in Belgio,
& Flandria quot vrbes & arces idem Rex est consecutus; & in Artesia
potissimè illius caput Atrebatum immensis arcibus ad sul defensionem de-
bellauit. Reticeo quod in viscera Hispaniarum irrumpẽtia Francorum arma,
primum Perpinianum, dein Cathaloniam apprehenderint; & vt Portugalliæ
Regnum à Catholico Rege alienaretur, eadem Galliarum arma insteterunt.
Nec hoc satis, cum Galliæ classis maritima anno MDCXXXXVI. obsedis-
set Orbetellum ad Regem Catholicum pertinens; & cum in illius obsidione
Galli defeciſſent; non multos post dies eadem Galliarum classis magis munita C
ex Prouincia in Italiam reuersa Plumbinum ac Portum Longonem est conse-
cuta; quod quantum hoc releuet, euentus Neapolitani Regni hoc testantur.
Hinc quãtæ molis esset Rupellã à Frãcis subiugari, ex iã dictis facilè dignosces.

Faxit Deus vt tot Francorum victoriæ contra Catholicos præcipuè huc-
vsque consecutæ, amotis ciuilibus discordijs, ac etiam secuta inter Chri-
stianos Principes vniuersali pace; vertantur tandem cõtra Othomãnum Ty-
rannum in partes Orientales; ac etiam contra Sectarios Septemtrionales: &
Christi vexillum vbique propagetur; vt fiat vnus Pastor & vnum Ouile.

Vnde & à quo fonte prouenerint Opes Romanorum? Cap. XIX.

SEd vnde iam digressi sumus, reuertamur ad Romanorum opes, & vnde illæ D
tam immensæ prouenerint? In hoc supponendum est nobis, quod the-
sauri coaceruentur subditorum Tributis ampliſſimis; Regionum vectigalibus
certis; Regum & amicorum muneribus cumulatiſſimis; hostium spolijs, præ-
daque opulentiſſima; ac etiam ex maris classibus aurum, argentum, & merces
afferentibus. Hæc, inquam, omnia in immensum superabundasse in Regno Sa-
lomonis, vt ex Sacro textu 2. Paralip. & latè Pineda in tractatu de Rebus
Salomonis lib. 4. per totum. Quarum Iudaicarum diuitiarum comparatione,
quæ portentosæ erant, omnia Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Roma-
norum æraria nullius ferè momenti fuisse videntur.

Opes Salomonis à cæteris depraedatæ?

Salo-

A Salomon autem potentissimus Hebræorum Rex; cum debitum naturæ soluens, excessit è vita; & imminutus à prudentia Roboam, vt Ecclesiast. cap. 47. vers. 28. pro eo regnauit, cuius Regni anno quinto, vt in secundo Paralipom. cap. 12. vers. 3. *Ascendit Sesac Aegyptiorum Rex in Ierusalem, quia peccauerunt Domino, cum centum viginti curribus, & sexaginta millibus equitum, nec erat numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Aegypto, Libyes scilicet, & Troglodítæ, & Aethiopes:* acciti fama thesauri Hierosolymitani, nec prius obsidionem soluerunt, quam penè exhausto Hierosolymitano thesauro: & infra vers. 9. *Recessit itaque Sesac Rex Aegypti ab Ierusalem sublatis thesauris domus Domini, & domus Regis, omniaque secum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon.* Ecce quò iam cœperunt abire thesauri Dauid & Salomonis. Quanta autem hæc præda fuerit, videtur explicasse Ioseph lib. 8. Antiquit cap. 4. *Asportata innumera auri, & argenti multitudine, ac ne scrupulo quidem relicto, detraxit etiam aurea scuta & clypeos &cæt.* Et hæc prima Dauidici & Salamonici thesauri diuisio.

B Vlterius anno Regni Aia decimo, Zaracus Aethiopum Rex cum maximo item exercitu ducens peditum nongenta millia, equitum vero centum millia, adiunctis trecentis curribus, vt auctor est Iosephus. Acciti etiam ipsi fama thesaurorum Templi & Vrbis Hierosolymitanæ: quanquam nulla sacrarum opum facta diuisio sit.

Achab paulo post regnante, Adadus Syriæ Rex contractis è toto Regno copijs, & adscitis vltra Euphratem triginta duobus socijs Regibus contra Israeliticum Regem properauit; vt victo Achab facilius Hierusalem occuparet, Templum opibus & thesauris spoliaret: quamuis optato fine Barbari frustrati, & mutuis vulneribus sese inuicem inuadentes obsidionem soluerint. Quare direptis opulentis prædis, captis equitibus & curribus Adadi; demum in Samariam reuersus Achab deletis centum viginti septem millibus hostium.

Mox centesimo circiter anno postquam à Sesac Aegypti Rege spoliatum
C est Templum; iterum ab Azaele Damasci Rege Hierosolymam obsidente, cõterritus Ioas; omnes thesauros Dei, priorumque Regum exhausit, & cum eis detracta templo donaria misit in Syriam, tanti pacem redimens; & præterea etiam Vrbem expoliarunt. Sennacherib Assyriorum Rex regnante Ezechia, Vrbem cum esset aggressus, non prius discessit, quam trecenta talenta argenti & triginta auri à Rege accepisset, vt ex Iosepho lib. 9. cap. 8. Et hæc initia sunt doloris ad futuram Templi ruinam.

Postremo; ac si nihil huc vsque detractum fuisset à sacro Templo, sacra *Regnum Assyriorum.*
Vrbe, sacra terra post tot tantasque prædas: sub Sedechia Rege Nabuchodonosor capta Vrbe, expoliato augustissimo orbis templo, confractis æneis, aureisque columnis, ferro flammaque Vrbe, ac Templo consumptis; tantam inde auri copiam in Babylonem exportauit ex tota eaque opulentissima Syria, tot sæculis congestis opibus, vt vix explicari valeat: tantisque opibus Babylonios, Chaldæosque ditauit, tanta auri summa suum omne Regnum compleuit; quibus opibus in toto Regno opulentissimo Hebræi fruebantur sum-
D ma pace iam gaudentes: vt nõ immerito Sanctus Vates Daniel cap. 2. vers. 38. post eam prædam dixerit Nabuchodonosori: *Tu es caput aureum*, vbi figurate Regem pro Regno aureo ob infinitam auri copiã ab Hierusalem & Syria reportatam.

Cuius rei gratia proponenda nobis est ante oculos diuina eiusdem Nabuchodonosoris Regis Visio admirabilis statuæ: cuius statuæ *caput ex auro optimo erat: pectus autem & brachia de argento: porrò venter, & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ*, vt in dicto cap. 2. & diligenter similiter attendenda Danielis interpretatio. Nam cum Nabuchodonosore loquens, inquit: *Tu es caput aureum: & post te consurget Regnum aliud minus te argenteum: & Regnum*

tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ: & regnum quartum erit velut ferrum. Qua explicatione per Regnum aureum Chaldæorum Imperium denotari; per argenteum Persarum regnum; per æreum Græcorum Monarchiam; per ferreum denique Romanum Imperium designari manifestum est. Quare non est in hoc immorandum. A

Asia diues post captam Hierusalem.

Hinc Asia omnis alioquin dives, ditior supra modum effecta est; hinc Asiani luxus esse cœpit exordium. Itaque ex vna Hierosolyma tanquam ex vberrimo fonte infiniti penè auri torrentes totam Asiam inundarunt: hinc deinde in diuitem Asiam totus orbis conspirasse visus est. Et primo quidem

Regnum Persarum.

Cyrus Persa, qui Chaldæis Regnum eripuit, vt refert Plinius lib. 33. c. 3. deuicta Asia auri pondo triginta quatuor millia reportauit, præter vasa aurea; argenti vero quingenta millia talentorum; & craterem Semiramidis; cuius pondus quindecim talenta Aegyptiaca colligebat. Hinc post eam victoriam, prædasque ingentes, tantus item in Persarum Reges luxus irrepsit; vt ad caput cubilis Regij conclaue poni consueuerit, in quo erant auri talenta quinque millia, e regione verò argenti tria millia. Itaque non sine B causa Persarum regnum argento comparatur à Daniele, tum quia Persarum Reges, Herodoto teste, argentum ferè semper, aurum rarò Satrapijs tributi nomine imperarunt: tum quia cum Chaldæo regnum Persarum comparatum, non adeo dives auro fuit. Sacrum enim aurum totis iam sexaginta annis vsque ad Cyri victoriam in varias regni Chaldæorum prouincias dispergi, subdiuidi, ac dissipari iam diu cœperat.

Græcorum.

Mox conspirasse in Asianas opes Macedones visi sunt, vt ex Curtio lib. 8. Victo enim Dario compilatis ærarijs vnus Alexander accepisse traditur centum quinquaginta septem millia absq; Babylonica præda; & Strabo centum octoginta millia, ac coronas aureas à legatis Gentium missas æstimatione decem millium talentorum auri, vt auctor est Athenæus, non adnumeratis militum opibus, quæ tantæ item fuerunt, vt ducenta viginti millia bellatorum armis argenteis vti cœperint, eorumque equi aureis frænis. Et tamen Græcorum Imperium rectè non auro, neque argento, sed æri comparatur à C Daniele: non solum ob eloquentiam Atticam, vt benè Pererius exponit, cuius Hieroglyphicum est æs; verum maximè, quia his opibus prædictis nihil obstantibus, ab auro Chaldæorum, & argento Persarum multum recessit Græcorum thesaurus; quippè quadringentis annis vsque ad hanc Alexandri victoriam iam dissipatum, vix tandem minima illius pars in Græcorum potestatem redacta sit.

Romanorum.

Demum in Asianas opes Romani conspirarunt: victo enim magno Antiocho infinitas opes cœpit habere Romana Respublica: ex Asia, vt auctor est Plin. & M. Tullius, luxus in Italiam penetrauit. Ante id tempus nullus ferè Romanis auri vsus, nulla saltem copia: prisci enim Romani in digitis annulos ferreos gestare solebant, nobilitatis & bellicæ virtutis insigne; vt auctor est Plinius lib. 33. cap. 1. Vnde propterea fortè ferro comparantur à Daniele Romani, præter alias causas, quas adducit Pererius, ob hanc præsertim, quia opes Romanæ longissime ab auro illo sacro Chaldæorū, & Persarum argento recesserant. Itaque victa Asia, depositis ferreis digitorum D annulis, aureos acceperunt, quibus adeo digitos onerare solebant, vt minimo digito tres addiderint annulos, quibus paulatim addere cœperunt gemmas exquisiti fulgoris: mox tanta auri & argenti copia Romanis, alioqui continentibus, esse cœpit, vt nullum genus officinæ non argenteum esset: mensæ vasa coquinaria ex argento primum fecit Caluus Orator. Poppæa coniux Neronis delicatioribus iumentis suis etiam soleas ex auro induit: lecti mulierum non nisi ex argento conflati, triclinia ex argento, lances argenteas supra quingentas habuit Caruilius Pollio centenis libris singulas, refert Plinius lib. 33. cap. 11. Claudij vero Principis seruus Drusillanus quin-

quenarias

A quenarias lances ex argento, in Triumpho Magni Pompeij Asia victa allata Romam argentea Phornacis statua, & Mithridatis Eupatoris currus aurei & argentei: paulo post aurea item statua, eaque maxima, nulla concauitate, & sexcenta alia.

Vnus Pompeius Magnus, teste Plinio lib. 37. cap. 2. Asia victa transtulit Romam alueum cum tesseris lusorum è gemmis duabus tantis, vt nulla maior, in quibus Luna visebatur argentea pondo triginta; lecti triclinares tres, vasa ex auro & gemmis nouem; signa aurea tria, coronæ ex margaritis tres & triginta: mons aureus quadratus cum ceruis, & leonibus & pomis omnis generis, circumdatus vite aurea: musæum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat: imago Pompeij ex margaritis: datum Reipublicæ mille talentum; militibus singulis sena millia sestertium; præter cætera vasa ex alijs gemmis.

Ex Asia similiter emersit ille mos offerendi victoribus aureas coronas: Hinc Gallogræcos cum vicisset Manlius, teste Liuio lib. 20. cap. 18. missas
B accepit à Legatis coronas ducentas duodecim honoris gratia. In triumpho Cæsaris bis mille octingentas viginti duas, easque pondo viginti millium quadringentorum quatuordecim, ex Liuio dicto lib. 20. c. 14. quarum deinde pondus augere cœperunt; & fuerunt aliquæ pondo septingentorum, aliæ nongentorum, aliæ mille, factæ nimirum ad pompam.

Tanta diuitiarum & opum in Asia fuit copia, vt bellis ciuilibus ingruentibus paulo post Magni Pompeij triumphum intra pauciſſimos annos Cassius, Brutus, & M. Antonius Triumuir quadraginta millia talentorum collegerint.

Quid plura? ex Asia in vniuersum terrarum orbem, præsertim Italiam, &
C Græciam luxus & opes irruerunt; in hanc quidem sub Alexandro primum; in illam post Lucullum & Pompeij Magni triumphum: vt merito supra omnium diuitias Hebraicas prætulerimus: cum Hebraicas opes & priores & maiores omnibus fuisse demonstratum sit à nobis. Et ex hoc fonte Romanorum diuitiæ prouenerunt; quod nos à principio quærebamus.

Videtis iam quonam abierint Salomonis opes? & tamen ac si nihil vsque adhuc ex tam diuiti solo sublatum esset à Chaldæis, Persis, Macedonibus, Romanis; iterum Romana sitis nedum satiari potuit. Audite quid de Gabinio & Pisone duobus Reipublicæ Consulibus satis sentiat Cicero: *Sat enim alterum haurire quotidie ex pacatissimis, atque opulentissimis Syriæ gazis innumerabile pondus auri, bellum inferre quiescentibus, vt eorum veteres illibatasque diuitias in profundissimum libidinum suarum profundat.* Hæc ille: idque postquam hostium præda facta est Syria.

Quæ cum ita sint, quisnam audeat dubitare, quonam abierint Templi & Hierosolymorum opes? Respondere enim vno verbo potest ex Templo & vrbe auri partem in Aegyptum à Sesac; vt in lib. 2. Paralipom. capit. 12. vers. 9. partem in Aethiopiam à copijs Arabum; vt cap. 16. vers. 2. partem in Damascum ab exercitu Syriorum, vt in cap. 21. vers. 17. partem in Samariam à Ioas, vt in cap. 24. vers. 23. à cap. 25. vers. 24. partem denique in
D Babylonem à Nabuchodonosore fuisse translatam. Ex his Asiæ & Africæ regionibus deinde in Persidem per Cyrum, & in Asiam vniuersam: ex Asia in Græciam ab Alexandro: & in Italiam demum à Lucullo, Pompeio, Cassio, Bruto, M. Antonio, Gabinio, Vespasiano, alijsque Romanis Ducibus & Imperatoribus. Est igitur ex his clarum à prima Templi præda ab Aegyptijs facta, vsque ad postremum eiusdem Templi excidium à Vespasiano & Tito patratum; aurum & opes illas Hierosolymitanas in tot tantasque Regiones dissipatas, ad Romanos peruenisse: tantæ siquidem molis erat, vt Romanũ extolleretur Imperium: & Italia olim Regum domus diceretur, vt Deorum cælum; ex Artemidoro lib. 1. cap. 73. Et quamquam ad nostra

tempora de his vestigium non remaneat; nil mirum, quoniam has omnes Hunni, Vvandali, Gothi, Longobardi, & sexcentæ Barbaræ nationes abstulerũt; vt infra videbimus. A

De Vrbis & Romani Imperij Declinatione, Deprædationibus & interitu. Cap. XX.

DIximus de fonte, à quo copiosæ Romanorum opes emanauerint; consequens, vt etiam cognoscamus de barathro, in quod eædem ingurgitauerint; vt de illis nec vestigium penè remanserit. De hoc miserando exitio Romæ perituræ præcinitur à Sibylla his versibus lib. 7. Oraculorum:

Roma ferox animi, post fracta Macedonis arma
Fulgure perstringens cœlum, sed te Deus omni
Robore priuabit, tum firma videberis esse, &c. B

Vt in Bibliotheca Patrum tom. 14. pag. mihi 55. Hinc sumpta occasione cognoscemus de causis declinati Romani Imperij; videbimus quoque successus eiusdem; ac etiam Vrbis & Romanæ Ecclesiæ calamitates indagabimus. Non negligenda hæc interim mihi, ne quid intactum, neuè inausum quid transisse videar. Raptim tamen in hoc mari magno littora tangenda, & eminus prospectanda ostentasse satis erit; cum illa ex sacris Annalibus cognoscemus.

Romanorum Imperium longe omnium terra marique latissimũ primus Augustus Cæsar non solum armis opibusque firmauit, sed etiam legibus, ac Magistratibus exornauit: post Augustum, Imperium in præceps ire cœpit, quamuis illud bonis restituentibus Vespasiano, Traiano, & paucis admodum quibusdam alijs: etenim Monarchia in Tyrannidem vtplurimum vertitur. Postremo Diocletianus Imp. superioribus fermè institutis retentis illud noui induxit, quod Imperium alteri Communicauerit, vt proximè sibi succedentibus Constantio, & Galerio Impp. occasionem eius Diuidendi attulerit. C Quod institutum excipiens Magnus Constantinus, sic subinde adauxit, vt Roma sede Imperio Occidentali relicta, alterum Orientali domicilium struxerit, ac proprios vtrique magistratus adiunxerit. Ex hac diuisione res Romanæ ad id vsque temporis validæ atque magnificæ quasi infirmiores ac deteriores effectæ; primum occultè labi, deinde apertè præcipitare cœperunt, quousque ad extremum ipsorum siuè ignauia Principum, siuè perfidia Ducum, siuè potentia hostium corruerunt. Hostes vero fuerunt Persæ, Scythæ, atque Germani, qui vltra ipsos Imperij limites, Euphratem, Istrum, *Rhenumque* flumina constituti, quotidianis agrorum incursionibus, atque assiduis bellorum contentionibus vtrumque Imperium primo miserè lacessarunt, deinde funditus euerterunt. Labefactatum deinde Romanum Imperium ex atrocissimis præsertim Christianorum persecutionibus, ac etiam ex Episcoporum de fide Christiana discordia, vnde Hæreses processerunt. Quæ mala terras omnes ita complexa sunt; vt propè nulla remota regio fuerit, quæ non aut hominum sanguine cruentata, aut vrbium incendio deformata, aut fortunarum expilatione exinanita, & atrox spectaculum in sequentes annos exhibuerit. D Nos autem ex ijs, quæ in Vrbe Imperij capite maximè gesta sint, aliqua attingemus.

Igitur Diocletianus cum circa annum Domini 284. electus Imperator a militibus; ac inde postquam multis prælijs Carinus Imp. cum Diocletiano cõflixisset; demum ille à suis proditus, & necatus. Anno autem 286. vt refert Baronius, Diocletianus, Carino sublato, collegam sibi Imperij asciuit Maximianum: cognomentum autem *Herculij* sibi sumpsit Maximianus, sicut &

Communicatio Imperij.

Dio-

A Diocletianus *Iouij*: illique Diocletianus curam concredidit Occidentis, intentus ipse potissimum tutando à Barbaris Orienti. Posthæc pacatis circumstrepentibus bellis, ad securam pacis tranquillitatem ambo educti, ac etiam prouinciarum finibus propagatis, publicorum operum ornatui intenderunt, & maximè in primarijs vrbibus ad famam magnificentiæ aucupandam ædificarunt; & ad liberales artes prouehendas Doctoribus ornarunt. Etenim Diocletianus Romæ, Maximianus Carthagine Thermas instituerunt: Romanarum quidem admiranda in hunc vsque diem vestigia immensam animi Diocletiani vastitatem quamdam ostendunt: quas Maximianus perficiendas ita curauit; vt propterea Christianos miserè admodum habuerit, cum eos & lapides cædere, & arenas eruere operis eius causa coegerit, vt in veteri Sancti Marcelli vita scriptum inuenitur. Similiter Mediolani Circum, Theatrum, Templa, Palatium, Porticus, Thermas Romanam magnificentiam æmulantes extruxit, vt refert Ausonius his temporibus proximus: quod etiam Aquileiæ, Brixiæ, Veronæ, & alibi ostendit.

B Iam pridem vniuersus pacatus terrarum orbis erat, potentissimis Regibus victis, ac bellicosissimis nationibus debellatis, hinc ex antiquo instituto triũphus decernitur magnitudini & gloriæ Imperatorum, omnium confessione, debitus. Inde Diocletianus Nicomedia, Maximianus Mediolano Romam conuenerunt. Ad hanc autem progressi Vrbem, infinita occurrentium Romanorum turba circumfusi Triumphantes inierunt, atque in Capitoliũ profecti solemne sacrificium perfecerunt. Superasse autem hanc pompam hilaritate omnes alias, quarum meminisse homines poterant. Vrbs nimia rerum prosperitate cæcata vsque adeo luxuria diffluebat; vt se in omnium deliciarũ genera intemperanter effunderet; inde ludi magni fici, & scænici, & Circenses adiecti: Cantores autem & scænicos artifices in tanto pretio habuerunt, vt huiusmodi acromata, atque otij liberalis oblectamenta pluris quam Doctos aut disertos homines facerent: mensas sic instruebant, vt exquisitissimis dapibus conquirendis & conuiuijs intempestiuis celebrandis insana libidine dies noctesque consumerent. Ex Plebe autem alij in tabernis vinarijs pernoctabant, quidam aleis pugnaciter contendebant; omnes fermè totos dies in theatris, ac Circis, ludis, muneribusque dediti traducebant; otium ipsum Imperatorum solertia comparatum ad voluptatem non ad virtutem incitamentum habentes. Atque hi quidem mores, licet posteriores aliquot Imperatores emendare conati sint, tamen in dies corruptiores, deterioresque effecti sunt, quousque tota Italia otio marcescente, ac diuturno propè languore torpente Barbari Imperium ex omni parte debile inuaserunt, ac sæuissimè distraxerunt.

Triumphus & deprauati Mores

C

His igitur peractis Augusti ambo Roma exeuntes, eò vnde discesserant, redierunt. Terribilis interim terræmotus, qu[illegible] Sydon & Tyrus toto terrarum orbe vrbes nobilitatis eximiæ, penè à fund[illegible]ntis euersæ sunt, indicium clarum ingentis iræ Dei ob praua consilia, quæ Augusti Romæ in Christianorũ perniciem composuerant, ac sequenti anno executi sunt.

D Hanc Decimam persecutionis cladem instituerunt, quæ omnem terrarum tranquillitatem prorsus dispulit: etenim nouem ante hanc Imperatores vexationes acerbissimas exercuerunt, Nero, Domitianus, Traianus, Marcus, Seuerus, Maximinus, Decius, Valerianus & Aurelianus: quibus Diocletianus quasi *Decimæ palmæ auidus se adiunxit; idque cum collega* Maximiano communicauit. Itaque anno Imperij suo decimonono Nicomediæ die Passionis Dominicæ edictum suo & Maximiani nomine proposuit, idq; toto Imperio diuulgauit, vt Christianorum conuenticula abolerentur, scripta cremarentur, Ecclesiæ diruerentur, Magistratus honore, ac libertate spoliarentur. Hinc iustæ Arnobij querelæ aduersus gentes erupere: *Cur nostra scripta ignibus meruerunt dari? Cur immaniter conuenticula dirui? in quibus*

Christianorum persecutio.

quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis, & venia poſtulatur Magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, &c. Neq; multo poſt alio edicto mandauit, vt qui Eccleſijs præſiderent, vbiq; gentiuſi in vincula traderentur, niſi victimas Dijs ritu gentium immolaſſent, ad quod omnibus tormentorum generibus cogerẽtur; quinimo nec vlli quicquam vel vendere, vel emere liceret, niſi paruisquibuſdam ſtatuis vbiq; paſſim collocatis thura prius incenderent: eſſentq; conſtituti circa inſulas, vicos & aquas compulſores, qui neq; moliendi, neq; aquas hauriendi poteſtatem facerent, niſi ijs, qui idolis libaſſent. Quo tempore ope Cromatij V. C. fidei Chriſtianæ cultoris, & Caſtuli Chriſtiani hominis, plerique alij Chriſtiani vna cum ipſo Caio Papa à perſecutione defenſi ſunt; donec proditione Torquati apoſtatæ, tam ipſe Caius quam Marcus, & Marcellianus fratres Diaconi, alijque vtriuſque ſexus varijs cruciatuum & mortium generibus necati ſunt; inter quos Sebaſtianus primæ Prætorianorum cohortis ductor cum alijs plurimis, de quibus Baronius in Annal. Eccleſiaſticis an. Domini 286. ſiquidem ad xvij. millia intra triginta dies comprehenſi, totum propè Imperium ſanguine ſuo infecerunt.

Depoſitio Imperij.

Diocletianum deinde triſtis ægritudo, & ex ægritudine certa Imperij deponendi cupido inceſſit: vnde autem id prouenerit? diuerſum auctores faciunt; alij quod alienato animo deſipere incœpiſſet: quidam quod Chriſti nomen ſe deleturum, vti cupiuerat, deſperaſſet, poſtquam ſingularem Chriſtianorum in morte conſtantiam perſpexiſſet. Ille autem magnis rebus à ſe geſtis, tanquam fortunæ obſequijs ſatiatus, poſthac in otio ſe velle viuere, curis publicis vacuus præſetulit, atque huius decreti Maximianum participem fecit, eumque licet reluctantem, obſequi voluntati ſuæ coegit, vt Imperium quod ſecum cœperat, ac ſecum concorditer geſſerat, ſecum item eadem animi æquitate deponeret; quod viuentibus, poſterisque omnibus plus allaturum erat admirationis quam æmulationis. Diocletianus autem Nicomediæ Galerium, Maximianus Mediolani Conſtantium Auguſtos ex Cæſaribus declararunt 11. Kal. Maij, quo die vigeſimus Diocletiano Imperij annus abſoluebatur. Indè ambo templum Iouis ingreſſi, populis audientibus, ita dixerunt: *Recipe Iupiter Imperium quod mihi commodaſti, quod ego ita depono, vt reſumpturum non eſſe, ſanctum tuum teſtatus numen, adiurem.* Atque his dictis protinus ipſi ſe Imperij inſignibus, ſtupentibus hominibus potius quam probantibus, exuerunt. His actis Diocletianus inde Salonam in patriam, Maximianus in Lucaniam, vitam in otio traducturi, ſe contulerunt: memorabile exemplum poſteris moderati animi proditurum, niſi quam laudem virtutis bene gerendo Imperio pepererunt, eam iniuſtè Chriſtianos vexando corrupiſſent. Noua certè hæc duo in eo contigerunt, quod *Primus Imperium & communicauit, & poſuit*: vt Oratores dixerunt. Elapſis deinde aliquot annis Diocletianus iam ſenex reſcriptis minacibus à Conſtantino Imp. acceptis, quibus increpabatur Maxentio fauiſſe, & adhuc Maximino fauere; necem dedecoroſam ſuſpectans, venenum hauſit. Ac inde miſerè cruciatur & moritur, vt referunt Annales Eccleſiaſtici.

Diuiſio Imperij.

Conſtantius inde & Galerius Imperium, quod commune Diocletianus & Maximianus habuerant, nouo exemplo inter ſe diuiſerunt. Conſtantio Italia, Africa, Gallia, Hiſpania, & Britannia contigit: Galerio Aſia, Oriens, Aegyptus, & Illyricum. Conſtantius inde in Galliam, Galerius in Pannoniam abijt ad tuendos limites, qui violabantur à barbaris; & ſuas quiſque prouincias longe diuerſa inter ſe ratione gerere inſtiterunt. Nam Conſtantius, ne cui Chriſtianorum Religionis gratia noceretur, edixit: Galerius incœptam perſecutionem in omnibus ſuis prouincijs crudeliter exercere perrexit.

Anno 334. vt referunt Annales Eccleſiaſtici Magno Conſtantino Imperatore

A tore Constantij F. se in omnibus perfectissimum Christianum exhibente; cum more patrio festus apparuisset, quo in Capitolium ascendendum erat; ipse eum ascensum verbis contumeliosis insectans re diuina proculcata, Senatus atque Populi odium incurrit. Cumque profectas ab illis execrationes ægrè ferret; Vrbem quamdam Romæ parem quærebat, in qua Palatium Imperij sedem sibi conderet. Itaque post antiquum Ilium, eo relicto Bizantium concessit; cuius vrbis situm admiratus, eam quammaximè statuit amplificandam, ac idoneam, vt Principis in ea domicilium esset. Ferunt etiam per vilum noctu à Deo monitum, Bizantium delegisse; ad quæ fortasse alluſit Iustinianus, cum dixit: *Constantinopolitanam vrbem melioribus auspicijs esse ædificatam, quam veterem Romam*. Vt refert Baronius anno 324. vbi Spondanus num. 31.

Translatio Imperij ab Vrbe Roma.

Constantinus profecto Pontificem ipsum Romanum præcipuo est honore complexus, qui tunc Melchiades erat. Ratus namque ad fidem dignitatemque suam pertinere, vt Vrbem Romam, quam, vt dixit Prosper, *Non Romani solum arcem Imperij, sed Christianæ quoque Religionis solium esse* comperiebat; Episcopo Romano Petri Principis Apostolorum successori Christi Vicario domicilium compararet: Melchiadi tum prædia, ac dona multa, tum in primis Augustale Palatium in Laterano impertijt, vt refert Baronius anno 313. vbi Spondanus num. 6. Quin etiam Saluatori Basilicam Palatio continentem inchoauit, quæ postea Basilicæ Saluatoris Constantinianæ, ac Lateranensis nomen inuenit. Itaque Melchiades paulo post, cum decretum de primitiua Ecclesia in Concilio faceret, Burchardo, Iuone, & Gratiano testibus, sic scripsit: *Constantinus ex Principibus primus fidem veritatis patenter adeptus, dedit licentiam per vniuersum orbem in suo degentibus Imperio, non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandi Ecclesias, & prædia constituit tribuenda, denique donaria immensa contulit, & fabricam templi primæ sedis Beati Petri Principis Apostolorum instituit; adeo vt sedem Imperialem, in qua Romani Principes præsidebant, relinqueret, & Beato Petro & successoribus profuturam concederet.* Meminit huius Basilicæ D. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ, ibi: *Fabiola in se reuersa saccum induit, vt errorem publicè fateretur, & vrbe spectante Romana ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, stetit in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni Populo collacrymantibus.*

Roma sedes Romano Pontifici assignata.

Hæc Roma arx Imperij, & Christianæ Religionis solium, Occidentalis Imperij sedes, Caput Imperij, sedes Apostolica, Orbis terrarum Domina, de qua D. Hieronymus præclarè dixit: *Quid salui esse potest, si Roma perijt?* Hæc, inquam, anno Domini 409. Impp. Honorio & Theodosio, ab Alarico Gothorum Rege obsessa est, qui ob necem Stiliconis in Imperatorem commotus exercitum in Vrbem mouit, quam diu ante sitiuerat: vt refert Zosimus lib. 5. Cum autem obsidio arctius perduraret, fame ac peste Populo Romano vexato, vi adacti ciues pacem redemerunt, persolutis Alarico quinquies mille libris auri, & tricies mille libris argenti; vt ab eodem D. Hieronymo, *Romam auro vitam redimere*, ante dictum fuerit. Nec id satis, iterum Alaricus reuersus Vrbem secunda cinxit obsidione: *Gentilium obstinata perfidia deditam Vrbem Barbaris*, quod ait idem Hieron. Id enim & ipse Alaricus testatus est; nimirum se Numine impellente, nolentem licet & inuitum, ad eius interitum ferri, existente quodam, qui se obtundendo vrgeret: quod narrant Zozomen. Socrates, & referunt Annal. Ecclesiast. dicto anno 409. Pariter in sequentem annum famem magis inualuisse, quoniam Attalus ab Alarico tyrannus, frumentum Romam ex Africa vehi prohibuerat, vt non castaneis solum pro frumento vterentur, sed nonnullos etiam carnes humanas gustasse; & vt Zosimus etiam affirmat; tunc temporis Romæ in exhibitis ex more Circensibus spectaculis Populum fame tabescen-

Declinatio Romani Imperij.

tem

tem conclamasse ad nouum Imperatorem: *Vt pretium poneret carni humanæ.* A
Ac etiam Sanctus Hieronymus Epist. 16. ad Princip. scribit: *Ad nefandos cibos erupisse esurientium rabiem, & sua inuicem membra laniasse, dum mater non parceret lactenti infanti, & suo reciperet vtero, quem paulo ante effudisset.* Post famem vero grauissimam pestem secutam esse, Zosimus tradit, lugetque. Sed quis in has redegit angustias Vrbem, nisi Gentilium factio scelerata? Vt planè desipuisse arguantur, qui cladem eius adscripsere Christianis; cum ex Deorum falsis responsis hæc omnia factitata esse ipse Deorum cultor Zosimus compulsus sit confiteri: vt refert etiã Baron. ad annum 410. vbi Spond. num. 2.

Vrbs capta ab Alarico.

Tandem anno Domini 410. mense Augusti sub Consulatu Varanes ROMA ab Alarico Gotho Ariano capta est, à tempore postquam fuit condita, secundum Varronianam supputationem anno 1162. Alaricus igitur ob iniuriam à Saro acceptam, ad expugnandam Vrbem quãtocyus reuersus, atque eandem obsidione cinctam, proditione cepit, ex improuiso in eam ingressus. Quod quidem noctu contigisse refert Sanctus Hieron. d. Ep. 16. Inde & illud intelligas, quod ob inopinatum Alarici in Vrbem ingressum contigisse dicitur de Honorio Rauennæ degente, nempe cum accepisset repentino nũtio Romam perditam, putasse hoc de Gallo gallinaceo à se in delicijs habito, Roma nominato, id esse renunciatum. Sanè si quis ea in mentem reuocet, quæ iam dicta sunt de immenso Alarici olim concepto potiundæ Vrbis desiderio; in eam planè sententiam veniet, cuncta, quæ ante hac gesta sunt de pace cum Honorio facienda; ab eodem Alarico proditoriè peracta esse, vt voti diu concepti compos fieret; ac pacis inuolucro Honorio securo iam reddito, & incauto, iam proditionem perfidus occultaret. Quare D. Hieronym. scripsit: *Capitur Vrbs, quæ totum capit orbem, imo fame perit antequã gladio; & vix pauci qui caperentur, inuenti sunt.* Vbi vero se Vrbe potitum vidit Alaricus, publicè per præconem edixit; vt pro se quisque bona fortunasque ciuium raperent; verum à cæde hominum, & direptione sacrorum se continerent, atque omnibus parcerent, qui ad Basilicam Sancti Petri omnium augustissimam confugissent. Ita Gothi in diuersas Vrbis partes discurrerunt, ac promiscuè omnia captiuitate, ac direptione turbarunt. Romani inopinata hostium irruptione perculsi, & tenebris noctis exterriti, neque ad resistendum, neque ad fugiendum satis animi aut consilij habuerunt. Itaque omnium æquè domos summorum & infimorum dira seruitutis, expilationis, desperationis, & mortis species occupauit: siquidem, vt scripsit D. Augustinus ad Demedriadem: *Ad stridulæ buccinæ sonum, Gothorumque clamorem lugubri oppressa metu domina orbis Roma contremuit. Vbi tunc nobilitatis ordo? vbi certi, & distincti nobilitatis gradus? permixta omnia, & timore confusa: omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pauor: vnum erat seruus & nobilis: eadem omnibus imago mortis; nisi quia magis eam timebant; & illi, quibus fuerat vita iucundior.* Edicto audito, ciues quicunque potuerunt, cum rebus suis pretiosis ad Basilicam confugerunt, Innocentio Pontif. adhuc Rauennæ apud Honorium subsistente. Gothi vero domos supellectile pretiosa exuerunt; tot opibus ex diutina pace, Imperioque contractis, quot humana auaritia, vniuerso terrarum orbe spoliato, potuerat cumulare. Præcipuè preciosa Salomonis supellex à Tito Hierosolymis quõdam allata subrepta est. Accidit inter alia, vt discurrentibus per Vrbem Barbaris, vnus Gothorum sacram Deo virginem iam ætate prouectam in quadam Ecclesiastica domo repererit: cumque ab ea aurum, argentumque deposceret, & illa fideli constantia protulisset omnia vasa sacra in custodiam accepta: attonitumque barbarum videret magnitudine eorum, ac pulcritudine: *Hæc* (inquit virgo) *Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Præsumè, si audes; de Sancto tu videris.* Quibus barbarus motus, ab illis abstinens, Alarico nunciauit: hic vero con- B C D

A tinuò reportari ad D. Petri Basilicam vniuersa imperauit; & magna pompa reportata sunt, exertis vndique ad defensionem gladijs, hymnosque Deo Romanis, barbarisque, ac virgine simul concinentibus. Hæc Orosius, & Cassiod. 12. Variar. 20. Vt clarè liceat prospicere; non aliam ob causam à Deo permissum Alaricum in Vrbem ingredi, quam vt ignominiam Idololatrarum prostratam ostenderet, & nobilem Religionis Christianæ triumphum de victa Gentilitate; & inde plurimos Paganos ea re attonitos, Christianitatem professos, idem Orosius tradit. Quare S. Hieron. ep. 7. ad Lætam, inquit: *Auratum squalet Capitolium: fuligine & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt; mouetur Vrbs sedibus suis & inundans Populus ante delubra semiruta, currit ad Martyrum tumulos.* Ædificia quædam incensa, aliaque opera temerè furore barbarico deturpata sunt. Alaricus autem die tertio præda opulenta onustus Vrbe cum exercitu cessit: & inde Romani, qui ad Basilicam Vaticanam confugerant, aut vicina Vrbi loca petiuerant, in Vrbem se illicò retulerunt, statim pristinam Vrbi faciem reddiderunt, nulla fermè nisi
B rei familiaris & pretiosæ supellectilis plurimorum iactura facta. Insignis tamen fuit calamitas, & rerum humanarum contemplatione memorabilis, quod Vrbs, quæ de omnibus gentibus triumphauerat, tam facilè à barbara gente capta, spoliata, atque combusta sit: vt quam Galli quondam infirmam & paruam longa obsidione capere nequiuerant; tum demum viris, armis, opibus, dignitate, gloriaque florentem Visigothorum populi ex remotissimis intimæ Scythiæ latebris non egressi, sed pulsi, in potestatem adductam affixerunt. Hanc vero cladem cum Pagani falsis multisque Dijs addicti in Christianam Religionem referrent; ac verbis solito atrocioribus increparent, D. Augustinus eximio veri Dei studio inflammatus, occasionem aduersus eos scribendi arripuit, ac præclaros libros de Ciuitate Dei confecit, in quibus multorum falsorumque Deorum cultum atque auxilium inane ostendit.

Alaricus Vrbe capta & spoliata egressus, animum inde intendit ad vastandam Italiam; Itaque Latium, Campaniam, Apuliam, Calabriam, cum toto
C exercitu peragrauit; vt locum nullum intactum à vexatione reliquerit. Sequenti autem anno cum Cosentiam in Calabria diripuisset, repentino morbo opprimitur; & in summo blandientis fortunæ articulo paruo horæ momento extinguitur.

Ataulfus vxoris Alarici frater ad Regni fastigium elatus, cum Placidam Theodosij Augusti vxorem sibi in matrimonium contraxisset; è Calabria Romam iterum redire intendens, ac pro Roma Gothiam appellaret: Barcinone in Hispania à suis per fraudem interimitur.

Anno 455. Genserícus Vvandalorum Rex Arianus accersitus ab Eudoxia Augusta in vindictam necis Valentiniani Tertij, Romam capit, & diripit: eiusque decora, statuasque, & tegulas ex ære aureatas Iouis Capitolini, item vasa Templi Hierosolymitani: coercitus tamen Genserícus à S. Leone, ne in thesauros trium præcipuarum Basilicarum, nempè Lateranensis, sancti Petri in Vaticano, nec non sancti Pauli via Ostiensi irrueret, reliquas
D autem prædatum esse, ex Baron. in Annal. dicto anno 455. Ita Roma post annum quadragesimum tertium, quam à Gothis capta, ac spoliata fuerat, iterum à Vvandalis occupata, ac fœdissima populatione vastata: hominum innumerabilis multitudo captiua facta est; quinimo & ipsa Augusta Eudoxia huius cladis auctor, cum duabus filiabus Eudoxia, Placidaque abductæ. His actis Genserícus post quartumdecimum diem Vrbe excessit, ac Romanam prædam in naues impositam, in Africam deportauit.

Anno 475. Momyllus Augustulus, in contemptum sic nũcupatus, Imperator acclamatus ab Oreste militiæ magistro: sed quoniam omne quod oritur occidit; Romanum Imperium ab Augusto cœptum, in hoc defecit Augu-

Finis Romani Imperij in Occidente.

stulo: etenim qui nepotis præcedentis Imperatoris partes sectati sunt, Odoacrem Erulorum Regem ab vltimis orbis glacialis partibus in Italiam aduocarunt: inde Augustulus in Lucullanum Castellum Campaniæ propè Neapolim ab eodem Odoacre relegatus est. Sicque Imperium occidentale collapsum est penitus, & ad Barbaros deuolutum. Odoacer summam rerum confecutus, modestè tanta vsus felicitate, à purpura, regalibus indumentis, & nomine Imperatoris abstinuit. Illud sanè memoria est dignum, quod quamuis Arianus nihil detrimenti fecerit rebus sacris, & petentibus Episcopis Orthodoxis multa indulserit: sed digna luctu esse intelligemus, si religionis huius temporis damna perpendamus, cum vniuersus Christianus orbis sub hæreticorum Principum dominio constitutus, nullum Catholicum Regem alicui exiguæ prouinciæ dominantem habuit. Italiam, vt dixi, Odoacer Arianus occupauit: Gallias Burgundiones, & Gothi itidem Ariani: Franci adhuc Gentiles: Hispanias Gothi Ariani: Africam Vvandali: & vniuersum Orientale Imperium Zeno Eutychianus hæreticus. Idem Odoacer cum frustra tentasset sibi vsurpare electionem Romani Pontificis; multis prælijs deinde vincitur à Theodorico Gothorum Rege, sed inita cum eo concordia: paulo post ab eodem proditoriè occiditur inter epulas. A B

Theodoricus Amalus Gothorum Rex pugnans pro Zenone Imp. debellat perduelles Imperij: indeque multis ab eo augetur honoribus, & in filium adoptatur. Ingratus iste deinde beneficiorum, Orientale tentat Imperium, sed ipe frustratus conuertitur in Italiam, qua vniuersa potitur, occiso Odoacre, vt dixi anno 493. Regnum optime administrat: vtitur Romanis Magistratibus, & in primis Cassiodoro Senatore, quem ad moderandum Regnum, & ad conscribendas maioris momenti epistolas retinuit, vt in eiusdem Cassiodori libris *Variarum*: quamuis idem Arianus, Catholicos omni officiorum genere prosequens; adeo vt indigno animo se monstrauerit, si quis in eius gratiam à Catholica fide in Arianismum transiret; & vt tradit Nicephorus lib. 16. cap. 35. ministro sibi dilecto eodem prætextu caput amputauerit. Apostolicæ sedis Protectorem se exhibet & cuncta Ecclesiasticè vult peragi: sed postquam idem Theodoricus coegisset Ioannem Papam legationem suscipere ad Iustinum Imp. rebus Ioannis in Græcia gestis exacerbatus, nempè vt testatur Gregor. Turonen. de Glorios. Martyr. cap. 40. Quod Arianorum Ecclesias in Catholicas consecrasset, idem Theodoricus crudelitate ingenium suum alioquin mite, ac placidum commutauit: ac Ioannem cum socijs Rauennam venire imperauit, grauissima Catholicis comminatus, in carcerem illum condidit, atque ibi omni ærumnarum genere conflictatus expirauit. Ioanne extincto non contentus Theodoricus; inde Symmachum & Boethium in carcere asseruatos inuasit, atque eorum vtrique caput desecari crudelissimè iussit: cuius temeritatis post breui, sed frustra pœnituit; nam paucis post diebus cœnans, cum ingentis piscis caput à ministris appositum aspexisset, caput Symmachi sibi videre visus est, eminentibus dentibus, & toruum oculis intuentibus furibundè sibi atq; asperè minitari; cuius spectaculi fœditate perculsus paulo post animam efflauit: eiusque animam, vt refert Sanctus Gregorius, quidam Eremi cultor apud Liparas retulit visam à se in infernum demersam, vt refertur in Annalibus Ecclesiasticis anno 526. C D

Anno Domini 534. Quoniam Theodotus Gothorum Rex omnium ignauissimus à suis interemptus, illiq; suffectus Vitiges Dux è Dalmatia euocatus, strenuus, belliciſque sudoribus spectatus. Verum & ipse Vitiges Romam ingressus, tamen Belisario (qui à Iustiniano Imp. Romam missus; iam ante in Oriente, Africa, & Europa victor extiterat) ad tempus cedere coactus est. Belisarius ergo mense Decembri anno 537. Romam ingressus per portam Asinariam cum suo exercitu, & ex aduerso Gothi egressi Rauennam ituri;

A iturj;tanquam victoriæ insignia claues portarum Constantinopolim misit idē Belisarius; inde in reparandis Vrbis mœnibus egregiam operam nauit. Quod quidem contigit anno LX. ex quo ab Erulis capta est Vrbs, ex quo autem a Gothis possessa XXXXIII. ex Baronio & alijs. Anno autem sequenti 538. maximo belli apparatu centum quinquaginta millium militum reuersus Vitiges, Romam aduersus Belisarium obsidens: inter vtramque partem crebrò conflictata certamina, iterati conflictus; in quibus fortitudo & prudentia Belisarij enituit, vt refert Procopius de Bello Goth. Illud autem non omittēdum ad pietatem spectans, quod cum mœnium Vrbis partem quandam inter Portas Flaminiam, & Pincianam, quæ lapidum laxata iampridem compagine, à solo ad summum fastigium sciſſa, vtrinque sic inclinaret, vt iamiam casura videretur (quæ nunc etiam visitur, & communi vulgi vocabulo dicitur muro torto) Belisarius illam demoliri niteretur, vt iterato ædificaret: obstitere Romani, Petrum Apostolum pro indubitato se comperijsse asseuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam se susceptur um. Quod vtique Romanis ex vo-

B to succeſſit: quandoquidem nec eo die, quo per Gothos sunt mœnia oppugnata, nec per omne obsidionis tempus hostilis vis vlla ad hunc locum peruenit. Quapropter cum miraculi loco postea ea res sit habita, nec sarcire in posterum quisquam, nec de integro restituere ausus est. Illud etiam maioris miraculi obtinet, quod per annum & amplius obsidionis Gothi in suburbijs moram fecerint; ijdemque Ariani & Romanæ Ecclesiæ hostes, nihil tamen contumeliæ nec detrimenti intulerint Basilicis Apostolorum Petri & Pauli extra ciuitatem positis, nec earundem ministros sacra ibidem peragentes inquietauerint, vt idem Procopuis refert. Quamquam etiam nostri temporis Sectatores sacra Deo dicata, vbique sanctorum monumenta rapinis incendijsque vastari non cessent.

Nec satis ipsi Romæ prædictæ calamitates: anno 547. capitur proditione Isaurorum à Totila Gothorum Rege, quo tempore vix quingenti homines è plebe residui fuerunt; cum in tantum creuisset fames; vt cætero omni vi- *Totilas.*

C ctu deficiente, purgamentis iam & stercoribus ciues vterentur, nonnulli etiam manus sibi præ desperatione morderent. Cæterum inter hæc Belisarius Vrbem eodem anno aggressus & ingressus muros dirutos cōfestim instaurauit, & fossis muniuit, adeo vt reuertentem ad eius expugnationem Totilam omnino tunc repulerit.

Anno autem 550. & ab initio Belli Gothici decimoquinto refert Procopius, proditione rursus Isaurorum Vrbem Gothis cessisse, Romanis cæsis, ijs exceptis, qui ad Ecclesias se recepissent; ijsque etiam abire iussis; cum iam destitutam habitatoribus Vrbem ac desolatam relinquendi Totilas consilium inijsset. At vero anno 553. missus ab Imp. Iustiniano Narses cum exercitu, qui Tarantum prius à Gothis antea captum, dein Rauēnam, & elapso fluuio Rubicone, in Tuscia occurrente sibi Totila cum ingenti exercitu prælio superauit atque occidit, vniuerso cum eo exercitu trucidato. Factumque Dei opera, & intercedente Dei Genitrice, à qua cælitus Narses traditur accepis-

D se signum de tempore, quo cum hostibus dimicare deberet, vt refert Euagrius lib. 4. cap. 23. Pariter Theias Gothorum fortissimus in Regem electus, compressionem diu Romanorum militum cum strenuè sustinuisset; demum & ipse occiditur. Deinceps autem cum Romana ædificia reficeret nemo, vetustas vero, visque temporum concuteret, deficere necesse habebat, Sanctus Gregor. homil. 18. in Ezechielem quinquaginta circiter post annis ita scripsit: *Qualis remanserit Roma conspicimus: immensis doloribus multipliciter attrita, desolatione ciuium, impressione hostium, frequentia ruinarum.* Et infra: *Quid autem ista de hominibus dicimus, cum ruinis crebrescētibus ipsa quoque destrui ædificia videmus?* Hancque Barbarorū feritatem adeo excreuisse; & quod delere non potuerint; vi, ferroque mutilatum fœdauerint, & crebris foramini-

bus omnes ferè amphitheatri lapides etiam deformauerint. A

De Longobardis Hæc sunt certa diuinæ vindictæ impressa vestigia; cum ita plurimæ prouinciæ traditæ sint à Deo ore gladij deuorandæ; vt non ad aliud euocata videri potuerit tanta Barbarorum copia, quam ad ipsas perdendas. Quamquã Roma ipsa licet à Gothis sæpè antea capta, tamen à Longobardis minimè cõprehẽdi postea potuerit an. 570. vt refert Baron. ac etiã an. 577. in fin. Præterea idẽ Baron. ann. 585. vbi Spond. n. 2. ex Paulo Diacono & D. Greg. lib. 6. Regist. ep. 23. inquit, quod Antharith Longobardorũ Rege creato miraculum successit de Claue aurea Sancti Petri Apostoli, quam cum miles quidã Longobardus Arianus in Transpadanis partibus inuentam, cultello incidere volens, illum ipsum cultellum arreptus per spiritum sibi in gutture defigens, miserè perijt. Quo miraculo Antharith conterritus, aliam auream clauem conficiẽs, eam cum illa priori ad Pelagium Papam transmisit: Ac etiam refert D. Gregor. lib. 7. ep. 23. & alibi, vt quoque Baron. d. ann. 585. ac etiam anno 595. vbi Spond. num. 2. Patrocinio Apostolorum Petri & Pauli Vrbem munitam ne à Longobardis caperetur; sine magnitudine Populi, & sine adiutorijs militum tot annis inter gladios eandem illæsam permansisse. B

Aistulphus vitius à Rege Pipino. Anno Domini 755. Aistulphus Longobardorum Rex fœdifragus, atque periurus, nullam habens rationem conuentorum cum Pipino Rege Francorum, non solum non restituit, quæ ab Ecclesia Romana violenter abstulerat; sed & rursum ingenti comparato exercitu reliquas Romanæ ditionis Ciuitates infestauit, ipsam Romam obsidione cinxit, loca sacra deuastans & comburens, Imagines sacras in ignem conijciens, sanctis. Eucharistiæ Sacramentum polluens, monachos lanians, sanctimoniales contaminans, infantulos a mamillis matrum interimens, & nullum denique impietatis genus omittens. Quibus malis pressus Stephanus Papa omnem post Deum spem in Regibus & Gente Francorum constituens: litteras priuato nomine ad Regem Pipinũ, ad filios eiusdem, & ad vniuersos tam Ecclesiasticos quam seculares Frãcos; ac rursus alias ad eosdem vniuersos ipsius Sancti PETRI Apostoli nomine, quibus enixius verbisque ad excitandam commiserationem quam maximè cõpositis, obtestatus est; vt afflictissimæ succurreret Ecclesiæ & vrbi Romæ, quemadmodum omnes gentes, quæ ad Francorum fortissimam gentem refugissent, saluæ factæ sunt. Vt ex tribus Epistolis relatis ad Anastasio in Vita dicti Stephani Papæ. Quibus litteris Pipinus acceptis, comparato statim exercitu in Italiam aduenies, Aistulphum ad Alpium Cottiarum angustias fugatum, Papiæ obsedit, nec veniam vnquam rupti fœderis ei roganti tribuere voluit, quousque Rauennam cum vniuerso Exarchatu, aliasque omnes ciuitates in priori fœdere contentas Romano Pont. re ipsa tradidisset, quas Pipinus, PRIMVS AMPLIFICANDAE ECCLESIAE VIAM APERIENS (vt in antiquo elogio Rauennæ adhuc conscripto) Romanis Pontificibus perpetuo possidendas suis diplomatibus concessit: etiam si Imperatoris Copronymi ad eundem Regem missi Legati acrius institissent, vt eas Imperiali restitueret ditioni. Hæc pluribus Anastasius. Verum Leo Ostiensis hist. Casin. lib. 1. cap. 7. latioribus terminis ait donasse Pipinum Ecclesiæ Romanæ Ciuitates Italiæ & territoria per designatos confines, à Lunis cum Insula Corsica, inde Suranum, inde in Montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Rhegium, Mantuam, & Pontem Silicis; simulque vniuersum Exarchatum Rauennæ, sicut antiquitus fuerat, cum prouincijs Venetiarum & Istriæ, cunctumque Ducatum Spoletanum & Beneuentanum: eamque donationem manu propria, & filiorum, plurimorumque Optimatum subscriptionibus roborasse. Ita ex Baron. ann. 755. vbi Spond. num. 1. & 2. C

Donatio Pipini facta Ecclesiæ.

Sequenti anno 756. vt notat. Baron. Aistulphus Longobar. Rex in venatione diuino ictu percussus obijt absque successore; relinquens Principibus exemplum maximo eorum damno Ecclesiæ iura ab his tentari. Desiderius D

ope

A ope Romani Pont. consequitur Regnum Longob. At inde Romam fraudulenter veniens Stephanum Papam malè habet, & quosdam Clericos necat. Ad obsidionem Vrbis idem properans, reprimitur timore Excommunicationis ei ab Hadriano Papa intentatæ. Recusans quoque idem Desiderius reddere Ecclesiæ Rom. ablata; bello appetitur à Carolo Magno, prælioque vincitur, & in Gallias ducitur. vt refert Baron. ad ann. 773. vbi Spond. num. 1. & 2. Aduenit postea Carolus Romam, & honorifice exceptus ab Hadriano Papa, confirmat Donationem Ecclesiæ Romanæ, à Pipino patre factam, Exarchatus Rauennatis aliorumque dominiorum nouis diplomatibus à se, suisque Magnatibus tam Ecclesiasticis quam secularibus subscriptis, & ad eiusdē conseruationem solemni edito iuramento ad Confessionem Sācti Petri se obstrinxit, vt ex Anastasio Baronius ad annum 774. vbi Spond. num. 1.

Desiderius superatus à Carolo Magno.

Cæterum anno Redemptoris 800. ipso die eiusdem Natalitio in Ecclesiam B. Petri vniuerso Clero & Populo atque Optimatibus congregatis, dum ante Confessionem B. Petri ab oratione Carolus surgeret, Leonem Summum Pont. B proprijs manibus Coronam Imperialem eius capiti imposuisse, & Imperatorem Romanorum pronunciasse, tūcque vniuersos adstantes vna voce ter acclamasse, *Carolo Pijssimo Augusto à Deo coronato, Magno, Pacifico, Imperatori Romanorum, Vita & Victoria*: & mox eundem Pontificem vnxisse eum oleo Sācto, & subinde Imperatorē iuramento se adstrinxisse ad defensionem Romanæ Ecclesiæ referunt Anastasius, & Latini ac Græci omnes auctores. Quod autem eiusmodi Translatio Imperij ab Oriente in Occidentem, vbi posthac semper stetit, & hactenus perseuerat, diuino consilio facta fuerit magno Reipubl. Christianæ emolumento, & Imperij Orientalis desolatio, & alia euenta satis superque demonstrarunt. Nec vero id potuisse conuenientius fieri quam per Romanum Pont. totius Christianæ Religionis Antistitem & summum Ecclesiæ Catholicæ visibile caput, Pastorēque vniuersi gregis Christi: nec decentius quam in Carolum Magnum, Regem totius Occidentis potentissimum, eumdēque Christianissimum, Pijssimum, Iustissimum, Fortissimum, C Doctissimum, de Religione Christiana, Sede Apostolica, Statu publico, semper in omnibus optimè meritum: nec denique opportuniori tempore, quam cum iacerent absque possessore iura Occidentalis Imperij, & periculum immineret, ne caderent in Schismaticos Principes à Fide Catholica extorres, aut in Christianæ Religionis infensissimos hostes Saracenos: nemo prudens & rerum æquus æstimator, non affirmabit; nec inficias ire poterit totum id Dei opus fuisse, eiusque mirabili consilio sapientissimè dispositum. De quibus fuse Baronius hoc anno, sicuti & Bellarminius, & Iacobus Gretserus tom. 2. Defensio Bellarminij. De qua Imperij Romani Translatione à Leone Papa in Carolum Magnum extat adhuc ex musiuo attestatio in Triclinio eiusdem Leonis in Laterano, cuius typum exponimus:

Eamdemque Donationem à Pipino auo, & à Carolo patre factam iterum confirmauit Ludouicus Pius in Conuentu Aquisgranēsi, liberamque relinquit Clero, & Populo Pontificis electionem, vt ex parte recitatur à Gratiano Distinct. 63. can. Ego Ludouicus, ac etiam Baron. ann. 817. vbi Spond. num. 2.

D Quamquam Romana Ecclesia à priscis calamitatibus eruta Francorum Regum & Imperatorum videretur patrocinio; tamen dein ex Africa Saracenis ingenti comparata classe cum ad Portum Romanum appropinquassent; vt iterum ipsi Vrbem diruerent; postquam Leo Papa Quartus muros Vrbis dirutos refecisset, & Corpora Sanctorum è cœmeterijs eruta intra Vrbem inuexisset; factum est inde vt naues Saracenorum vehementissimis obortis vētis (quos Deus de thesauris suis produxisse credebatur) omnino dissipatæ & confractæ fuerint; ipsique Barbari naufragio, ferro, fame, & suspendio consumpti fuerint, & inde statuit Pontifex Vaticanum Templum muris cingere: Nouæque Vrbi Leoninæ nomen inditum. Ex Bar. ad an. 849. vbi Sp. n. 1.

Saraceni.

Hinc

Hinc notatu dignum ijs, qui Romam deprædati sunt, præter alias clades, quibus confecti sunt, istud planè diuersis temporibus accidisse eiusdem Vrbis *inuasoribus*, & *prædatoribus*; quod semper Dei vindicta haud sera malè perierint, vt ex Card. Baron. ann. 414. vbi Spond. num. 2. & idem anno 849. vbi Spond. num. 1. & alibi. A

Persecutio Ecclesiæ domestica omnium molestissima.

Strages, & inuasiones exterorum Barbarorum quamuis in Europa, & Romæ potissimum cessasse videantur; subsequuntur nihilominus infelicissima illa Romanæ Ecclesiæ tempora, quibus ipsam contigit domestico bello agitari; quæ anno 897. cœpta, multo tempore maximo damno eandem afecerunt: illata per Adelbertos marchiones potentissimos Tusciæ, vt dixit Luitprandus lib. 1. cap. 10. seu vt alij comites Tusculanos. Idem vero munitione sancti Angeli, seu molis Adriani potiti, quæ non sunt ausi in Romanam Ecclesiam? vt nunquam siue à Gentilibus, siue ab hæreticis, siue à schismaticis, alijsue perduellibus duriorem, ac diuturniorem passam esse persecutionem, quam pertulit ab istis Marchionibus, ex Baronio dicto an. 897. & nos in cap. sequenti dicemus. B

Hæresis ruina Romani Imperij.

Quare autem iusto Dei iudicio Romanum Imperium immensis attritum cladibus & suis sepultum ruinis? præter alias supra indicatas causas; ea malorum omnium haud dubium extitit violatio Catholicæ fidei toties, præcipuè ab Episcopis Orientis, ac etiam totius orbis facta: vt planè sicut experimento cernimus amplissima quæque ruere ædificia, cum ipsorum fundamenta deficiunt; ita etiam necesse sit pessumdari florentissimas ciuitates atque prouincias, quibus Christianæ Religionis defecit fundamentum. Sed magna vindicta Diuinæ institiæ factum est; vt ibi magis eiusmodi clades Imperium Romanum sit depasta: vbi tum hæresum, tum schismatum frequentes scaturigines erumpentes, quasi sulphurei amnes materiam igni diuinæ indignationis assiduè ministrarunt: & inde, vt refert Ethnicus Ammianus lib. 16. velut per vniuersum orbem Romanum, bellicum canentibus buccinis excitas gentes sæuissimas, limites sibi proximos persultasse; putà Alemannos Gallias, Rhetiasque; Sarmatas, Pannones, & Quados, Rhetos, Saxonesque; & Scotos Britanniam; Austorianos, Mauricasque Africam; Gothos Thracias; Persas Armenias: turpem rerum faciem deformeq; Romanum Imperium reddiderint. Clamant hæc vera esse omnes, quæ sunt in Asia, Africa, & Europa Orientalis olim Imperij prouinciæ, traditæ feris barbaris ad multa sæcula deuastandæ. Sic ludit in humanis fortuna, & in ipsa Romana altitudine præcipitia parauit, & inuenit. C

Ecce tibi quid soleant vehere secum, vel post se ducere peccata hominum, clades nimirum prouinciarum: quod multis exemplis sæpè omnibus sæculis, & hoc ipso, quo viuimus, infelicius contigit demonstrari. Ex quibus patet pugnasse Deum aduersus Romanum Imperium pro Barbaris gentibus; cum ipse Heraclius & alij Christiani Imperatores & Ecclesiarum Præsules pro hæreticis aduersus Catholicam Ecclesiam bellum struxerint & nouas hæreses communi omnium consensu pullulare permiserint: vt quæ in Ecclesiast. Annalibus singulis quibusq; sæculis euenerunt, perspicuè declarantur, apud Baronium præsertim anno 364. vbi Spond. num. 5. & anno 406. vbi Spond. num. 9. item anno 540 vbi Spond. num 8. & anno 632. vbi Spond. num. 1. & anno 634. vbi Spond. num. 1. & alibi sæpissimè. D

Consideratio.

Plures attigimus vicissitudines rerum ex his, quæ in Romano Imperio euenerunt; vt palam omnibus innotescat prudentiam, & potentiam Romanorum iuxta diu stare non potuisse: & quasi refractarios & indomitos equos, quos vnum equile non capiat, fuisse illas. Aut forsan dicendum, semper abundantiam contumeliosam fuisse in semetipsam: euenisseque hoc apud Romanos. Memor inde sit humanæ conditionis, qui Imperia, seu Regna gubernat: & cum recogitabit eadem sibi euenire posse, temperabit dexteram.

A ram, mitigabit ferrum: maximè cum ſibi ante oculos tanquam in theatro proponent Regulum, Marium, Pompeium, Cæſarem; in barbaro Africano dolio, Minturnenſium paludibus, pupilli manu, Senatorum ferro extinctos: cum Neronem, Caligulam, Domitianum, Othonem, Vitellium, Galbam, Piſonem, ſui aut alieni ferri victimas: cum ignes Crœſi; crucem Polycratis; laqueum Agidis, Valentiniani, Gordiani ſenioris, Maximini, Alexij Iunioris; lapides Niciæ; Tyberij, Claudij, Germanici, Druſi, Annibalis, Conradi venena; Ptolemæi, Iugurthæ, Maximi, Aemiliani vincula; in Alcibiade, & Nicephoro iacula; truncatas in Leontio, Iuſtiniano iuniore, Thoma nares, manus, pedes; Valentis ignes; Mauritij & Phocæ ſecures; Lucij, & Baiazetis caueam ferream. Quæ cum cogitabit, dubioſque & incertos regnorum exitus, & ſanguine ferè purpurandos; non mitiora cogitabit? Cum quinquaginta minimum Romanos Impp. ſuo, vel alieno ferro, & veneno ſublatos; pleroſq; etiam Vvandalorum, Viſigothorum, Oſtrogothorum, Longobardorum morte non ſua extinctos; non paria expaueſcet in purpura, & ſceptro, & manſuetudinem pro ſæuitia induet? pro moroſitate comitatem, benignitatem pro aſperitate, pro auaritia liberalitatem, caſtimoniam pro libidine, pro luxu moderationem, temperantiam pro incontinentia, virtutem denique omnem pro vitio amplectetur? Dum hominem ſe cogitabit, delicta in alijs vt ab hominibus nata intuebitur, cumque ignoſci lapſibus ſuis deſiderat, non ſæuiet in alienis ſupra delictum, & hominem: neque enim quicquam durius quam in alio punire, quod impunitum in te velles; aut damnare in alijs, quod in te nolles: peſſimum verò genus punire in alijs, quod in te præmiandum ſperes & laudandum.

B

De Romani Pontificis in Vrbe Principatu. Cap. XXI.

C PLuribus recognitis, quæ populi Romani iam tum florente fortuna in Orbis Imperio habebantur in vſu: quoniam prædicto Imperio inde ſub Ethnicis & Chriſtianis Principibus in totum ferè collapſo, non ſolum ſpiritualis illius iuriſdictio in Vrbe, verum & temporalis ad Summos Romanos Pontifices fuit translata; vt ſanctus Maximus homil. 5. de SS. Apoſtolis Petro & Paulo ſic dixerit: *In Vrbe Roma, quæ principatum, & caput obtinet nationum; ſcilicet vt vbi caput ſuperſtitionis erat; illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi Gentilium Principes habitabant, illic Eccleſiarum Principes morerentur.* Vt de Ethnicorum hæreditate ad Chriſtianos translata, iam ante Regius Propheta cecinerat pſalm. 110. ibi: *Vt det illis hæreditatem gentium.* Hinc nos aliqua, à noſtro inſtituto non aliena, de Romanorum Pontificum Principatu in hac eadem Vrbe, ex Annalibus Eccleſiaſticis præſertim deſumpta referemus.

Romana Eccleſia à Petro inſtituta.

D Anno ſiquidem à Chriſto nato quadrageſimo quinto, durante adhuc ſecundo Claudij Imperij anno, xv. Kal. Febr. à Petro Apoſtolorum Principe, qui Romam anno ſuperiori venerat, ROMANA ECCLESIA omnium totius Orbis princeps inſtituitur, ac ſede Pontificia decoratur: eam quippè diem in tantæ rei perennem memoriam, anniuerſaria ſolemnitate conſueuiſſe ab vniuerſa Eccleſia antiquitus celebrari: cum vetera Martyrologia Bedæ, Vſuardi, Adonis, & antiquum Romanum, & SS. Patrum tunc ſolitæ haberi conciones atteſtentur, & præcipuè Auguſt. ſerm. 15. & 16. de Sanctis cum alijs: probant id etiam antiqui Rituales Eccleſiæ Romanæ, vbi hæc oratio hac die perhibetur: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui ineffabili ſacramento, Apoſtolo tuo Petro principatum Romæ Vrbis tribuiſti, vnde*

ſe

ſe Euangelica veritas per tota mundi regna diffunderet; præſta quæſumus, vt quod in orbem terrarum eius prædicatione manauit, vniuerſitas Chriſtiana deuotione ſequatur. Aſſeruaturque hactenus in Baſilica Vaticana ipſa prima Pontificia ſedes Petri CATHEDRA lignea, dignum planè tantæ rei monumentum, quamplurimis ſemper illuſtrata miraculis. A

Cathedra.

Cæterum qua die Vniuerſalis Eccleſiæ Sedes Romæ ſtabilita eſt, eadem ab vniuerſis quoque Eccleſijs particularibus meritò in perpetuum celebratur. Quantumlibet enim à cæteris Apoſtolis, quin & ab ipſo Petro complures aliæ fuerint in orbe Chriſtiano inſtitutæ Eccleſiæ; tamen omnes vnam tantum numero efficere ſæpè antiquiores Patres docuere; Ignatius ep. ad Philadel. Tertull. de Præſcrip. cap. 20, & alij. Eamdemque CATHOLICAM dici debere, ipſi etiam Apoſtoli Symbolo ſuo tradiderunt, ac rurſum licet omnes ac ſingulæ ab Apoſtolis inſtitutæ Eccleſiæ Apoſtolicæ dictæ ſint, vt Epheſiorum, Corinthiorum, Theſſalonicenſium & aliæ; imò & cæteræ ab his propagatæ, eodem ſenſu etiam Apoſtolicæ dici poſſint, ac debeant, vt egregiè Tertull. de Præſcrip. d. cap. 20. tamen & ipſiuſmet, & aliorum Patrum ſententia, quod Eccleſia VNA eſt, vnam etiam APOSTOLICAM eſſe, confiteri neceſſe eſt: ſicut & magna Synodus Nicœna, & aliæ ſubſequentes in ſuis Symbolis confeſſæ ſunt VNAM SANCTAM CATHOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM. Quæ cum ſit toto orbe diffuſa, optimè diuino conſilio prouiſum eſt, vt alicubi eius caput certo loco conſiſtat; ne, cum de fide alijſue rebus ad ſtatum Religionis Chriſtianæ ſpectantibus oboritur controuerſia, in multas ſcindi, quæ vnitatis compagine iuncta VNA erat, neceſſe ſit. Illud autem non alibi quærendum eſſe, quam vbi omnium Apoſtolorum Princeps, & Caput Petrus Sedem fixit, Cathedramque ſibi cõſtituit, in ipſa, inquam, ROMANA ECCLESIA, cum ratio ipſa perſuadet, tum frequentiſſimè antiqui Patres docuerunt. Quapropter & accidit in appellatione Apoſtolicæ, vt quæ erat initio communis pluribus, fieret propria vnius propter præcellentem eius dignitatẽ; videlicet vt *Apoſtolica Sedes* antonomaſticè Romana vſurpari cœperit, & *Apoſtolicus* dici ipſe Romanus Pontifex ſolius Petri ſucceſſor, vt ab ipſo Auguſtino, alijſque eius ſæculi & poſteriorum ſcriptoribus. B C

Ecclesia qualis ſit?

Petri primatus.

Lubet hic obiter referre: adueniſſe Romã elapſis aliquot mẽſibus exteros quoſdam Theologos, diſſeminantes per Vrbem doctrinam; Romanum ſcilicet ſummum Pontificem æquè ſucceſſorem eſſe non Petri ſolius, verum & Pauli; vt in eorum libellis adductis. Cui opinioni R.P.D. Antoninus Diana Cler. Regul. coram S.D.N. Epiſcoporum examinator, & ſancti Officij Regni Siciliæ Conſultor, eruditiſſimè & doctiſſimè ipſe primũ reſpõdit, eamque vt erroneam impugnauit in libro, cui titulus: *De Primatu ſolius D. Petri, ac differentia inter ipſum, & D. Paulum*. Cuius auctoris doctrinam, ex tot voluminibus moralis Theologiæ præſertim per ipſum impreſſis, ego ſemper ſum admiratus & veneratus, vt etiam Reſponſa, quæ ab ipſo velut Oracula continuò proueniunt ſuper vrgentiſſimas Chriſtiani Orbis difficultates. Circa quam præfatam opinionem anno 1647. die 24. Ianuar. in generali Congregatione ſanctæ Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis habita coram Sanctiſſimo D.N. Innocentio Decimo Decretum fuit: Hanc propoſitionem: Petrus & Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, Paſtores, Præſides, ac ſupremi Duces, &c. Qui vnicum caput conſtituunt; ita explicatam, vt ponat omnimodam æqualitatem inter Petrum & Paulum ſine ſubordinatione & ſubiectione Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema & regimine vniuerſalis Eccleſiæ; hæreticam eſſe & damnatam. Quam opinionem ego etiam ſecutus in ſecunda impreſſione mei operis De Vet. Sacr. Chriſt. Ritibus cap. 78. eo potiſſimum fundamento: quod ſi quæ auctoritas Paulo attribuitur ſpecialiter, ea ratione poteſt ipſi aptari, quatenus Petro abſente verè Paulus curam ſibi D

dele-

A delegatam, & Pontificatum Romæ administrauit; sed Petro associatus Romæ respectiuè, & secundario, & vtcumque adiuuando esse illum moderatum Ecclesias.

Rursum vero eum debere dici CATHOLICVM, qui eidem Romanæ Ecclesiæ communione coniungitur; illum autem haberi *Hæreticum*, qui ab eiusdem Cathedræ est communione diuisus: idem sæpè testati sunt Patres; inter quos Cyprian. de Vnitat. Eccles. ibi: *Qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* & idem rursum ep. 55. 76. *Nauigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Optatus contra Parmen. lib. 2. ait: *Schismaticum & peccatorem esse, qui contra Petri Romanam singularem Cathedram, alteram collocaret.* Eademque Ambrosius de Obitu Satyri, Augustinus ep. 165. Hieron. ep. 57. ad Damas. & alij relati
B per Baron. ad annum 45. vbi Spond. num. 3. Hæcque adeo certa, & explorata sunt habita, vt quemadmodum omnes, qui Romano subessent Imperio *Romanorum* appellatione nobilitati essent, l. in Vrbe D. de statu hom. sic omnes quotquot fide & communione Catholica pollerent, Romani itidem dicerentur; eo quod & ipsa fides Catholica, Romana pariter appellaretur, vt ex citato Ambrosio de Obitu Satyri, & ex Baron. & Spond. citatis: præualente hoc loquendi vsu; non solum, quod cum Romana Ecclesia Petri esset peculiaris, idemque caput existeret totius Ecclesiæ vniuersalis, ita ipsa meritò diceretur *Mater & Radix* omnium Ecclesiarum totius orbis: sed etiam quia ex eo quod fundata esset supra Petram, eundem & Petrum, portæ inferi, nempè hæreses, non possent præualere aduersus eam; sed ea semper conseruatura esset fidem integram & inuiolatam: sicuti exposuerunt Irenæus lib. 3. cap. 3. Cyprian. ep. 55. & 57. ad Cornelium. Hieron. lib. 3. Apol. contra Ruffinum.

Catholici ab hæreticis discretio.

Romana Ecclesia.

C Quamquam Romana Sedes aliarum omnium primatum teneat: Orientalē tamen Ecclesiam præstare Occidentali seu Romanæ friuolis argumentis contenderunt factiosi Episcopi post Concilium Oecumenicum Cōstantinop. hac vna leui ratione; quod Christus in Oriente natus esset. Quam alij reiecerunt: vt ex Baron. ann. 381. vbi Spond. num. 7.

Stabilita iam Sede Romana, Petrus Apostolus, cui vniuersi gregis cura a Domino commissa erat, ad cæteras Occidentalis Orbis partes, cœpit discipulos amandare; qui licet scriptorum inopia obscuri penè remanserint; plurimi tamen in Martyrologio Romano, & apud alios probatos auctores recensiti inueniuntur Sancti Episcopi, ab eodem Petro diuersis temporibus ad diuersas instituendas Ecclesias missi: vt non immerito Innocen. primus epist. 1. omninò asseruerit, manifestum antiquis fuisse, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam, Insulasque adiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi quos Petrus aut eius successores instituissent sacerdotes: Immo & in Britanniam eiusdem ipsius Apostoli prædicatione Euangelium
D penetrasse Metaphrastes 29. Iunij & alij scribunt: quod haud mirum videri debet; cum ea Insula recens à Romanis sub Imp. Claudio subiugata; vt ex Euseb. Orosio, Cassiodoro, & alijs, facilis inde fuerit ad eam aditus. Ea enim, quæ Dei sunt; non ferro, sed moribus, vitæ exemplo, salutaribus monitis, precibus, lacrymis stabilienda: sic inermes & exarmatos mittit Petrus Dei Vicarius, & tanquam agnos inter lupos; nec animarum conuersionem potentiæ, nobilitati, robori, aut humanæ sapientiæ, sed sola Dei potentia & prudentia fretus. Denique velut à Sole radij, & à fonte riui; sic à Sede Petri longe latèque fides Christiana diffusa, vbique est feliciter propagata: quamquam & ipsummet Petrum nonnullas earumdem prouinciarum, aliasque plures per se

Romæ missi per orbem ad prædicandum.

visitasse, ac doctrina Euangelica imbuisse antiqui testantur auctores ex Baronio ann.46. & inde Romanum Pont. succedentibus annis prouidisse Episcopos in alijs Ecclesijs, Baron.ann.80. vbi Spond. num.3. A

Quare Roma Sedes Petri.

Hinc nobis apertè monstratur, vt Romæ Petrus Sedem suam posuerit; quoniam inde Apostoli per ipsum erant mittendi ad vniuersum orbem Euangelizare; & ideo Romæ, quæ erat caput Orbis, Imperij, & omnium Ciuitatum, pro se & successoribus suis ibi sedem suam collocauit. Ita Sanctus Leo in Natali Apost. Petri & Pauli his verbis: *Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperij; vt lex veritatis; quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* & idem Leo serm. 1. in Natali eorumdem, inquit: *Dispositio namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarẽtur Imperio; & cito peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen Ciuitatis.* Quare quod in Italiæ laudem, Romæ potissimum gratia, dictitat Plinius lib.3. cap.5. in Ecclesiam Romanam tam aptè quadrat, vt de ipsa potius quam de Italia dicta videantur; sunt autem: *Terra omnium terrarum eadem alumna, & parens numine Deum electa; quæ COELVM IPSVM clarius faceret, sparsa congregaret Imperia, ritusque molliret, & tot Populorum discordes, feraque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia; & humanitatem homini daret, breuiterque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Hinc etiam D. Maximus in Natali Apost. Petri & Pauli, inquit: *Vbi Mundus caput habebat Imperij; ibi Regni sui Principes collocauit.* Ideoque Cœli seras Roma tenet, & regit orbis habenas, scripsit D. Petrus Damiani. B

Qualis ab initio Ecclesia Romana status.

Sed qualis esset nascẽtis Ecclesiæ tempore status Ecclesiæ Romanæ? Apostolus Paulus ad Rom.cap.1. ait: *Eorum fidem annunciari in vniuerso Mundo.* eosdemq; Rom. c.15. *Plenos esse dilectione ac repletos omni scientia.* ac demũ Rom.16. *Illorum obedientiam in omnem locum diuulgatam esse.* Quæ quidem considerantes Patres, occasionem inde sumpserunt summis laudibus extollẽdi ipsam Ecclesiam Romanam, vt in prosopopœia ad Romanos Confessores omnes, quos à fide commendat Sanctus Cyprianus ep. 57. scribens ad Cornelium in exilio de eius confessione his verbis: *Dum apud vos vnus animus, & vna vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est. Claruit, Fratres charissimi, fides, quam de vobis B. Apostolus prædicauit. Hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem iam tunc in spiritu præuidebat, & præconio futurorum merita vestra contestans, dum parentes laudat, filios prouocabat,* &c. Estque secundum Ioan. Chrysost. homil. 2. in ep. ad Rom. obseruatione dignum, Apostolum non dixisse Fides vestra manifestetur, sed *Annuncietur* in vniuerso mundo: quod sicut Romana Ecclesia credebat; ita & credere deberent cæteræ nationes; dictisque nihil quicquam addendum vel demendum. C

Sed alijs prætermissis, quæ se offerunt, Hieronymi elogium æuo iam inclinante audiamus lib.11. ad Iouinianum: *Vrbs potens, Vrbs Domina, Vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut Fortitudinis nomen apud Græcos est: aut Sublimitatis apud Hebræos.* Vt quoque apud Latinos Roma inuersis litteris idem sonat, vt Amor. Et inde non mirum quod D. Augustinus pro summis tria olim videre desiderauerit: *Christum in Carne, Paulum in Cathedra, Romam in Flore.* D

Hæretici conati sunt suffurari communionem Ecclesiæ Rom.

Cumque autem non solum Apostoli voce, verum & hæreticorum affirmatione certum haberetur, vbi Ecclesia non esset Catholica, nec ibi esse posse veritatem; & contra vbi probaretur Catholica, ibi reperiri necessario veritatem; propterea eosdem à Catholico nomine, adeoque à veritate prorsus excludi, quibus Ecclesia Romana non communicat, nec Formatarum commercio coniungitur. Optatus Meleuit. lib.2. & 7. Hinc subdolo Diaboli consilio conati sunt Nouatores Romanæ Ecclesiæ communionem suffurari; vt sic Catholici viderentur; vt de Montano Hæresiarcha refert Baronius

A ronius anno 173. vbi Spondanus num.2. & de Ruffino, vt inde sæculi homines in assensum sui traheret, ac simplices illuderet; ex D. Hieronymo tradit Baron. in an. 397. vbi Spond.num.5. & alij passim.

Hanc autem Romanam Ecclesiam nullis hæresum sordibus inquinatam vnquam fuisse, testati sunt suis quibusque sæculis antiqui Patres; alijs quoq; eamdem egregijs celebrantes elogijs: etenim Hygino Papa sedente, cum se Romam contulissent Valentinus & Cerdo hæresiarchæ, & se Catholicos ambo profitentes; fictè vel verè palinodiam dein ibidem recantantes; non propterea Romanæ Ecclesiæ doctrina violata remansit: immo ijdem ab eadem Ecclesia damnati reperiuntur, ad cuius fidei integritatem, quæ ab Apostolis accepta, incorrupta semper permansérat, quamuis ad eam illi prouocassent; vt ex Irenæo lib.3. cap.3. & Tertull. de Præscrip. cap.36. refert Baron. anno 155. vbi Spond. num 1. Calumniantur vlterius in hoc Nouatores, Iustinum scripsisse ad Pium Papam de nonnullis, qui corrupissent Ecclesiasticam disciplinam. At vero cum hæc ad Romanum Episcopum potius quã ad alium quempiam scripta fuissent, vt saluti sui gregis ille consuleret, non inde argui potest disciplinam, seu doctrinam Rom. Ecclesiæ corruptam; cum sanctus Irenæus in suis scriptis lib. 3. cap. 3. & 4. quæ constat post Iustini martyrium edidisse, luculentissimum proferat de conseruata semper à Romana Ecclesia Apostolicæ fidei, & traditionis integritate testimonium: quod etiam refert Baron. ad annum 165. vbi Spond.num.3. Præterea Hegesippus scriptor celeberrimus, vt Euseb. & Hieron ex eius scriptis collegerunt, indubitanter asserit, nullam Ecclesiam fuisse, in qua ita seruata fuissent omnia, vt Lex præscripserat, docuerant Prophetæ, Dominus ipse prædicauerat, sicuti in Romana, vsque ad Eleutherium, sub quo ea scribebat: vt refert etiam Baron. anno 167. vbi Spondanus num. 6. Similiter D. August. ep. 162. ad Episcopos Donatistas scribens, demonstrat satis sibi visum esse, quod Romanæ Ecclesiæ, *in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*, & cunctis terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras coniungeretur: vnde & paratus esset causam dicere, si ab eo illas Ecclesias aduersarij conarentur alienare. vt etiam Baron. an. 306. vbi Spond. num.12. Quibus accedit etiam, vt Theodoretus Episcopus Cyri, cum de sua depositione ad sedem Apostolicam appellasset, sic inquit in epist. 113. 116. ad Renatum Episcopum: *Habet enim sanctissima Romana sedes omnium per orbem Ecclesiarum principatum, cum multis alijs de causis, tum maxime, quod hæreticæ labis immunis permansit, & Apostolicam gratiam immaculatam seruauit.* Vt refert etiam Baron. anno 449. vbi Spond. num. 14. Ac denique eamdem Romanam Ecclesiam nullis Hæresibus inquinatam testati sunt suis quibusque sæculis antiqui Patres, & recentiores omnes, de quibus Baron. & alij scribentes.

Nullis hæresibus ideò inquinatam.

In his quæ de Sede Petri impolluta ab Hæresibus seruanda iam diximus: viguit semper vigilans Dei prouidentia; cum præsertim Romanus Pont. Anicetus, qui falsis assertionibus Montani, & sociorum deceptus (conati sunt enim illi Romanæ Ecclesiæ communionem suffurari, quò sic ab vniuersa Catholica Ecclesia viderentur esse recepti) quamquam pacificas litteras illis traditas continuò Pontifex reuocasset: quandoquidem in omnibus speciem pietatis illi præseferrent, & donis prophetiæ & miraculorum apparerent ornati, nec non scripturas omnes reciperent cum Catholicis, & disciplinam Ecclesiasticam arctissimè seruarent, ieiunia, continentiam, martyria, aliaque cuncta in pretio apud Catholicos excolere diligentissimè curarent. In quo subdolum Diaboli consilium apparuit: qui cum nihil per hæreticorum turpitudines profecisset aduersus Ecclesiam; eandem iam contrarijs armis per sanctitudinis speciem expugnare conatus est, vt ex Baron. ann. 173. vbi Spond. num.2. Præterea quamquam Siricius Papa excusetur de non damnato Ruf-

Ecclesia Dei prouidentia impolluta ab hæresibus.

fino; factum est, vt quod haud citò periclitanti occurrit Ecclesiæ, ipse citissimè anni sequentis exordio ex hac vita sublatus fuerit. Frequentibus enim atque pauendis est demonstratum exemplis, Pontifices illos, qui causam fidei paulo segnius tractarent, à Christo primario omnium Pastore fuisse quam celeriter subtractos: inuigilante iugiter super Romanam Ecclesiam diuina prouidentia, ne quo vel leui suspicione hæreticæ contagionis aspergeretur, refert Baron. ann. 597. vbi Spond. num. 6. Est etiam in hoc consideratione dignum, Anastasium Papam, quamuis in Catholica fide integer esset, propensiorem tamen fuerit in restituendo sublato è Diptychis Acacij hæretici nomine; sed morte præuentum id præstare minimè valuisse: in hoc est quidem quo maximè admireris diuinam Prouidentiam erga Romanam Ecclesiam; cum titubantem eius Rectorem ex humanis ante subduxerit, quã quod meditaretur impleret: sicut & de alijs eiusdem Ecclesiæ Pontificibus accidisse, docent Annales, vt ex Baron. anno 497. vbi Spond. num. 6. Nec prætereundum recensere qualiter Vigilius schismaticus, & in Romanum Pontificatum simoniacè intrusus, viuente adhuc Siluerio legitimè electo, nemo dixerit iure illum fuisse tunc Romanum Pontificem: mortuo autem Siluerio, cum à Romano Clero idem Vigilius ad euitandum imminens schisma legitimè fuisset electus. Hæc cuncta Dei nutu esse facta, Romanam Ecclesiam solicitius gubernantis, probauit euentus: siquidem statim vbi legitima electione Petri thronum Vigilius ascendit, sacerdotale robur ab hac fidei Petra in tantũ accepit, vt planè ad confutandas hæreses visus sit habuisse à Domino Apostolatum, vt idem Baron. anno 538. vbi Spond. num. 4. ac rursus Baron. anno 540. vbi Spond. num. 3.

Priuilegia Romanæ Ecclesiæ à Christo.

Circa vero priuilegia Romanæ Ecclesiæ competentia non ab hominibus, sed à Christo in Petro esse collata; & à Petro in successores transfusa Irenæus, Cyprianus cum alijs Latinis & Græcis Patribus ab exordio nascentis Ecclesiæ cum Romanis Pontificibus sunt attestati. Etenim eadem ipsa collata à Domino in Petrum summa omnium potestas in posteros eius Cathedræ successores est derivata, vt ex Augustino in Io. tract. 50. & 124. & ep. 165. ad Genes. cum alijs passim ijdemque Romanis Pont. multa tributa sunt Decreta, quæ ab antiquiori Apostolorum traditione deriuabant. Baron. anno 136. vbi Spond. in fin.

Imperator nullum ius habet in Romana Ecclesia.

In hanc Romanæ Ecclesiæ auctoritatem ab ipso Deo stabilitam nullum Ius vnquam habuisse Reges & Imperatores, vt est communis omnium Patrũ & Doctorum sententia. Hinc circa obedientiam ab Imperatoribus & Regibus prædictis exhibendam digna Caroli Magni Imp. sententia, de qua in Decreto Dist. 19. cap. 3. & in Concilio Tribur. cap. 30. his verbis: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas; vt licet vix ferendũ ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* &cæt. Hæc porro tanti Principis statuta audiant & erubescant illi, qui ei penitus aduersarias leges condunt, timeantque ne quando si ista facere perseuerant, Deus vindex exurgens virga furoris ferrea tamquam vas figuli confringat eos; atque exemplo Caroli discant ex obedientia erga Sedem Apostolicam, & obseruantia legum Ecclesiasticarum, Regna & Imperia propagare ac firmiter stabilire. Cæterum idem imitanda animi submissione deuotum se indigetat Sanctæ Ecclesiæ defensorem, humilemque adiutorem; excusatque non se præscribere leges Episcopis, sed admonere vt ipsi paternas sanctiones custodiri facerent, refert Baron. ann. 801. vbi Spond. num. 31.

Lubet hic etiam referre de Friderico Ænobarbo Imp. qui sæpius contra Romanæ Ecclesiæ priuilegia & immunitates cum insurrexisset: in conuentu ab ipso collecto Roncaliæ propè Placentiam ad inquirendum, quæ essent

Rega-

A Regalia Imperij in Lombardia ad ipsum spectantia? tunc ipse Imp. equitans in medio Bulgari & Martini Iurisconsultorum Bononiensium, quæsiuit ab eis, Vtrum ipse de iure esset Dominus mundi? Bulgarumque respondisse nõ esse Dominum quantum ad proprietatem, Martinum vero asseruisse esse Dominum; ideoque Imperatorem; cum ipse descendisset ab equo, eum Martino donasse; Bulgarum autem dixisse: *Amisi equum, quia dixi æquum*. De isto autem Martino, qui tanta tribuit adulatoriè Imperatori, refert Iason, nihil vnquam sani verique dixisse; qui etiam quod ceruicosus est habitus, vt quam semel defendendam suscepisset opinionem, quantumlibet erroneam, & singularem, obstinatè tueri perseuerarit; in vulgare prouerbium eius durities apud Iurisconsultos in hanc vsque diem pertransijt, vt *Martinum* appellent, qui suæ ipsius singulari sententiæ pertinaci studio inhæresçat. Ita ex Chronicis refert Baron. ann. 1158. vbi Spond. num. 2. & 3.

Præterea etsi autentico omnique ex parte fide constante diplomate alicuius quantumuis alioqui legitimi Romani Pontificis, concessa monstrari B possent; nec sic subsisterent, quæ contra præcipua Ecclesiæ Romanæ iura inuenirentur esse dispositа. Nam Desiderius Cardinalis Abbas Cassinensis postea Victor Papa Tertius, Henrico Imp. iura Ecclesiastica inuadenti in faciem obiecit; vt in Chronic. Cassin. lib. 3. cap. 49. his verbis: *Sedes Apostolica Domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata: & ideo nulla omnino ratione sub iugum à quoquam mitti potest. Quod si à Nicolao Papa factum est* (scilicet vt arbitrium expectaretur Imperatoris in electione Romani Põtificis; quod falsò prætendebatur:) *iniustè profecto, & temerè præsumptum est: non tamen cuiusdam stultitia, vel temeritate amittit Ecclesia dignitatem suam*. Vt refert etiã Baron. ad ann. 1097. vbi Spond. num. 43. Ac etiam sanctus Brunus Episcopus Signiæ, ac cum eo plurimi alij Episcopi & Cardinales in Concilio Romano coegerunt Paschalem Papam Secundum reuocare, quæ contra Romanæ Ecclesiæ iura promisisset Henrico Imperatori, vt idem Baron. anno 1112. & sequentibus cum C Spondano.

Concessa contra Romanam Ecclesiam etiam à Summo Pontif. non tenent.

Cumque apud omnes in confesso sit, Priuilegia ab Apostol. Sede collata non debere contra eamdem Ecclesiam militare. In quam sententiam Nicolaus Papa I. in Decretali, quam habuit ad Henricum Archiepiscopum Turonensem, vbi agit de priuilegio ab Apost. Sede concesso Rhemensi Ecclesiæ, quo eius Archiepiscopus Hincmarus cõtra ius abuteretur, hæc habet inter alia: *Sic Apostolica Sedes aliena iura custodit, vt sua non minuat: sic honorem debitum dat, vt suum non tribuat alienis. Nam & arma illi à nobis collata, ita volumus vt pro eo sint valida, vt potius pro nobis, vbi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant*. Et idem Nicolaus ep. 30. ad Carolum Francorum Regem de priuilegio Apostolicæ Sedis, quo ad eam omnes appellandi, *nullius* obice priuilegij, habeant facultatem, agit, vt refertur per Baron. ann. 1097. vbi Spond. num. 44. Hæc vero Deo accepta, Angelis & hominibus reuerẽda, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ vsu recepta atque probata, nullius diplomatis occasione adducenda sunt in discrimen, neque ludibrio exponenD da, neque vllatenus abolenda.

Priuilegia concessa à Sede Apost. non debent ipsi praiudicare.

Huius Romanæ Sedis primatus tanta veneratione omni tempore est habitus: vt absque eius auctoritate Synodum vniuersalem colligi, & Ecclesijs decreta sanciri nefas; id omnino prohibente Canone Ecclesiastico, quo vetitum, vt ait Socrates lib. 2. cap. 13. *Ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesijs sancirentur*. refert Baron. ann. 325. vbi Spond. num. 5. & 45. Vt etiã idem Baron. ann. 342. vbi Spond. num. 8. Eiusdemque Romani Pont. fuit ijsdem Concilijs præsidere, etiam ex Baron. ann. 449. vbi Spond. num. 5. necnon extra Vrbem prædictis interesse, nisi per Legatos de Latere non consueuit, vt de Legatis ad Concilium Ephesinum à Sancto Leone missis apud

De auctoritate Sedis Apostol. in Concilijs.

Con-

Concilium Chalcedonen. Act. 1. Baron. eodem anno 449. num. 9. Quodque in Oecumenicis fieri consueuisse, vt à Synodo solita mitti ad Romanum Pontificem, quæ à Patribus decreta essent, & auctoritate ipsius firmarentur; vt in Concilio Chalcedonen. Act. 3. in fin. & refert Baronius ann 451. n. 32. Quamquam Oecumenico Concilio opus non sit, vbi Romanus Pont. aliquid definiuisset, vt de Flauiano tribuente tantam vim litteris Romani Pont. quæ possent hæreses funditus euertere, vbi eædem aliquid definiuissent, vt apud S. Leonem ante ep. 7. tradit pariter Baron. an. 449. n 1. A

Prima sedes à nemine iudicatur.

Quod incompertum omni æuo fuit apud omnes Patres, vt Prima sedes omnes iudicet & à nemine iudicetur: etenim in prætenso actu infidelitatis Marcellini Papæ, nunquam trecenti illi Episcopi ausi sunt in eum ferre sententiam damnationis, quin potius sæpè ab omnibus acclamatum est: *Prima sedes à nemine iudicabitur. Tu reus, tu iudex, ex ore tuo condemnaberis. Nemo vnquam iudicauit Pontificem.* Ex Baron. an. 302. vbi Spond. num. 16. Et in Concilio Romano sub Siluestro inter cætera decretum: *Vt nemo dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari: neque quoque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à Populo iudex iudicetur.* Quem Canonem postea citauit Nicolaus Papa aduersus Michaelem Imp. vt refert idem Baron. an. 324. vbi Spond. n. 30. Præterea cum calumniatores in Palmari Synodo Visitatorem contra Symmachum Papam petijssent, acriter in illos Synodus inuehitur, quod contra religionem, contra statuta veterum, contra regulas maiorum id egissent, vt per eumdem Baron. ann 499. vbi Spond num. 6. Sicuti quoque Leo Papa Tertius à criminibus sibi obiectis intendens se purgare: cum ab Imperatore Carolo Magno fuissent in Basilica Vaticana omnes Episcopi Italiæ, & Galliæ congregati, vt crimina prædicta examinarentur, omnes istos vno ore dixisse: *Nos Apostolicam sedem, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo iudicamur; ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: sed sicut ipse Summus Pont. consueuit, iubeat, canonicè obediemus.* Refert etiam Baronius anno 800. vbi Spondan. num. 2. Similiter & Papiæ ab Episcopis schismaticis fuisse Gregorium Septimum Romanum Pontificem excommunicatum; Principes autem in hoc ancipites à Peritis responsum prudenter accepisse: *Romanum Pontificem à nemine iudicandum, ob idque à nullo excommunicari posse; excommunicatosque esse, qui talia præsumpsissent.* Vt idem Baron. an. 1076. vbi Spond. n. 5. B C

Agnita ab Infidelibus suprema auctoritas.

Suprema hæc Romani Antistitis auctoritas in vniuersa Ecclesia ab Infidelibus agnita etiam fuit, ab Aureliano ethnico Imp. cum ipse imperasset, vt eiecto Paulo de domo Ecclesiæ Antiochenæ illis tribueretur, quibus Italiæ & Vrbis Romæ Episcopi per litteras illam tribuendam præscriberent; tuncque penitus Paulum esse eiectum, Euseb. lib 7. hist. cap. 24. ad fin. Hinc vsq; innotuisse apparet Romani Pontificis toto orbe potestatem; vt & Ethnicos non lateret, sic demum aliorum Episcoporum sententias esse ratas, si eas ipse confirmasset. Baronius an. 272. vbi Spond. num. 3. Præterea ab Ammiano scriptore Gentili lib 15. refertur quod Liberius Christianæ Religionis Antistes Constanti Imperatori in causa Athanasij apertè recalcitrans: cui ipse Imperator semper infestus; licet sciret impletum: *Tamen auctoritate, qua potiuntur æternæ Vrbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti, &c.* Hæc Ammianus, qui cum esset Ethnicus, non potuit de auctoritate Summi Pontificis loqui, nisi quæ omnibus etiam à Religione Christiana alienis notissima essent, vt idem Baron. an. 235, vbi Spond. num. 7. Quodque etiam patet, vt infelix ille *Prætextatus* iam Consul designatus, cum amplitudinem Episcopatus Vrbis Consulatui prætulisset: homo quidem sacrilegus, & Idolorum cultor; solebat, vt ait Hieronym. ep. ad Pammachium: *Audens B. Damaso* D

A *maſo Papæ dicere: Facite me Romanæ Vrbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* Hinc liquidò conſtat in Vrbe Romani Pont. dignitatem etiam Principum ethnicorum oculos pellexiſſe; cum omnes Reipublicæ Magiſtratus huic vni Magiſtratui cederent, vt Caſsiodor. lib. 10. per varias Epiſtolas docuit.

Et ſimiliter hæc eadem vniuerſa Eccleſia auctoritas agnita à maioribus ſedibus, & ab ipſis etiam *Hæreticis*, atque ab vniuerſo denique orbe Chriſtiano: vt de Io. Chryſoſtomo appellante Innocentium Romanum Pont. aduerſus Theophilum Alexandrinum; cuius honorifica legatio quatuor Epiſcoporum, duorum Diaconorum, aucta fuit litteris quadraginta Epiſcoporũ communionis Ioannis, necnon Cleri Conſtantinopolitani, qui omnes confirmarunt, quæ à Ioanne ſcripta eſſent: ſicuti etiam ex altera parte Theophilus præuenire ſtudens, Legatum Romam miſerat Alexandrinæ Eccleſiæ Lectorẽ. Magna porrò prouidentia permiſit Deus, hæc inter tantos Epiſcopos in Oriente agitari, vt certo iudicio exploratum poſteris redderetur, quinam in vniuerſa Eccleſia Catholica principem locum teneat, quemque tam iudi- B ces quam Rei damnati pariter inſpicere debeant; illi quod ſcirent eminẽtius ſupra ſe ſtare tribunal, iſti magno ſolatio intelligerent, aliquod reliquum eſſe confugium, quod iniquam ſentẽtiam paſſi, ſecuri peterent. Vt refert Baron. ann. 404. vbi Spond. n. 6. Præterea aduertendum quod Papa Hormiſda nunquam permiſerit recipi in communionem Euphemium & Macedonium ob retentum pertinaciter nomen Acacij Epiſcopi Conſtãtinopolitani Schiſmatici & Hæreticorum communione polluti: vnde planè eluxit, quanta eſſet in vniuerſa Eccleſia moderanda Apoſtolicæ Sedis auctoritas, dum quæ tantæ Ciuitatis tam frequens Populus vna cum Monachis & Clericis petijſſet, & congregati in Synodo Orthodoxi Epiſcopi ſtabiliſsẽt, conſentiente Imperatore, vno tantum Romano Pontifice diſſentiente, irrita prorſus reddita ſunt. Ext. apud Synod. Conſtan. ſub Men. Act. 1. alias. 5. & refert Baron. an. 518. vbi Spond. n. 6. & alibi hæc fæpiſſimè.

Agnita ab Hæreticis & omnibus ſedibus.

De ſumma Romani Pont. in omnes vbique Eccleſias auctoritate, eadem C etiam ab Imperatoribus agnita, & aduerſus refractarios defenſa, vt in Conſtitutione Valentiniani Imp. ibi: *Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur.* & infra: *Hac perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis omnibuſque pro lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritate: ita vt quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur per omnia ſeruatis, quæ Diui parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* vt refert Baron. ann. 445. n. 5.

Ab Imperatoribus agnita.

Et quod maximè pertinet ad Romanæ Eccleſiæ dignitatem: ſtatutum in Concilio Sardicenſi, vt ſi quis in iudicio comprouincialium Epiſcoporum ſe iniuſtè damnatum putaret, liberum ei eſſet prouocare ad Romanum Pont. qui vel iudicata confirmaret, vel denuo eandem cauſam cognoſceret. Rurſumque in Appellationibus ad Romanum Pont. liberum ei eſſet vel cauſam delegare finitimis Epiſcopis, aut è latere Presbyteros in prouinciam mittere, D cum alijs ſimilibus in propoſito Decretis; de quibus Baron. anno 347. vbi Spond. num. 12. & refert Card. Perona in Reſponſ. ad Regem Magnæ Britanniæ lib. 1. cap. 53. Gallico idiomate.

Appellatio ad Sedem Apoſt.

Ad eandem Apoſtolicam Sedem deferri ſolitæ vndique Epiſcoporum, aliæque maioris momenti cauſæ. Vt in primo tomo Concil. prima inter epiſt. Iulij Papæ. vt refert Baron. an. 342. vbi Spond. n. 8. & ad eamdem examinanda mitti ſolita ſcripta de Fide: quippè quod & ſcientiæ clauem apud eam Eccleſiam eſſe maiores omnes Orthodoxi intelligerent. Baronius ann. 496. vbi Spond. num. 6.

Eiuſdem Romani Pont. ab ipſo initio fuit Epiſcopos & Eccleſias vbiuis poſi-

positas, præceptis suis non obtemperantes à communione Catholica secludere: sicuti Victoris Papæ excommunicatio fulminata contra Asiæ Ecclesias, quæ non obtemperarunt litteris eiusdem de celebrando Paschate die Dominico semper post Decimamquartam Lunam, Euseb. lib. 5. hist. cap. 23. & seq. Baron. an. 198. vbi Spond. num. 1. Grande siquidem facinus semper visum est Romani Pont. litteras contemnere, vt idem Baronius an. 449. vbi Spond. num. 10. A

Fuit etiam Romanæ sedis consuetudo mittere Legatos ad erigendam collapsam Orientalem Ecclesiam; sicuti Leo direxit Constantinopolim Legatos, qui lapsos ad Ecclesiam Catholicam redire volentes, probarent, vt in epist. Leonis 33. & tradit Baron. an. 450. num. 2.

Dispensare de Synodorum Oecumenicarum decretis & Canonibus Ecclesiæ consuevit olim Romanus Pontifex; sicuti olim Proclus creatus iam Cyzicenus Episcopus repellendus videbatur à sede Constantinopolitana, quod prohiberent Canones eiusmodi *in alias sedes* Episcoporum translationes, Socrat. lib. 7. cap. 39. Baron. an. 434. vbi Spond. num. 1. Vt etiam electio Stephani Episcopi Antiocheni facta Constantinopoli contra vsum antiquum Simplicius Papa ratam habuit. Simplicius epist. 13. Et idem Baron. an. 479. num. 1 B

Potuitque etiam absoluere damnatos à Synodis, & absque vllo Synodali conuentu damnare noxios, vt ex Gelasij Papæ ep. 11. & apud Baronium an. 495. num. 2.

Consultationes. Ad *hanc eamdem Apostolicam sedem propter illius inuiolatam fidem* Consultationes vndique frequentes omni tempore, à magnis viris, Ecclesijs, Synodisque; sicuti ad Eleutherium Papam Martyres Lugdunenses in vinculis tunc retenti per Irenæum eiusdem Ecclesiæ presbyterum petentes, vt pax & concordia in Ecclesijs *constitueretur*; vt ex Euseb. & Hieron. de Script. Eccles. in Irenæo tradit Baron. ad an. 179. vbi Spond. num. 5. Præterea Cyprianus ep. 23. 29. & seq. Apostolicam sedem quamuis Pastore vacantem consultat, Vtrum lapsis ab Episcopis sit concedenda pax, quam à Martyribus obtinuerant, vt refert Baron. an. 253. vbi Spond. num. 13. Ac etiam Concilium Carthaginen. tertium Canon. 48. ad Siricium Romanum Pontificem consultat de baptizandis in infantia: & eodem anno ab eodem Concilio ad Anastasium Siricij successorem *mittitur* consultatio, vt Africanæ Ecclesiæ ministris indigenti consulerent, ex eodem Baron. an. 397. vbi Spond. num. 10. Nec non etiam sanctus Victricius Episcopus Rothomagen. ab Innocentio Papa decretalem recipit in his, quæ spectant ad Ecclesiasticam disciplinam; sicuti & similes alios doctrina & sanctitate spectatos vbique Episcopos, quamtumlibet ipsi ad informandam Ecclesiasticis *institutis* plebem fidelem satis sibi esse videri possent; ex fonte tamen solitos haurire aquas, quod firmioris scirent esse roboris, maiorique suscipi reuerentia, quod ab Apostolica sede constaret esse petitum; vt idem Baron. an. 404. vbi Spond. num. 20. Quamquam mos vetus de Consultationibus in Ecclesia etiam fuerit, Episcopos primum consulere debere suos Metropolitanos; quos si eadem contingeret ignorare; tunc demum consulendum esse Summum Pontificem, S. Leo ep. 91. Theodoro Episcopo; & hæc alibi sæpissime. C D

Aduersus ambientes Pontificatum seu illius confirmationem. Quoniam Romani Pontificis suprema in Ecclesia est maiestas; Bonifacius Papa Quartus, vbi primum sedem Pontificiam est adeptus, ad reprimendam Clericorum ambitionem Pontificatibus inhiantium, Concilium in Ecclesia Vaticana habuit aduersus eos, qui superstite adhuc Romano Pontifice de eo qui esset post eius obitum eligendus in successorem tractarent, vt ex Baron. an. 606. num. 4.

Nec defuerunt ex hoc diuersis temporibus, qui illius electionem tyrannicè sibi vsurparunt; inde emanauit decretum verè Apostolicum à Symmacho

in

A in Concilio Romano ſtabilitum, quo ab electione Romani Pont. Laicorum præſumptio quamuis fulta regia potentia arceretur, vt refert Baron. an. 502. vbi Spond. num. 5.

Ex his Laicis, qui dictum ius eligendi ſibi arrogare præſumpſerunt, fuit Odoacer Arianus Rex Erulorum. Inde Felix tertius ad Pontificatum aſſumptus, Romæ cogens Concilium 42. Epiſcoporum, & Legatos Conſtantinopolim ad Zenonem Imp. mittens, fortiter in id reſtitit; vt eminens agnoſceretur Romanæ Eccleſiæ ſubijci neſcia auctoritas; dum licet Romæ ſub Erulis Arianis propemodum captiua videretur; tanto tamen polleret Imperio (perinde ac ſi fuiſſent tempora Conſtantini, atque Theodoſij Impp.) non Romæ tantum, ſed vbique terrarum vbi vigeret Chriſtiana religio. Baron. ann. 483. vbi Spond. num. 3.

Cæterum Theodoricus Gothus Italiæ Rex, quod nullus vnquam Ethnicorum Principum præter Odoacrem auſus fuerat, iſte Hæreticus meditatus impleuit; nimirum vt redigeret in ſeruitutem Romanam Eccleſiam, dum Summi
B Pontificis electionem atq; nominationem ſibi procaciter arrogauit. Vt autem ſuæ ipſius voluntati nulla eſſet occaſio refragandi; quem in Romano Clero probatiſſimum nouit virum, Felicem Papam nominauit. Accepiſſe tamen poſtea, tanta præſumptio noſcitur, moderationem illam, vt ex priſtino vſu Clerus deligeret Pontificem, quem Rex ſuo confirmaret aſſenſu: quam quidem ab Arianis Italiæ Regibus vindicatam ſibi tyrannicè auctoritatem, ijs de medio ſublatis, Orientalis orbis Imperatores ſibi pariter arrogarunt, ac denuo ceſſerunt; vt infra videbimus. Baron. ann. 526. vbi Spond. num. 2.

Porro Iuſtiniani Imperatoris auctoritate poſt vindicatam Vrbem cum vniuerſa Italia à Gothorum dominatione; Pontificem creatum eſſe Pelagium Archidiaconum natione Romanum, refert Anaſtaſius in Vigilio in fin. Iam enim ſibi auctoritatem exemplo Arianorum Gothorum Regum arrogauerat; & qui præ cæteris videri voluit pius, ſe maximè impium præſtitit; dum duriores coegit Romanam Eccleſiam ſubire conditiones, quam tulerat ſub Ethnicis
C Imperatoribus; de quibus nulla eſt vnquam mentio, quod antea confirmationem electi in Romanum Pont. ſibi aliquando auctoritatem vſurpauerint. Sicque ducta eſt in captiuitatem Domina gentium; & Regina prouinciarum facta eſt ſub tributo, ſicuti ex Ieremia deplorauit Sanctus Gregor. in quartum pſalmum pœnitentialem: cum & doluit non ſine certæ oblationis pecuniæ eiuſmodi fieri ſolitam ab Imperatore probationem Romani Pont. vt ex Baron. ann. 555. vbi Spond. num. 2. ac etiam idem Baron. ann. 590. vbi Spond. num. 3. & 8. Eam vero coactam conditionem adimplentes Pontifices, non fuere in crimen vocandi; quippe quod eis electio legitimè facta contulerit Pontificatum, non Regum, vel Impp. tyrānicè vſurpata confirmatio: pro qua licitè pecunia dari potuit, quod non redimeretur ea Pontificatus, ſed liberatio à vexatione; cum alias non liceret munus Pontificium exercere. Ex epiſt. D. Gregor. 12. epiſt. 27. Indict. 7.

Pendente cõfirmatione Imper. quomodo adminiſtraretur Romana Eccleſia.

Quomodo autem adminiſtraretur Romana Eccleſia, dum qui electus erat
D Pontifex, vetabatur tyrannicè munus ſuum exercere, donec accederet Imperatoris confirmatio: ſic enim habet inſcriptio, vt ex Epiſtola Sancti Martini Papæ ad Eliterum, in abſentia Pontificis locum ipſius repræſentare conſueuiſſe Archidiaconum, Archipresbyterum, & Primicerium, vt in his verbis: *Dilectiſſimis Thomiano & cæt. Hilarius Archipresbyter, & ſeruans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Ioannes Diaconus, & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius, & ſeruans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Ioannes ſeruus Dei Cõſiliarius eiuſdem Apoſtolicæ Sedis.* Vnde videas curam Romanæ, vniuerſaliſq; Eccleſiæ non electum Pontificem ſolum geſſiſſe, ſed quatuor ſimul eiuſdem Eccleſiæ præcipuè miniſtros. Baron. ann. 639. vbi Spond. num. 3.

Anno autem 681. Refert Anaſtaſius Biblioth. per Legatos Sedis Apoſtol.

Ecclesia Rom. liberatur à solutione pecuniæ pro Pontifice ordinando.

ex Oriente Romam redeuntes scriptam ab Imp. Constantino Pogon. ad Papam Agathonem Epistolam, quam Sacram vocabant; qua significauit se liberare Romanam Ecclesiam à pensitatione illa pecuniæ, quam primum impij Gothorum Reges Ariani Romanis Pontificibus indixerant, ac post illos extinctos, Orientales Impp. exigere cõsueuerant: Retinuit tamen interim idem Constantinus Imp. ius confirmationis Romani Pont. antiquitus pariter tyrannicè vsurpatum, vt ex eodem Anastasio, & refert Baronius ann. 681. vbi Spond. num. 12. A

Anno vero 684. Ecclesiam Romanam in pristinam libertatem restitutam esse idem Anastasius est auctor: cum, vt ait, Constantinus Imp. Benedicto Secundo Rom. Pont. concesserit, vt qui deinceps eligeretur in Summum Pont. mox nulla expectata Imperatoris cõfirmatione ordinaretur. vt ex prædicto Baron. d. ann. 684. vbi Spond. num. 1.

Sed nondum completa prædicta tyrannis: quoniam cum Romani Pont. confirmationem remisissent Imperatores; voluerunt tamen vt non crearetur absque Italiæ Exarchi, qui propius adesset, consensu: vt per Legatos Iustiniani Iunioris Imp. ad Theodorum Exarchum directos: ex quo & illud obortum est malum, vt ambientes Pontificatum, per Exarchi ministerium illud quomodocumque consequi conarentur, sæpeque schismata inde conflarẽtur. Baron. ann. 686. vbi Spond. num. 1. B

Quod autem à Sigeberto in Chronico refertur, ab Adriano Papa concessum fuisse Carolo Magno ius eligendi Romanum Pontificem, & Episcopos per inuesturã creare: cum hæc non nisi post annos 338. scripta fuerint nempè an. 1112. nullo penitus antiquioris æui auctore conscio; ne ipsis quidem, qui vitam Caroli, vel qui per annos singulos res ab eo gestas, omnesque habitos conuentus, quam diligentissimè scriptis tradiderunt; iure creditur hãc impostura eo tempore in gratiam Henrici Imp. schismatici, cuius partes totis viribus Sigebertus fouit. Immo Eginhardus Carolo à secretis, eiusdemque vitam etiam scripsit quater tantum Carolum Romam se contulisse contra Sigebertum afferentem quintum Romam illius aduentum, vt hunc actum confingeret. Gratianus eandem Sigeberti impostura nimis credulus totidem verbis expressit distinc. 63. can. Adrianus 22. & can. seq. Repugnant his quoque praxis & leges aliorum post Carolum Imperatorum, vt infra: & denique ipse Carolus suo promulgato decreto statuit electiones Episcoporum liberas, atque ex sacrorum præscripto decerni, Dist. 63. cap. sacrorum Canon. Baron. an. 774. vbi Spond. n. 3. & 4. C

Quod vero pariter liberam omnino reliquit Ludouicus Pius Imp. in conuentu generali Aquisgrani, electionem & coronationem Romani Pontificis Clero & Populo Romano; nec ad aliud teneri voluit, nisi vbi esset consecratus, legationem mitteret ad Imperatorem, qui eum de sua promotione faceret certiorem: ex his datur intelligi Decretum dist. 33. cap. 28. Quia sancta; quod recitatur nomine Stephani vltimi Pont. Ne consecratio electi fieret, nisi præsentibus Legatis Imperialibus; aut omnino non sancitum, vt aliæ schismaticorum impostura, vel omnino à Ludouico non fuisse acceptatum Baron. an. 817. vbi in Spond. num. 3. D

Porro idem Ludouicus Imp. Romam adueniens, vt schisma comprimeretur, Constitutionem promulgauit (vt apud Sigonium de Rebus Italiæ) qua Pontificum electionibus eos tantum interesse iussit: *Quibus antiqua fuit consuetudo concessa per Constitutionem sanctorum Patrum: ipsumque etiam politicum Vrbis statum ex ipsius Pontificis & Imperatoris Constitutione disponi.* Vbi haud de nihilo est, quod primæ deferantur Pontifici etiam in rebus Politicis. Ita apud Baron. an. 824. vbi Spond. num. 1.

Quamquam in electione Leonis Quarti Romani Pont. ex communi Romanorum consensu, adhuc ijdem timerent expectãdum Imperatoris consensum

ad

A ad illius consecrationem: refert tamen Anastasius Leonem obstitisse Lothario & Ludouico Impp. vendicãtibus sibi ius in electione, vel consecratione Pontificis; euicisseque vt ijdem consenserint, ne ea nisi iustè & canonicè fieri deberet; vt ex decreto eiusdem Pontificis de his promulgato Dist. 63. cap. 31. & refert Baron. an. 847. vbi Spond. num. 3.

Iactata multis bellorum procellis, & in magnum quoque discrimen adducta sæpius fuit Romana Respublica, numquam tamen deiecta, & semper bello, etsi non semper prælio, victrix fuit. Nec aliter Ecclesia ingentibus persecutionum fluctibus frequenter percussa, sed numquam penitus concussa, atque attrita fuit, semperque tandem victrix, atque glorioſior euasit.

A ciuibus suis atque à domesticis bellis multo magis quam ab hostibus, & externis viribus conflictata fuit, & perturbata, lacerataque Respublica Romana; & ab Hæreticis & Schismaticis ex eius sinu prodeuntibus multo magis, quam à Tyrannis & externis persecutionibus vexata, atque dilaniata
B est Ecclesia, vt infra dicemus.

Etenim sedatis persecutionibus illatis in Romanam Ecclesiam ab Imperatoribus, & alijs exteris principibus: subsequitur altera domestica, & cęterarum omnium molestissima à marchionibus Tusciæ, seu comitibus Tusculanis, qui mole Adriani Romæ potiti, sæpius deforme contigerit apponi per ipsos Romanum Ecclesiæ caput. Infelix sæculi illius conditio, ignaua circumspectio, stulta fiducia. Quod & mysticè tunc designatum videri potuit; cum eodem tempore quo execrandum illud scelus aduersus Formosi Papæ cadauer Stephanus successor commisit, sacrosancta Basilica Lateranensis primaria Pontificis sedes ab altari vsque ad portas solo penitus prostrata, corruit, sanctuario tantummodo relicto integro, in quo ipsa sedes Pontificis existebat. Sicut & quantæ pietatis fuisset Formosus, inde demonstratum est, vt refert Luitprandus, dum eius corpus à piscatoribus postmodum inuentum, ad sancti Petri Basilicam deportatum esset, sanctorum Imagines illud in loculo positum venerabiliter salutauerint. Etsi porrò tot nefaria crimina Stephanum Papam infamarent, nullus tamen principalium Sedium Episcoporum, se subtraxit ab obedientia Romanis Pontificibus impertiri solita; probè scientes primam sedem à neminè iudicari, vt refert Card. Baron. ann. 897. vbi Spond. num. 34.

Ruina mystica Ecclesiæ Lateranen.

C

Anno Domini 900. decimum aperitur sæculum, quod boni sterilitate, malique exundantis deformitate, atque Scriptorum inopia appellari consueuit, ferreum, plumbeum, obscurum: eo tantis Apostolica sedes iactata est procellis; vt cuncta quæ olim passa fuit sub Gentilibus Imperatoribus, alijsque quibuscunque persecutoribus, horum comparatione sint existimanda lusus quodãmodo puerorum: idque ea occasione, quod Principes sæculi huius, quamtumlibet Christiani, tyrannicè sibi Pontificum Romanorum electionem arrogantes, quamplurima horrenda in eam monstra intruserunt; factionibus ita inter se decertantibus, vt modo Romani Proceres, modo Etruriæ Principes intruderent sæculari potentia quem vellent, & deijcerent
D quem possent Romanum Pont. à contraria factione promotum: quæ ferè toto hoc sæculo sunt actitata, quousque Germaniæ Imperatores Othones medij interceſſere vtrique parti contrarij; sibi licet & ipsi arrogantes Papæ electionem, atque electi deiectionem. Ex quibus Pontificibus intrusus inter cæteros Stephanus VII. hoc tempore è sede pulsus, detrusus est in carcerem, atque ibi strangulatus, cui suffectus à Romanorum factione præualente quidam nomine Romanus Constantini filius, deinde Theodorus Secundus, vt ex Baron. dicto anno 900. vbi Spond. num. 2. Inde Christophorum Pont. è sede iectum, atque vitam monasticam amplecti coactum, subrogatum illi fuisse Sergium vita turpissima, vt idem Baron. an. 908. vbi Spond. Pari-

ter Ioannes XI. Romanus Pontifex; ſicuti violenter Romanam ingreſſus eſt A
ſedem, ita violenter deiectus eſt, & in carcerem detruſus vna cum matre Marozia ab Alberico ipſius Maroziæ filio, quem ex Adelberto marchione ſuſceperat, ex Baron. an. 933. vbi Spond. num. 1.

Porrò Albericus dein liberè ipſe imperauit capta matre, quam cuſtodiæ tradidit in Adriani mole. Quo mortuo ad Octauium filium principatum tranſmiſit; ſed cum is multum potentiæ ſibi deeſſe ratus, niſi ad Pontificatum niteretur: Princeps aliquandiu Clerici habitu ad Pontificatum deinde euectus, Ioannes XII. eſt dictus: poſt cuius obitum Ioannes XIII. à populo eſt captus, & in Campaniam dimiſſus: & in eadem ſede mox anno 974. Benedictus VI. necatus. Quod contigit quoque Ioanni XIV. & alijs ſucceſſoribus. Adeo per ea tempora feri mores & ſcelera inualuerant.

In tanta Reipublicæ Chriſtianæ perturbatione, ſub Leone IX. magna pars Vrbis incendio corrupta anno circiter ML. Sed triginta poſt annis Gregorio Septimo Pontifice malum longè luctuoſum paſſa eſt expugnatione, B
direptione, incendio. Nam cum Henricus Tertius Imp. Gregorium Septimum Eccleſiaſticæ libertatis vindicem acerrimum bello perſequeretur, venit Romam cum exercitu, vrbem Leoninam primum occupauit, dein reliquam vrbem adortus tandem irrupit, cum pleraque ædificia aut ferro lacerata, aut igne combuſta reliquiſſet anno circiter 1085. Et ſimiliter eodem ferè tempore Robertus Guiſcardus cum inuicto Normãnorum exercitu porta Flaminia Vrbem ingreſſus, reſiſtentibus ciuibus Henrici fœderatis, plana Campi Martij vſque ad arcum Portugalliæ incendio conſumpſit: mox Lateranum & Pontificias ædes occupauit, & Capitolium verſus, quod tenebant hoſtes, ferro & igne viam aperiens, omnia ſolo æquauit. Duraretque hodie in Cœlio monte miſerabilis facies, niſi in hortorum vinetorumque amœnitatem Roma reſurrexiſſet, vt perpetua viriditate contegeret vulnera & ruinas ſuas. Hoc interim opera Guiberti, ſeu Clementis pſeudo-Papæ & rei bellicæ præfecti ab Imperatore, Cincius Romanus ſacris operantem Gregorium in Liberiana baſilica captum & in Parionis regione deductum turri incluſerat: C
ſed poſtridiè Populus Romanus ſumptis armis, aſſertoque in libertatem Pontifice, audaciſſimi hominis ædes, & turrim euertit, publicatis inſuper bonis, pulſaque ab Vrbe familia naribus mutilata: ac etiam Petri Frangipanis domum Gregorio IX. ſedente Pontificia factio euertit, cum ille Pontificem Vrbis aditu prohibuiſſet.

Necdum finis domeſticarum calamitatum Vrbis. Anno ſiquidē 1130. Petrus Leonis Card. eligitur Antipapa Anacletus nuncupatus aduerſus Innocentium PP. Secundum, qui ſperans in multitudine diuitiarum, Eccleſias Vrbis deprædatur, vt ſacris vaſis, & donarijs, quæ Summi Pontifices & Imperatores obtulerant, ſibi Romanos conciliaret: Innocentium inde recedere cogit: Reges ad partes ſuas ſolicitat; ſed cum fruſtra faceret, Rogerium Siciliæ Ducem nundinatione Regij tituli ſibi conciliat: qui auctor extitit impiæ Siculæ Monarchiæ. Excommunicatur in diuerſis Concilijs: & moritur demum impœnitēs pluribus illatis Eccleſiæ damnis. Card. Baron. d. an. 1130. cum ſequen. vbi etiam Spond. D

Accedit præterea infandis Eccleſiæ & Vrbis doloribus, quod etiam in viſcera lues penetraſſet ann. 1141. auctore Arnaldo de Brixia hæreſiarcha, (dum iſte iactaret Laicorum eſſe omnia temporalia, & à Clericis iniuſtiſſimè detineri, quo nomine Politicorum Hæreticorum patriarcham ſe conſtituit) inde Romani rebellantes aduerſus Innocentium PP. Secundum, antiquam ſatagunt reſtituere Rempublicam, & ſeditione mota in Capitolio conuenientes, ordinem Senatorum, qui iam per multa tempora ceſſauerat, conſtituerunt. Romani deinde ipſis Senatoribus etiam Patricium adiecerunt, cui tanquam Principi ſe ſubijcientes, omnia Regalia Papæ tam in Vrbe, quam

extra

A extra posita, ad ius Patricij commutarunt: illumque more antiquorum Sacerdotum de Decimis tantum, & oblationibus sustentari oportere dicentes. Vt non mireris si contra Romanos huius temporis à Pontifice & Domino suo resilientes, Sanctus *Bernardus lib.4. de Consideratione*, acuto valde stylo pugnauerit. Quamuis non omnes eadem insania percitos fuisse, sed cõplures ex nobilibus familijs pro Pontifice strenuè rem egisse constet, vt ex d. Baron. ann. 1144. vbi Spond. num. 3. successit inde Lucij Papæ obitus, occasione (vt asseritur) ipsum, cum Romanos ad noua studia concitatos, conaretur depellere à Capitolio, incerto lapidis ictu percussum esse, atque non post multos dies vitam finijsse. Cui suffectus est Eugenius Tertius. Et aduenientе in Vrbem Arnaldo Hæresiarcha, in tantum apud furentem plebem eius venenosæ doctrinæ & seditionis cœpit malum inualescere, vt non solum nobilium Romanorum à Pontifice stantium; sed & Cardinalium & Clericorũ diruerint domus, eosdemque sauciarint & malè tractarint, & depositis ministris Pontificis omnes Ciues ad subiectionem Patricij sategerint: vsque eò e-

B tiam progressi vt Sancti Petri Ecclesiam in munitionem bellicam conuertentes; peregrinos causa orationis aduenientes, ad oblationem quæstus causa plagis & verberibus cogerent; quæ Sanctus Bernardus ipsis seditiosis Romanis exprobrauit in spiritu vehementi sed sancto, vt in epist. 242. qui etiam aduersus eos Conradum Regem pro defensione Ecclesiæ hortatus est epist. 243. vt per Baronium & Spond. ann. 1145. Dum resilirent Romani à Sede Apostolica & expulsus ab eis Eugenius Pont. Viterbij considere cogeretur; accurrerunt ad eum è longinquo Populi, & legationibus ab vltimo penè Oriente (præter alias frequentes Occidentalium, Borealiumque) visitatus fuit. Sed interea factum est, vt Deus Romanorum corda expugnauerit percusso anathemate eorum Patricio cum eius fautoribus ab Eugenio Sum. Pont. & adiuncta contra illos militia; demum pacem iustis conditionibus eosdem petere coegit, vt ex Baron. eodem ann. 1145. Quod propheticè à S. Bernardo, Romanos fore sanandos, iam ante fuerat prænunciatum, vt in ijsdem Annalibus Baron. ann 1152. vbi Spond. num. 1.

C Inde post varias ærumnas ab Alexandro Tertio pro Ecclesia perpessas, ac etiam à subsequentibus Pontificibus: Inter hæc Bonifacius IX. Pontifex *Bonifacius IX.* creatus, consilio ætatem superans (30. quippè annos natus erat) ex Vmbria Romanorum rogatu Romam reuersus tandem Pontificiam restituit maiestatem: namque cinctis mœnibus Vrbe communita; Populo Romano frænos iniecit; primusque Pontificum Romanos Magistratus ad arbitrium creauit; & Pontificatus opes latius propagauit: frustra deinde Romanis contra subsequentes Pontifices irruentibus.

Et quamuis Ladislaus Rex Neapolis Vrbem deinde occupauerit; ac etiam varia schismata Romanam sedem exagitauerint: anno salutis MCCCCX. Sigismundus ex Rege Vngariæ Cæsar electus: hoc auctore Ioannes XXII. Pontifex concordiæ causa Constantiense Concilium indixit. Quo in Concilio Ioannes multis & grauibus criminibus Augusto præsente conuinctus, & Pontificatu dejectus, decretum Concilij comprobauit. Exin-

D de Gregorius Sigismundi suasu, Pontificatus insignia deposuit: quam ob causam Piceni Legatus constituitur è Pontifice Cardinalis. Tandem Regibus Angliæ, Franciæ, Hispaniæ, Augusti ipsius Legatione, ad auctoritatem *Martinus V.* Concilij reuocatis; Benedicto Lunæ Pontificatus nomen abolitum: Ita Pace aliquando Ecclesiæ reddita, Martinus V. Romanus ex nobilissima Columnensium familia omnium consensu Pontifex creatur anno eius sæculi 17. Qui Germaniæ, Franciæque populis sedem deferentibus, in Italiam protinus transijt, dictitans, *Rectorem nauis in puppi, non in prora esse oportere*. Ad eum Baldassar Cosa (Ioannes XXII. olim fuerat) Florentiam profectus in numerum Patrum cooptauit; vt eadem ætas duos videret ex Pont. Cardinales.

Tales

Vnde proueniunt calamitates Ecclesiæ.

Tales Ecclesiæ viciſſitudines, & plurimæ eiuſdem calamitates proueneruñt in aliqua parte à Translatione facta Romani Imperij in Orientem; vnde Barbarorum irruptiones, & deuaſtationes, vt diximus: ſed quamuis Magnus Imp. Conſtantinus illi cauſam dederit, idem tamen tenebras Idololatriæ depulit, & Chriſti veram Religionem propalauit. A

Proueneruntetiam à perſequentibus Tyrannis contra fidelium ſanguinẽ. At vero Martyrum paſſiones magis Eccleſiam illuſtrarunt, & fœcundiorem reddiderunt; quoniam inquit Beda ſerm. 18. de Sanctis: *Quorum confeſſio quanto in paſſione fortior, tanto eſt clarior in honore; quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria, & Martyrij triumphus multiplici paſſionum genere adornatur; perquegrauiora tormenta gratiora fuere & præmia.* Inde D. Baſilius Gordianum Martyrem ſic loquẽtem facit: *Lanietur corpus: torqueantur membra: ſeminate multum in me, vt multiplicem fructum metam.*

Deteriores vero afflictiones, & vexationes Eccleſiæ proueneruntab Hæreticis & Schiſmaticis, qui doctrinas hominum & Dæmonum prurientibus auribus natas de ingenio ſapientiæ ſæculi proſeminarunt; & præter relata in Capitulis præcedẽti & præſenti; quot Catholica Regna ab Ottomanica Tyrannide vſurpata videmus: quot Vrbes & Prouincias in Germania & Septẽtrionalibus regionibus impia Lutheri, & Caluini hæreſis deuaſtauit; ac etiam Chriſtianam Religionem ibidem funditus euertit; vt è maris abyſſo tempeſtate horribili Eccleſiæ nauis iactata videretur aliquãdo, dum communis hoſtis illam ſubmergere conatus eſt. B

Inſteterunt etiam ad huiuſmodi funeſtos in Eccleſia ſucceſſus, qui ambientes Romanum Eccleſiæ primatum, aut qui eiuſdem electionem tyrannicè ſibi vſurpare tentarunt; ac etiam ex alijs plurimis deteſtandis ſceleribus, quæ in eadem Eccleſia à filijs eiuſdem patrantur continuò. Vt inde audeant aſſerere Sectarij Eccleſiam hiſce noſtris temporibus contaminatam eſſe, & corruptam: ſiquidem vt Eccleſia ceſſauerit eſſe Eccleſia; quoniam Chriſtiani permiſcuerunt corruptionem morum vna cum corruptione fidei.

Eccleſia in fide illibata.

Ad quos nos reſpondemus illibatam eſſe Eccleſiam in ſua Fide, quamuis vitiata circa mores & diſciplinam. Prima veritas indubitata eſt apud Mat th. cap. 16. *Et portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.* De ſecunda quod inſenſibiliter degenerauerit Eccleſia circa mores, Lucas cap. 18. ibi: *Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Vnde Card. Perona lib. 2. Replicat. ad Regẽ Britanniæ obſeruat. 4. cap. 7. ſic inquit: Quod vitia & deprauationes, de quibus Sancti conqueruntur & exclamant, fuerint illa vitia morum, & humanæ conuerſationis; at nunquam prædicti deprauationẽ Eccleſiaſticæ doctrinæ reprehenderint; quoniam purificatio Eccleſiæ circa doctrinam non fuit vnquam opportuna, ſicuti neceſſaria eſt ſemper reſpectu morum. Hinc vſque ad extremum omnium ſæculorum canit Eccleſia, *Nigra ſum, ſed formoſa*: Nigra ſiquidem quoad mores, Formoſa in doctrina. Diuerſa ſanè ratio morum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quam multis modis lapſam eſſe diffiteri non poſſumus. Alia autem ratio eſt doctrinæ & fidei orthodoxæ, quæ ſanè integra & incorrupta manſit & manet etiam in moribus corruptis: de qua Chriſtus in perſona Petri & totius Eccleſiæ: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Infertur ergo ex his vt Sancti deplorent corruptionem diſciplinæ & morum: Hæretici autem exaggerẽt, vt fides & doctrina defecerit. C D

Hoc nobis indicaſſe videtur Hegeſippus apud Euſeb. lib. 4. hiſt. cap. 21. loquens de Eccleſia: Et ſi nunquam quouis hæreticorum excreſcente diluuio, incorrupta eſſe deſierit; tamen quod huiuſmodi hæreſum ſordibus forinſecus adſpergeretur, facies eius haud decora vt prius intuentibus videri poterat: perinde ac ſi ſol denſis nubibus obtegatur, quamuis ſemper perſeueret quod erat, tamen ſpectantibus haud apparet qualis ante fulgebat.

A Ab huiuſmodi autem hæreſibus in Eccleſia continuò obortis ſumpſit argumentum Celſus Epicureus inſultandi Chriſtianos de illorum diſſenſione. Cui præclarè reſpondit Origen. lib. 3. contra Celſum: & tam exemplo Philoſophiæ, Medicinæ, aliarumque ſcientiarum, & facultatum, quarum profeſſores in varias ſectas diuiſio inſurrexiſſet, quam etiam auctoritate S. Pauli primo Corinth. cap. 11. dicentis: *Oportet hæreſes eſſe; vt qui probati ſunt, manifeſti fiant*. Oſtendit id nil nocere Catholicæ fidei. Cuius quæſtionis ſcopum videtur attigiſſe Iſidorus Peluſiota lib. 2. ep 90. ad Apollonium Epiſcopum. Quoniam illas Deus permittere voluit, vt inquit Auguſt. ſerm. de Tempor. 98. ibi: *Si doctrina Eccleſiaſtica ſimplex eſſet, & nullis extrinſecus hæreticorum dogmatibus cingeretur; non poſſet tam clara, & tam examinata videri fides Catholica*. Cum vero idem Auguſt. lib. 16. de Ciuit. Dei c. 2 aſſerat: *Quæ ſunt fidei Catholicæ, hæreticorũ callida inquietudine agitantur, ea vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur*. Vt etiam teſtatur Baron. an. 146. vbi Spond. n. 11.

B Ad conuincendas autem huiuſmodi hæreticorum prauitates, ſalutare fuit remedium, nimirum prouocando ſingulas illorum hæreſes ad eos Doctores, qui inter ipſos hæreticos doctrina, & ſanctitate claruerunt, à quibus & Euangelium vel prædicatum ipſis, vel propagatum fuiſſe conſtet, vt ex eodem Baron. an. 454. vbi Spond. num. 2. & idem Card. Baron. an. 502. vbi Spond. n. 7. Quodque earum pertinaciam magis arguit, vt pleræque earum hæreſum in diuerſas fuerint continuò ſectas diſtractæ, vt refert Baron. an. 68. vbi Spond. num. 5. & idem an. 120. vbi Spond. n. 18. & an. 173. vbi Spond. num. 10. & ſeq & idem an. 175. vbi Spond. num. 6. & an. 373. vbi Spond. n. 5. & an. 394. vbi Spondan. num. 8. ſicuti etiam temporibus noſtris in Lutheri, & Caluini hæreſibus earumdem ſectas multiplicari & diuidi contigit: ſancta autem noſtra Religio vna ſemper, Catholica, & Apoſtolica remanſit. Et hæc ſatis.

C

De Vrbis Reſtauratione poſt incurſiones, & vaſtationes Barbarorum. Cap. XXII.

GOthorum, & aliorum Barbarorum bello afflicta Roma; cum diu cruentas obſidiones toleraſſet; cumque victores Barbari obruta ferè ruinis, & vacua ciuibus Vrbe erupiſſent in eam: multi qui vicinos ad montes, ſaltuſque confugerant, & exteras in ciuitates ſe receperant, rurſus permoti charitate patriæ Romam rediere: reuocati etiam à Beliſario, liberatique Tyranni metu: mœnia ſtatim lubitario & militari opere refecta, quæ deinde laterculo cœmentiſque firmius compacta ſunt: domus præterea paſſim inſtaurari, aut ædificari cœptæ. In eam rem multum operis Narſes Patri-

D cius contulit, qui poſt Beliſarium in Italiam miſſus Gothis, Heruliſque ſublatis diu in Vrbe manſit, in eaque finem viuendi fecit. De eo Paulus Diaconus inquit: *Erat vir pijſſimus, in religione Catholicus, in pauperes munificus, in reparandis Baſilicis multum ſtudioſus*. Et Procopius lib. 3. de Bello Gothorum: *Narſes exercitus partem Cumas obſeſſum miſit: ipſe verò inſtaurandi, oruandique hac cauſa manſit*. Adeo verum eſt poſt tot perpeſſas calamitates à Barbaris Vrbs noſtra; vt non propterea deſolata & deleta penitus remanſerit: idque videtur prædixiſſe ſanctus Benedictus, vt refert ſanctus Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 15. ibi: *Roma à gentibus non exterminabitur ſed tempeſtatibus, coruſcis, turbinibus, ac terræmotu fatigata in ſemetipſa mar-*

marceſcet. Et ſubdit S. Greg. ætate ſua hanc prophetiam impleri cœpiſſe, ait enim: *Cuius prophetiæ myſteria nobis iam facta ſunt luce clariora, qui in hac Vrbe diſſoluta mœnia, euerſas domos, deſtructas Eccleſias turbine cernimus*. Et aduertenda ſancti Benedicti verba, quod quamuis *marceſcente Roma*, non propterea illa defecit; quia veteribus ædificijs ſuccedunt noua pulchriora; vel pro marceſcere, inueteraſcere, non autem omnino extingui ſanctus Patriarcha intellexerat. Vt refert Areſius de Romanæ Eccleſiæ & Vrbis perennitate pag. mihi 94. A

Romanorum Pont. inſtaurationes.

Hanc eandem Eccleſiarum præcipuè inſtaurationem & ornatum ſequentes Pont. Romani non modo ad cultum Sanctorum, ſed ad ipſorum habitationem imitati: ſicut Pelagius II. nouam D. Laurentij baſilicam ad eiuſdem Martyris corpus extruxit: Magnus Gregorius Eccleſiam D. Agathæ in Suburra, ac etiam paternam domum in Cliuo Scauri poſitam in Monaſterium redegit: Bonifacius Quartus Pantheon exacta veteris ſuperſtitionis fœditate Virgini Matri, ſanctiſque Martyribus conſecrauit: Gregorius Secundus baſilicam ſancti Pauli magna ex parte collapſam refecit; atque è Brutijs aduectis trabibus texit. B

Adriani Primi.

At vero Adrianus Primus vir admirabilis, ſtructis operibus non impar eſt viſus; vt mirum ſit eum Pontificem tot ædificia cogitatione nedum opere, curaque complecti, ac ſua pecunia perficere potuiſſe: addita præſertim magna vi auri, & argenti, veſtiumque pretioſiſſimarum locis ſacris paſſim collata: nam inter cætera confeſſionem B. Petri totam ſolido auro: altare autem illi impoſitum & parietes dextra læuaque argento contexit: omnes Dei Eccleſias tam extra quam intra muros Vrbis reſtaurauit, ac etiam renouauit; vt voluit Anaſtaſius Bibliothecarius.

Leonis III.

Leo III. eius ſucceſſor multa & ipſe ædificauit, de quo idem Anaſtaſius inquit: *Cum ex omni parte tam per diuerſas Eccleſias, quam in Patriarchio in amplis ædificijs conſtruens, comptè ornaret*, Etenim inter alia Baſilicam D. Pauli terræmotu deiectam refecit; & in Patriarchio, ſeu Lateranenſi palatio Triclinium maius extruxit porphyreticis parijſque columnis, cuius apſides opere muſiuo, vbi Chriſtus Dominus cum Apoſtolis, ſancti Petri, & Magni Conſtantini: item Leonis eiuſdem & Caroli Magni effigies repræſentãtur, ex quibus deſumitur translatio Imperij ab Occidente primum in Oriẽtem à Conſtantino: deinde ab Oriente iterum in Occidentem per dictos Leonem & Carolum, vt etiam ſupra indicauimus. C

Sergij II.

Leo IV.

Quoniam Sergio Secundo Pontifice Piratæ Saraceni infeſtis claſſibus ad Oſtia Tiberina appulſi ſanctorum Apoſtolorum Baſilicas extra Vrbem ſitas diripuerant: ſuffectus illi Leo Quartus, quæcunque è Baſilica Vaticana fuerant ablata, reficere decreuit, aureis argenteiſque laminis non ſolum Apoſtoli ſepulcrum, ſed altaris frontem auro, & gemmis contexit; ac etiam eiuſdem Baſilicæ portas ab eiuſdem Saracenis nudatas iterum argento veſtiuit: & ſimilia ferè in Baſilica ſancti Pauli à Saracenis direpta, quoque refecit. Ædem ſanctorum Quatuor Coronatorum, cuius titulo Presbyter fuerat inſignitus ruinæ obnoxiam, ab imo ſolo reficiendam ornandamque; & aram ſub qua multorum ſanctorum Corpora condidit, argento & gemmis veſtiẽdam curauit. Statuit idem Pontifex ex præfata Saracenorum irruptione, Vaticanam D. Petri Baſilicam extra Vrbem ſitam muris cingere & quatuor annis opus abſoluit, nouæque vrbi *Leoninæ* inditum nomen ſalutis anno 850. circiter. Poſthæc muri Vrbis ſecundum ripam Tiberis deſierunt, quos aut Romanorum ſecuritas, aut annorum vetuſtas demolita eſt: quamquam aliqua eorundem pars iam ante Adriano Pontifice Tiberis inundantia deiecerat: neq; deſtiterunt conſequentes Pontifices & præſertim Nicolaus V. vt refert Platina, prædicta mœnia Vrbis bello, vel tempore collapſa reficere & nouis aggeribus & propugnaculis munire. D

Con-

A Consecuta tempora incuriosiore operum memoria defluxerant; cæterum sub Leone IX. cum magna pars Vrbis incendio fuisset consumpta: ac etiam triginta post annos Henricus Tertius Imp. eandem expugnasset, diripuisset & incendisset Gregorio Septimo Pontifice sedente; Romani ex hoc proprias ædes iterum extruxerunt: & opera Romanorum Pontificum templa restituta & consecrata: vt etiam Eugenius Tertius vetustas fabricas reparauit, & Porticum Liberianæ basilicæ extruxit: præterea palatium apud sanctum Petrum à fundamentis erexit, magnificum certè & amplum & Pontificum vsui futurum, si quando Vaticanum incolerent, vt etiam Cælestinus Quartus egregias ædes illi adiunctas extruxit; adeo vt Petrus Secundus Aragoniæ Rex ingenti comitatu veniens ad Vrbem, vt per manus Innocentij Tertij regni coronam acciperet, Pontificijs ædibus in Vaticano exceptus fuerit: vt alia plurima templa idem Innocentius restauraverit & de nouo extruxerit. Ac etiam Honorius Tertius è gente Sabella Innocentij successor Ecclesiam sancti Laurentij extra muros, ædes sanctæ Bibianæ cum cœno-
B bio Monialium & plura alia pia loca refecit, & Gregorius Nonus ingens Nosocomium curandis ægrotis in area Lateranensi fundauit. Nicolaus Tertius *Nicolaus III.* genere Vrsinus ædes Lateranenses ab Adriano inchoatas perfecit; ijsdem in ædibus sacellum dictum Sancta Sanctorum à fundamentis condidit opere musiuo, & marmoreis crustis coopertum, prioreiam vetustate collapso: eoque sanctorum Petri & Pauli capita contulit, donec Constantinianæ basilicæ restitutio absolueretur: qua peracta in templum solemni populi supplicatione capsulis argenteis inclusa reposuit. Aedes idem ad sanctum Petrum commodas statuit (quas deinde Nicolaus Quintus magna impensa restauravit) ac etiam hortos Pontificios inibi muris in vrbis modum cinxit. Honorius autem Quartus egregias ædes apud sanctam Sabinam in Auentino colle extruxit, vt incolis domibusque illius exemplo breui mons ille fuerit redditus frequentior. Nicolaus Quartus apud sanctam Mariam Maiorem habitauit, quam basilicam etiam restaurauit. Bonifacius VIII. Vaticanam
C basilicam, in qua humari voluit, excoluit plurimum.

At Clemente Quinto, qui iam Romanam sedem anno salutis 1308. Auinionem, in Galliam transtulerat, id præter cætera infausto prodigio Romæ fuit; quod fortuito incendio arsit, & corruit Constantiniana basilica; cuius improuisæ calamitatis nuncio plurimum indoluit Pontifex, vt ex litteris eiusdem ad Regē Siciliæ, quibus petijt, vt cæsis in eius ditione trabibus materies in Vrbem conuehatur, & templum celeriter restituit. Et iterum idem Lateranense templum fortuito casu incenditur Innocentio VI. Pont. Vnde quo in statu forent res Vrbanæ ex tali Romanorum Pontificum absentia scripsit F. Petrarcha ad Vrbanum Quintum his verbis: *Iacent domus, labant mœnia, templa ruunt, sacra pereunt, calcantur leges.* Et infra: *Lateranum humi iacet, & Ecclesiarum Mater omnium tecto carens ventis patet, & pluuijs: & Petri & Pauli sanctissimæ domus tremunt: & Apostolorum, quæ nunc ædes fuerant, iam ruina est, informisque lapidum aceruus, lapideis quoque pectoribus suspiria extorquent.* Et idem lib. 9. epist. 1. *Romam longa suorum Pontifi-*
D *cum & Principum absentia extenuatam & attritam, ac penè consumptam dolens fateor.* Et idem ad Clementem VI.

. . . Quot sunt mihi templa, quot arces
Vulnera sunt totidem: crebris confusa ruinis
Mœnia reliquias immensæ, & flebilis Vrbis
Ostentant, lacrymasque mouent spectantibus.

Gregorius igitur XI. Vrbani successor Auenione Romam rediens anno *Gregorij XI.* 1376. secum Vrbis salutem tulit, vt refert Platina: *Mœnia, & Basilicæ, & publica ac priuata ædificia vbique ruinam minabantur: quæ certè magna ex parte restituit; vt turris suo iussu ædificata ad sanctam Mariam Maiorem in-*

dicat. Quo post biennium sublato: Vrbanus VI. successor varijs perturbationibus distentus nullum lapidem mouere potuit. Bonifacius Nonus propensus ad excolendam Vrbem ædificijs, Senatorias ædes in Capitolio', nonnulla in Vaticano, & in Adriani mole construxit, quam tutissimam reddidit. A

Nec tamen diu afflicta Ciuitas se ex præterito malo recreauerat: cum inter dissidia schismatis iterum discedente Pontifice carere coacta est: donec Martinus Quintus Columna reuersus adeo disruptam & vastam inuenit Vrbem, vt nulla facies in ea videretur. Quare idem Pontifex ad exornandam ciuitatem animum adiecit: Porticum sancti Petri collabentem restituit, pauimentum Lateranensis Basilicæ opere vermiculato perfecit: Aedes ad duodecim Apostolos restituit, vbi etiam habitauit. Huius studia secuti etiam Cardinales Capranica, Bessarion, Tutauilla, & alij plura extruxerunt. Sed præsertim Eugenius Quartus successor inter cætera æneas S. Petri valuas fieri iussit: sicut & cœnobium Turris Speculorum (à speculis vt aiunt Turri impositis) instituit sub instituto Franciscæ Romanæ sanctitate B celebris.

Nicolai V. Iam vero Nicolaus Quintus Eugenij successor magnificè, ac splendidè ædificauit, & alios etiam pecunia oblata ædificantes in Vrbe iuuit; vt in eiusdem legitur sepulcro: *Restituit mores, mœnia, templa, domos*. Idem aquam Virginem multo ante dilapsam Vrbi reddidit ann. 1453. Pius Secundus Turcico bello intentus, ædificandi tamen studio delectatus; scalas Vaticanæ basilicæ instaurauit, quibus Apostolorum Petri & Pauli statuas imposuit: Porticum vbi Populo benediceret, inchoauit & alia perfecit. Paulus Secundus Aedes ampliſſimas, quas adhuc Cardinalis inchoauerat, deinde

Sixti IV. ex ruinis Amphitheatri est prosecutus. Verum Sixtus Quartus monimentis publicis reparatis, aut extructis totam Vrbem excoluit: nam & vias munijt, & lateribus strauit: porticus & mœnia deformia deiecit, ac splendidè de nouo extruxit: pontem Ianiculensem iam ruptum publicæ commoditati decorique restituit; Nosocomium sancti Spiritus, Aedes sanctæ Mariæ Populi cognomento, & alia multa templa refecit: Prætorianis Heluetijs Pontificis & palatij custodiæ ab eo primum delectis, Magistratibus insuper, alijsque ministris, sedes quibus commodè habitarent, conditæ. Bibliotheca Vaticana toto orbe celeberrima, aduectis tota Europa voluminibus constituta; cui etiam parandæ ante illum Benedictus Tertius, Martinus Quintus, Nicolaus Quintus, Pius Secundus animum intenderant, sed non stabiliuerant, quam demum Sixtus Quintus exacto iam sæculo splendidis quoque ædibus, tum ipsi Bibliothecæ, tum Custodibus, & illius Cardinali Præfecto idoneis, absoluit. Circa eadem tempora Ferdinandus & Isabella Catholici Reges Templum sancti Petri in Ianiculo, Montorium nuncupatum, ac Cœnobium contiguum Fratribus sancti Francisci extruxerunt. Ac Carolus Octauus Galliæ Rex alterum templum extruxit sanctissimæ Trinitati in monte Pincio, cum Cœnobio Minimorum Fratrum admonitu S. Francisci eius familiæ fundatoris, tunc viuentis. C

Iulij II. Iulius Secundus quamquam diuturnis distentus bellis, templum S. Petri ad Vincula erexit, & Cœnobium adiacens refecit: addiditque proprium sepulcrum celeberrimum opere Michaelis Angeli Bonarotæ: extra Vrbem Cœnobium Cryptæ ferratæ, ædesque appositas muro, fossaque instar Castelli muniuit: Viam Iuliam iuxta Tiberim directam aperuit: sed præter alia multa extructa ædificia, quod operibus præstat vniuersis nouum sancti Petri templum in Vaticano, parte veteris disiecta, ad Bramantis Architectoris exemplar ædificare est aggressus, primumque lapidem solemniter apposuit. D

Post aurea illa tempora, quibus cum stante Imperio Roma omnium Domina

A mina bonis disciplinis & artibus stationem præbuit; non ante hæc tempora è misero puluere sepultorum operum, atque opificum sculpendi, fundendi, pingendi peritia restituerat; ex quibus potissimum Raphael Sanctius Vrbinas, & Michael Angelus Bonarota Florentinus præluxere: nos quidem in tanta opificum turba pingendi magistros inuidere illi ætati possumus, æquales videre non possumus: vt remotis cæteris satis vsque ad miraculum demonstrant in Vaticano aulæ, sacella, & grottischæ (vt aiunt) in cryptis repertæ, quamuis tot ante sæculis sepultæ; vegetæ tamen & integræ vetustatem sub terra quasi è tuto non senserant.

Leo Decimus cui Populus Romanus in Capitolio statuam cum dedicasset ob *Restitutam instauratamque Vrbem:* Gymnasium Romanum accitis vndiq; viris doctissimis instaurauit, auxitque: Basilicam Vaticanam à Iulio Secundo inchoatam prosequendam magno animo suscepit: palatium Vaticanum triplicibus longis & præaltis porticibus eximia structura, auratis laquearibus, insignibus picturis splendidissimum reddidit. *Leonis X.*

B Clemente Septimo Pontifice secuta Borbonici exercitus irruptio, ac direptio in corpora, fortunasque; à demoliendis exurendisque ædificijs temperauit: paucis post annis Tiberis inundatio accessit: quæ sanè vt cœnosam & fœdam Vrbem reliquit: sic residente rursus alueo prolabentia tecta recurrentes in aquas traxit. Vt tanta hæc hominum strages, calamitas, & fuga deserere iacentem patriam & præreptis bonis emendicare coegerit: nec illi Pontifici per temporum difficultates damnum resarcire licuerit. *Clementis VII.*

Tantis calamitatibus defuncta Ciuitas, ijsdem pulchrior restituta: nam deinceps affluente rerum copia opes magnæ floruerunt, inseditque cura ædificandi Romanos Ciues & Principes viros: nouorum enim hominum colonijs, fortunis aliunde recens translatis, & Architectorum arte exquisita noua Vrbs insignibus ædificijs mirificè decoratur. Vnde *Paulus Tertius* vt salubritatem & pulchritudinem Vrbi quæreret, cœnosas & stagnantes passim in Vrbe aquas exsiccauit, direxit vias, strauitque in ea præsertim parte, quæ Populi dicitur: Idem condidit nouas Conseruatorum ædes; ad cuius C exteriorem frontem, & porticus frequens columnis structura, artificio eximia conspicitur: sed omnia Capitolij ornamenta cumulat statua equestris ænea M. Aurelij, quam è Laterano transtulit idem Paulus Tertius subiecta marmorea basi. Muros & validas in Auentino versus portam Ostiensem munitiones duxit: Leoninam vrbem nouis mœnibus & propugnaculis obstrui mandauit, curante Sangalio Architecto, à quo cum Bonarota dissentiret, opus est intermissum. Palatium Farnesianum à Cardinalibus Ranutio & Alexandro tanto splendore in quadrum pari laterum dimensione perfectum, quantum animo concipi vix queat, Bonarota Architecto; & in has ædes Farnesiorum effossæ & translatæ è Thermis Antonianis celeberrimæ statuæ. Federicus Card. Cæsius perelegans templum sanctæ Catharinæ à Funarijs in medio olim Circo Flaminio, & Cœnobium honestis puellis periclitantibus extruxit. Pauli IV. Pōtificatu potius detrimēta belli Roma pertulit, quā Pacis ornamenta parauit: tunc tamen pluribus in locis ad Vrbis mœ- *Paulus III.* *Pauli IV.*

D nia structæ munitiones: Theatinis suis Aedem S. Siluestri in Quirinali attribuit & inchoauit: Patres vero templum ornarunt, & domum extruxerunt.

Iam vero Pius IV. nulli posthaberi voluit in exornanda Vrbe: nam vt memorat Onuphrius, multa vetera & publica ædificia vetustate collabentia, vel quæ omnino esse desierant, reparauit, aut perficere est aggressus: portam & viam Quirinalem à suo nomine Piam nuncupatam erexit: ac etiam viam & portam Flaminiam refecit: Thermas Diocletianas vetustate corruptas in sacram Reginæ Angelorum ædem & Cœnobium Carthusianorum conuertit. Molitionem Templi Vaticani promouit: & Seminarium Romanum post Concilium Tridentinum instituit. *Pij IV.*

Pij V. Pius Quintus etsi maluit destruere vim hostium Ecclesiæ, quam ædificiorum moles extruere: Aedes tamen sacræ Inquisitionis in Vaticano fecit: sancti Dominici templum, cum cœnobio Monialium in Quirinali fabricari iussit: quo ferè tempore Petrus Donatus Cæsius templum Virginis de Vallicella extruxit. A

Gregorij XIII. Gregorij Decimi tertij Pontificatus consequitur inclytus liberalitate, magnificentia & studio propagandæ Religionis: plurimum fabricæ Vaticani Templi, cui & sacellum Gregorianum luculentissimum adiecit: multa in Vrbe diuersarum nationum Collegia fundauit: & Collegium Romanum à fundamentis extruxit ac dotauit: & Templum Nomini Iesu eodem tempore Alexander Card. Farnesius absoluit: vt etiam Aedes sancti Ludouici eiusdem nationis Gallicæ impensa magnificè erectæ: at vero Antonius Maria Card. Saluiatus Templum sancti Iacobi, & *Nosocomium* pauperum incurabilium molitus est: idem Orphanorum protector Collegium Saluiatum & Templum sanctæ Mariæ in Aquiro instituit & restaurauit.

Sixti V. Sixtus Quintus nouam omnino Vrbem videbatur animo comprehendisse: cum breui Pontificatu tanta est opera molitus. Vastissimum Hemisphærium basilicæ Vaticanæ, quod vix attolli posse credebatur, duplici camera altera alteri subiecta festinatò perfecit. Insigne sacellum Augustissimæ Eucharistiæ in basilica Maioris Virginis: nouum in Vaticano Palatium: Aedibus Vaticanam Bibliothecam nobilitauit. Templum sancti Hieronymi Illyricorum erexit. Xenodochium sanctissimæ Trinitatis apud Tiberim alendis pauperibus condidit & dotauit. Palatium Lateranense à fundamentis refecit: Scala sancta, qua Christus ascendit in Prætorium Pilati, digniori loco posita ante Sacellum dictum Sancta Sanctorum. Columnas Antonini & Traiani instaurauit, & super illas collocari iussit ex ære simulacra Apostolorum Petri & Pauli. Aliquot Vias splendide aperuit & direxit. Aquam Felicem in Vrbem & supra collem *Quirinalem primum perduct mandauit*. Hæc ille in Vrbe; ideoque Populus Romanus Sixto in Capitolio statuam subscripsit: *Ob Vrbem, Aedificijs, Vijs, Aquæductu illustratam*. B

De Obeliscis erectis. Quatuor præterea Obeliscos reliquias miraculorum veteris Vrbis idem Sixtus Quintus Pont. Max. transtulit & erexit. Namque post dictam Obeliscorum à Gothis deuastationem plurimi ex Summis Romanis Pontificibus sibi in animo induxere velle prædictos Obeliscos erigere; nempè Nicolaus Quintus, Paulus Secundus, Iulius Secundus, Paulus Tertius, & Gregorius Decimus tertius; sed vel morte præuenti, seu bellis, aut alijs detenti impedimentis, vt refert Mercatus de Obeliscis cap. 35. supersederunt; donec fel. recordationis Sixtus Quintus anno 1585. Pontificatus Primo ardenti veræ Religionis zelo, quos bis Aegyptij, & prisci Romani falsis eorum Dijs ante dicauerant; & propterea iusto Dei iudicio à Persis sub Cambyse in Aegypto, & à Gothis sub Totila hic Romæ fuerant prostrati; hos eosdem dictus Sixtus Quintus vero Deo ante insigniora Vrbis templa iussit erigi; vt supra illos salutiferum Crucis signum, tanquam prostratæ Idololatriæ trophæum extolleretur; sicuti iam pridem Isaias fuerat vaticinatus: *Eleuabitur signum in gentibus*. Destinauit Summus Pontifex Dominicum Fontanam Architectum, qui ministerio septingentarum operarum cum machinis ab equis deductis mirabili mathematica inuētione priscis temporibus ignota, erexit Obeliscum Vaticanum; quamuis apud Plinium legamus ad erectionem Obelisci Regis Ramisis, hodie in Laterano, vigiati hominum millia elaborasse. Erecti Obelisci fuerunt quoque exorcismis expurgati, necnon ab Episcopo solemni pompa & hominum concursu sanctissimæ Cruci consecrati, ac demum supra illas Crux elata. C D

Eiusdem verò Summi Pont. Nepos A. Card. Montaltus templū S. Andreæ præclarum inter templa Clericis Regular. condidit. At Henricus Caietanus Card.

A Card. Camerarius templum ſanctæ Pudentianæ reſtaurauit, ibique collocatis Monachis ſancti Bernardi arctioris diſciplinæ: ac etiam deinde P. Card. Sfondratus Gregorij Decimiquarti nepos templum ſanctæ Cæciliæ Virginis & Martyris reſtaurauit; Tumulum vero Virginis marmorum incruſtationibus pellucentem mira operum elegantia elaboratum, luminibus plus LXX. perpetuò ardentibus, quaſi cœlum ſtellis illuſtrauit.

Iam vero Clemens Octauus templum ſancti Cæſarei reſtaurauit, Collegium Scotorum fundauit: Aulam Clementinam in Vaticano mirifica opificum arte, picturis, & marmorum incruſtationibus inter ſpectanda Vrbis celeberrimam: In Lateranenſi Baſilica ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, diuinique Regis regiam; ac etiam tranſuerſam eius templi partem colorato & elaborato marmore exquiſitis picturis mirificè ornauit. *Clemens VIII.*

Petrus Aldobrandinus Card. Camerarius præfati Clementis nepos. Hic in collibus Tuſculanis, priſcæ iam Romanæ nobilitatis ſeceſſus illuſtres, Villam omnium penè Orbis villarum Reginam extruxit: vbi continuò vernant B tempora, agricolæ illam cultiſſimam reddũt, virent omnia, ſemina erumpunt in germina, adoleſcunt in flores, & ſalubres ſubitò matureſcunt in fructus. Hic aquæ quaſi flumen, poſt ſenum milliariorum anfractus per aquæductus ſub altiſſimis montibus fabricatos, deuolutæ, tandem erumpunt: inde præcipites earumdem aquarum cataractas inſpicimus in hanc Villam è montibus corriuatas: aquarum vel è ſcalis deſilientium; vel in ſublime ſubſaltantium luſibus, aduenas irrorare, vel obruere; & gratum viſum inducere: ibi ſub vmbra grandium ſyluarum pace, & ſecuritate lætari conceſſum: è pomarijs omnes præguſtare egregiorum fructuum matura poma permiſſum. Muſas cum Apolline cernimus in conclaue (miraculum artis humanæ, aquis & auris ſymphoniam ſuauiſſimè modulantes: necnon organum Hydraulicum aquatilium machinarum opus ſupremum; pluribus vndiq; fontibus corriuatum, & vi ventorum ex aqua proſilientium, nulla magiſtri manu; tum reliquis lituis, buccinis, cithariſque ſuauiſſima à prædictis Muſis conficitur harC monia. Hæc nos contemplantes, animum illa iucundè exhilarant, & in montem Parnaſſo celſiorem ſua flumenta deducunt. Inter cætera autem extra conclaue etiam fons Athlantis & Herculis, in quo turbo terribili ſtrepitu in ſublime conſurgens, cæli tonitrua imitatur; Cyclopis fons atque ſtatua, quæ harmonica vi ventorum fiſtula concinit pluribus cicutis compacta: Centauri fons & ſtatua, quæ vi venti ab aqua progeniti buccina perſtrepit; cuius per quatuor milliaria ſonitus exauditur. Omitto deambulationes amœnas tonſilibus cinctas plantis inter vireta ſyluarum ex omni arborum genere conſitas: & alia multa. Hoc vnum indicabo: in medio Hortorum ad remittendas interdum ex Vrbe curas, adiunctum Palatium ingenti mole fabricatum, cuius ſtructura inſignis, proſpectus delectabilis, ornatus & reliqua omnia quolibet Heroe digna; intueri delectat. Inde omnes exterarum nationum Romam aduentantes, huc potiſſimum aduenium. *Villa Aldobrandina.*

Pauli Quinti in exornanda Vrbe ſingularis cura, & ſtudia fuere. Contra ſacellum à Sixto V. in baſilica Liberiana extructum, alterum ipſe Paulus Dei D paræ Matri, tanto ſplendore & impenſa ædificare eſt aggreſſus, vt longè ſimile numquam Roma viderit: porrò ſacellum totum quidem admirandum, & variegatis lapidum cruſtis, ſimulacris è pario marmore, picturato inauratoque hemiſphærio, præclaris artificum operibus, cum priſcis Cæſarum molibus conferendum: ſed Ara præſertim admirationis modum excedit; ibique imagini Lucæ Euangeliſtæ manu dipictæ ſedes deſtinata ære auroq; confecta; necnon ex iaſpide & alijs lapidibus pretioſis circumornata. Ad eandem baſilicam elegantiſſimas ædes idem Pontifex excitauit, in quibus nobile Odeum, ſacrarium, & manſiones diſtributæ Canonicis & miniſtris. Ac etiam ante veſtibulum templi Columnam ex antiquo Pacis delubro translatam, *Pauli V.*

tam, ſuperſtante Virginis Matris cum filiolo ex ære inaurata effigie. Eodem A
tempore idem Pontifex D. Petri templum templorum omnium miraculum
mirificè eſt proſecutus: & quamuis iam Leone Decimo iubente in hac Va-
ticanæ baſilicæ ſtructura Leontius & Bonarota Architectores à Bramantis
inuentis multa detorſerint, cum putaſſent immenſo ædificio ſolidiorem mo-
lem opus eſſe; itaque longiorem compagem in quadratum verterant, facel-
lis, & apſidibus quatuor, totidemque portis ſibi mutuo reſpondentibus:
ac etiam extenuauit Bonarota immanem tholum, non valens pati tam vaſtum
pondus; duplicemque illum fecit; vt tholus exterior alterum includeret
ſpatio intercurrente diſcretum. At vero cum intendiſſet Paulus Quintus
huius baſilicæ corpus abſoluere: propterea pars ima eiuſdem veteris baſili-
cæ, quæ ſupererat, cum veſtibulo diruta eſt: & hoc interim in Patrum
cœtu accuratè diſcuſſa & controuerſa placita Bonarotæ circa hanc extru-
ctionem; tandem decretum vt quadrata baſilicæ moles in longum iterum
produceretur iuxta ferè primum Bramantis exemplar; quod etiam in hac
longitudine, quæ hodiè excedit, priſcis baſilicis tanquam Crucis typus in B
vſu etiam fuerat. Sed quatuor præſertim rationes Bonarotæ placita inuer-
terunt: primam, quod ſpatium quadratæ baſilicæ per ſe ampliſſimum, exi-
guum tamen cenſebatur capiendæ multitudini, quæ confluit ad inaugura-
tionem noui Pontificis, ad ſanctorum Canonizationes, ac ſolemnis Iubilei
expiationes; quo ſanè tempore hæc per Bonarotam templi laxitas vix ca-
pax eſſet tantæ multitudinis confluentis. Altera quod Odeo ad obeundam
pſalmodiam, vel Secretario ad ſacram ſupellectilem conſeruandam locus non
erat in templo. Tertia, quod diruta porticu, in qua Romani Pontifices ſo-
lemniter coronari ſolent, & Populo benedici conſuetum; neceſſe erat al-
teram tantis parare cæremonijs, quoniam à porticu Bonarotæ faſtigio co-
lumnis impoſito (vt extat hodiè Pantheon) id haberi non poterat. Poſtre-
ma, quod recentem baſilicam ambitum Conſtantinianæ veteris vniuerſum
complecti volebant, à ſancto Silueſtro Pontifice conſecratum, quod non
ſucceſſiſſet ex ſententia Bonarotæ: & ideo baſilica ſub Paulo Quinto pro- C
ducta; ac ferè abſoluta, magnificeque explicata marmoribus templi fronte,
gradibus antè templi veſtibulum de nouo extructis: & quod non minorem
affert intuentibus admirationem; Fons in ipſa templi ara ex Alziatina aqua
per ipſum Pontificem in Vrbem inducta; quippè non fons in illo, ſed flu-
men ad ſidera elatum conſpiciatur: Præterea in eadem Vaticana baſilica,
ſub altiſſimo Tholi vertice, idem Paulus V. Confeſſionem (vt ait) ſepulcro
Apoſtolorum pretioſis lapidum cruſtis, etiam figurato pauimenti emblema-
te, conueſtiuit; necnon ſtatuis, columniſque ex ære inauratis ſplendide de-
corauit; lampadumque inibi ardentium lumina cum ſplendoribus ſanctorum
lucere feliciter voluit. Inter ornamenta etiam templi picturæ poſtremum
non habent locum, quibus aræ inſtructæ, conquiſitis vndique Apellium
ſcientiſſimis: omitto ſub eodem Pontifice Aedes Pontificias in Quirinali au-
ctas: horrea amplificata: alia templa reſtaurata & de nouo erecta; vt e-
tiam in ſylua Tuſculana Eremitis Camaldulenſibus: & in hæc tanta opera
impendiſſe dicitur aureorum ſupra vicies quinquies centena millia. Inde D
ſic Vrbis augendæ contentio promanauit ad Ciues, decorum ratos deco-
rare patriam imitatione Principis; tum in Vrbe paſſim ædificia, vel anti-
quioribus dirutis noua ſubſtituta, vel eadem inſtaurata, & exculta; quin
etiam cupidè multitudo in vacuo ædificauit, vbi antea Romanorum per mon-
tes ſolitudo erat.

Vrbani VIII. Vrbani Octaui Pontificatus conſequitur ſupra viginti annos longæuus: hic plura monumenta Sanctorum, vetuſtate collapſa reſtaurauit, nempè ſan-
cti Caij Pontificis in Quirinali, cuius parietinæ rimoſæ vix apparebant; ſi-
cut ſimilis erat Eccleſia ſancti Vrbani extra portam Capenam, SS. Coſmi &

Da-

A Damiani in Foro boario, ibidem ſanctæ Martinæ templum cœpit, ſed non perfecit extruere. In Quirinali idem Pontifex palatium Pontificium ampliauit; & muris in modum Arcis circumſtructis muniuit: pari ſecuritate & amœnitate. In Vaticana baſilica deerat adhuc moles ſuperſtructa tumulo Apoſtolorum, quam Vrbanus inſigni operis, & materiæ nobilitate perfecit: hæc namque fuſili ex ære conſtans, auro ſubinde interlita; vt miſceat perennitati ſplendorem; & ſanctorum Cinerum veneratio incrementum capiat, & loci ſublimitas maieſtatem. Iam vero quatuor magnæ Pilæ Hemiſpærio ſuppoſitæ, quæ ad angulos conuertuntur, quatuor ingentibus loculamentis in earum medio ſpatium relinquunt, quibus alabaſtrite Diuorum ſtatuas Vrbanus locari iuſſit: quarum prima VERONICA, effigiem Saluatoris, quam in Vrbem portauit, defixis oculis contemplatur in linteo: altera ANDREÆ ſimulacrum brachia Cruci iniecit: tertia HELENA Crucis vexillo Auguſta: quarta LONGINVS lanceam beata cuſpide tenens, qua latus Domini aperuit.

B In hac tamen Vaticanæ baſilicæ ſtructura ſub Vrbano Pontifice duo ſuperuenere ingentes errores, non benè ab Architectore præuiſi, vt euentus monſtrauit: primus in fronte Templi, cum Turris magna ad Campanarum ſonitum extructa eſſet ſupra fundamentum non ſtabile, ſed ſuper aquas innixum; contigit, vt penè abſoluta Turris extructione, illa vna cum porticu & fronte Eccleſiæ annexis, omnia ſimul corruerent; inde neceſſe fuit, vt pondus diminueretur, totam Turrim ferè perfectam demoliri; ſumptibus immenſis incaſſum redditis. Error alter non inferior, vt præfati quatuor maiores anguli Eccleſiæ, quibus tota Tholi machina innititur (contra monimenta à Bonarota relicta circa hanc Vaticanam molem) fuerint illi omnes in medio intus perforati, vt cochleares gradus perficerentur, quibus aſcenſus ad ſuperiora alia loculamenta aperiretur: ac etiam Aræ in inferiori parte quarumlibet pilarum dedicarentur: ex hoc autem facta Tholi diſſolutio & aperitio; in media ſui parte, quamuis deinde reſtaurata, ſeu occultata:
C quod damnum in tanta mole reparari impoſſibile vix creditur; ne futuris temporibus forſan deterius contingat.

At extra Vrbem Vrbanus ad mare Tyrrhenum & Ciuitatem veterem, ſeu Centum Cellas portu ædificato emporium Romanæ dignitati & commodis aperuit: ſtatio ab omnibus ventis tuta præbetur nauigijs; vbi etiam hibernant Pontificiæ triremes: quoniam autem exæſtuantis & profundi maris altitudinem æquari neceſſe erat, ſic nexus operum eſt compactus: ingentia ſaxa magno labore ingerebantur; atque ea iniectis alijs, alijſque onerata, etſi aquis abſorbebantur, ſubſtratam tamen, patientemque oneris ſtruem attollebant: quæ vbi ex aqua paululum eminere cœpit; tum iunctis lapidibus moles ſuperſtructa eſt in ludibrium maris, & nauium quietem; quamquam frementium vndarum inſani æſtus opus retardaſſent. *Portus.*

Et quoniam idem Vrbanus animum continuò propenſum habuit ad repellendos hoſtes: prædictam Ciuitatem veterem munitam reddidit, & propugnaculis obſtrui iuſſit; quod etiam in ciuitate Ferrariæ, & in Caſtro Franco diſtrictus Bononienſis perfecit; & ſimilis reddita etiam eſt in Vrbe ciuitas Leonina per totum; & moles Adriani magis, ac magis munita.
D

Horti quoque intra Vrbem in agro Tuſculano eſſent recenſendi; nempè Aldobrandinij, Peretti, Burgheſij, Ludouiſiani, & Barberini: illos tantum indicaſſe ſufficiat, qui adiacentes ædibus Pontificijs in Quirinali vigent: quoniam obiectus collis obſtabat in illis; terram aſportantes multorum manus, ille decreuit in planiciem; & valliculam repleuit iniecta & aggeſta humus, cui ſuſtinendæ ingenti mole ſubſtructio eſt facta: horti vero æquata planicie iam in immenſum excurrunt. Recti in illis longiſſimique xyſti, tonſilibus cincti plantis, myrtho, buxo, cupreſſo, lauro, iunipero, citro: *Horti Quirinales.*

tro: innumeri fontes: ſtationes cameratæ flexilibus ramis, ſemperque virentibus foliis, ſpatia diſpartita pomis, & floribus: hic fraga, & rola, & cætera veris familia: illinc arborum fœtus, & grauis autumnus. E planitie mollis cliuo deſcenſus, & adiacens inferior campus malorum medicarum ferax: tum platanis inumbratus Hydraulam à ſole defendit, aquatilium machinarum quaſi Reginam, pluribus vndique fontibus coronatam. A

Innocentij X. reſtauratio. Supereſt, vt ſplendida & munificentiſſima à Sanctiſſimo D. N. INNOCENTIO X. ædificia extructa referamus: ex quibus LATERANENSEM Baſilicam Conſtantini Magni Imperatoris Religione & magnificentia extructam, Summorumque Pontificum pietate ſæpius inſtauratam: vetuſtate iam fatiſcentem, ac fulcimentis innixam: noua molitione ad veterem ex parte adhuc ſtantem conformata: ornatu ſplendidiore à fundamentis etiam reſtituit, præter tranſuerſam nauem iam pridem à Clemente Octauo reſtitutam. Mirandum opus, & tanto Pontifice dignum: cum intra tres circiter annos non ſolum baſilicæ ſtructura, verum & ornatus eiuſdem lapidibus, & columnis pretioſis fuerit perfectus: vt quoque alterum Templum Magni Conſtantini Baptiſmo, baſilicæ adiacens, & à præcedentibus Romanis Pontificibus inchoatum, ipſe Innocentius penitus abſoluerit. B

Poſt VATICANAM Baſilicam Principis Apoſtolorum in hanc molis amplitudinem multiplici Romanorum Pontificū ædificatione perductam; reſtabat tamen ornatus maioris nauis à Paulo Quinto extructæ. Vnde INNOCENTII X. iuſſu in eadem naui eodem tempore & paucis menſibus ſex grandium ſacellorum parietes marmoribus ingeniosè ſcalptis, ac lapidibus pretioſis, auro & muſiuis figuris nouo cælaturæ opere mirificè veſtiti & ornati exiſtunt: interiectis in vtraque templi ala marmoreis columnis: denique ſtrato è vario lapide pauimento magnificentius idem Pontifex baſilicam abſoluit. Et quamuis alia duo Sacella in eadem baſilica ſub Gregorio Decimo tertio, & Clemente Octauo ſtuporem temporibus illis attuliſſent intuentibus ex ſtructura illorum & ſumptus magnitudine: quodlibet tamen ex prædictis Innocentij Sacellum artificio & ſumptu ſatis prædictos antecedentes excedit. C

Extruxit idem Innocentius in CAPITOLIO ædes non diſpares alijs iam erectis ad Conſeruatorum reſidentiam, vt iam perfecto eiuſdem Capitolij theatro, integra illius loci reddatur priſca maieſtas; & ſingulis vrbanis tabernis, ſeu officinis in eodem ædificio diſiuncta, ſeu ſeparata conſtituantur tribunalia ad maiorem Curialium commoditatem.

In FORO AGONALI non ſolum Gentilitias ædes ſplendidè extruxit, & ornauit: plateam ibidem ampliauit demolitis ædificijs, quæ obſtabant; & magnum præterea fontem ex aqua Virgine in medio illius mirificè corriuauit: vt ſatis concinnè fuerit inde expreſſum his verbis numiſma: *Abluto aqua Virgine Agonalium cruore*. At vero quod ſuperat humanum ſenſum; vt moles immenſa Aegyptiaci Obeliſci ex Caracallæ Imp. Circo aduecta & reſtaurata; ſupra dictum fontem ſuſpenſa & librata conſiſtat: cuius Obeliſci Aegyptiaca Hieroglyphica in Latinum idioma explanauit R. P. Athanaſius Kircherus Societ. Ieſu Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ iuſſu; vt ex eruditiſſimo libro per ipſum in lucem edito, cui titulus Obeliſci Pamphilij, videre eſt. D

Hæc in Pontificatu Innocentij ſplendeſcunt: clarius autem coruſcant prudentia in remouendis bellis vanè ſubmotis, quibus Italia tota inter Chriſtianos Principes concutiebatur: vigilantia in calamitoſis annonæ temporibus: liberalitas ne Populus illi ſubiectus vectigalibus, & alijs importabilibus oneribus alias impoſitis magis, ac magis aggrauaretur: &c. Quibus hoc etiam ſupereſt, vt pacem vniuerſalem & perfectam inter Principes Chriſtianos per eumdem recipiamus.

Acce-

A Accedunt prædictis in hac noſtra iam reſtaurata Vrbe, crebra vtriuſque ſexus Cœnobia, & opera Templorum pulcherrima; necnon ædes Principum ſplendidè à diuerſis extructæ, & ornatæ: quæ quamuis rarò coniunctæ, ſed ſparſim erectæ ſint, tamen earum ſingulæ ſufficerent pleriſque Vrbibus exornandis. Hæc omnia ſi quis complecti velit, perlegat de his ſeriò cumulata à ſcriptoribus pluribus.

Maieſtatem & ſplendorem noſtræ reſtauratæ Vrbis perſtrinximus circa eiuſdem pulchritudinem & ſacrorum Templorum venerationem; adeo vt antiquæ iam tum florenti Vrbi poſt Auguſtum ſi hæc componatur, non multum diſſimilis appareat.

Reſtarent forſan addenda prædictis, quæ vtilitatem eiuſdem Vrbis maximè conſtituerent; ſicuti à prudenti viro propoſita iam fuere felicis recordationis Vrbano Octauo, à quo ille interrogatus; quid aggredi expediret, vt multitudo habitantium Vrbem augeretur, & omnium mercium genere eadem repleretur? ad quæ ille non voce tantum, ſed & ſcriptis, vt mihi retulit, ſolerter his tribus capitibus reſpondit. *Nota forſan ſupplenda.*

B

Primo non ſatis fuiſſe ipſum Pontificem Vrbanum tanto diſpendio Portum ad Centum Cellas diſpoſuiſſe, & muniuiſſe, niſi mercatores, qui nauibus illuc appellunt; non ſolum exemptionibus & priuilegijs cumulentur; verum vt in eodem Portu continuò emptores ſedem conſtituant, qui prompta pecunia ab exteris mercatoribus frumentum, & alias merces poſſint emere, vt exoneratis nauibus ſtatim illi in patriam poſſint reuerti; & iterum poſtea in eumdem Portum merces adducere.

Secundo, vt altera nauigatio in Vrbem inſtitueretur per Tiberim à ciuitatibus Typhernis & Peruſiæ; vt alias apud priſcos Romanos fuit eadem conſueta: vnde omnia ad victum neceſſaria, ſeu aliæ merces, quæ in illis adiacentibus prouincijs Vmbriæ, Marchiæ, &c. reperirentur; minima difficultate, ſeu diſpendio poſſent in Vrbem aduehi.

Tertio, vt ad Pontinas paludes exſiccandas Principum Romanorum animi excitarentur, vt iam dictum fuit ſupra; nam præter peſtilentis aeris ex

C illis partibus ceſſationem, inde prouentus etiam centenarius pro ſingulo quoque modio accederet ex frumentorum collectione, animalium paſcuis, &c. vt refert Plin. de Ægypto; adeo vt eorumdem fructus ad exteras etiam regiones præter Vrbis opportunitatem magno prouentu euehi poſſent.

Nec operum difficultate, nec impenſa eroganda animos in hoc expedit retardari; quoniam abſque prædictis prouentus nullus magnus aduenit: nec quicquam maiorem negociationum, merciumque toto orbe inuehendarum, euehendarumque materiam præbet, nec quicquam etiam ab extremis terrarum partibus pecunias, merciumque genus omne potentius euocat, quam fluminum, ſeu maris nauigatio; ita vt quod gentium eſt vnquam, id omne in vno regno natum videatur.

Optimè calleo præfata impendia ſæpius in conſeſſibus Eminentiſſimorum Purpuratorum ventilata: ſed vrgenti cauſa, nobis de populo incognita, propterea forſitan eadem retardata.

D Et quoniam hoc ipſo menſe Maij anni 1649. quo noſtræ deſcriptioni Vrbis & Romani Imperij ſummam manum imponimus, relatum eſt: quod de exſiccandis prædictis Pontinis Paludibus tractetur hic Romæ; hoc addere lubet: non ſatisfactum operi, ſemel ſecutam eſſe illarum exſiccationem, vt toties priſci Romani, ac etiam recentiores ſummi Pontifices tentarunt, niſi vt experientia docuit, fuerit à poſterioribus continuata & conſeruata exſiccatio & reparatio nouis aggeribus addēdis, ſeu molis aquarijs, & hoc eorum expenſis, qui vberem fructum ex talibus terris exſiccatis percipiunt, vt iam nos retulimus ſupra cap. 17. & alias etiam referemus, cum de Mirandis Hollandiæ ſcripſerimus: & hæc ſatis.

Consideratio. Ex præfatis Reſtaurationibus noſtræ Vrbis non pigeat hoc vnum recognoſcere: quamquam toties Roma cædibus & alijs calamitatibus afflicta, ac etiam cultoribus deſtituta, & quaſi deſerta; ſemper tamen Diuino Numine placato validior, promptiorque ſurrexit: ac etiam quoties Ciues & habitatores defecerunt in ea; repente tamen vndique confluentibus mortalibus colonia deducitur, & noua Roma inſtauratur; ac omnia intra pomerium atque mœnia eius frequentiſſimè habitata, & exculta ſint reſtituta: quæque modo visuntur in ea donaria, artes, & reliqua delectabilia viſu, omnia Romanæ gloriæ ſunt reſtaurata ornamenta. Præterea Vrbis regiones plenæ ſunt omnes gymnaſijs, fontibus, veſtibulis, templis, ædificijs; licetq; non inſcite dicere, quaſi effectum iam orbem ſuas reſumpſiſſe mundicias, atque ornamenta, ac omnia gratia & ſplendore renidere: cum vniuerſa illius terra quaſi pomarium quoddam culta atque ornata in præſens inſpiciatur. Ita toties tam breui ſpatio dominatrix illa humani generis, arxque omnium gentium Roma ludibrio fuit Barbaris, ſed ipſa demum omnium victrix. A

Hanc, inquam, Vrbem, Romam vniuerſas vrbes omni nobilitatis genere præceſſiſſe, & caput Orbis fuiſſe, manifeſtum eſt: ſi enim ante Chriſti Domini Natiuitatem conſideres, Romanos rerum Dominos; ſin poſt, per Beati Petri ſedem caput orbis effectam vides; ſin viros qui prouenerunt ex ea, mente reuoluas, conſilio cautos, ſtrenuos armis, fortitudine ſummos, præſtantes iuſtitia, moderatos in rebus omnibus comprobabis. Vnum ante Chriſtum defuerat, ſcilicet pietas Fidei per Petrum illata; Vrbem, quæ eatenus in cæteris cæteras ſuperauerat, nobilitauit adeo; vt in hoc etiam cæteras antecedat. Quis enim ſufficiat numerare, quot huius Vrbis indigenæ Chriſtianis temporibus bello, paceque claruerunt? Vicit quidem opinionem eorum numerus, vicit & fidem. B

De Mole Adriani. Cap. XXIII.

C

Forma Mauſolei. REſtauratam noſtram iam vidimus Vrbem: aliquid etiam videtur addendum de Adriani Mole, ad vlteriorem Tiberis viam extructa; eaque è pario marmore, & in imo quaternis lateribus pari dimenſione, poſtea circumeunte fabrica rotunda, ſpatioſamque eminebat in Turrim: equeſtribus ex eodē lapide ſtatuis, aut è curru extantibus in ſummo collocatis. Quæ Principum decora vſque ad ſecundum bellum Gothicum inuiolata manſerūt: ac præterea Moli ad tuendam Vrbem munitiones additæ ſunt: nam vt inquit Procopius de Bello Gothic. *Sepulcrum id extra portam Aureliam, & ad lapidis iactum à mœnibus procul extructum: Romani brachijs duobus à mœnibus ipſis ad ſepulcrum id vſque porrectis, inædificatiſque complexi ſunt; vt è muro ſit perinde pars quædam effectum; apparet namque altiſſimæ Turri perſimile, & ea regione imminet Portæ.* Cæterum egregia illa ſtatuarum decora Gothici ſecundi belli turbo decuſſit: nam Gothi molem aggreſſi, cum pro mœnibus ſtantes Romanos, Græcoſque alij telis arcerent, alij ſcalis in ſummum euaderent; qui munitionem tuebantur, ſuæ iam ſaluti, nedum victoriæ deſperantes; atque opem in loco oblatam rati, frangere ſimulacra, & trunca eorum ſaxa in ſubeuntes deuoluere cœperunt: ſic hoſtium pars cæſi, pars fugati, omnium repreſſus impetus, & à Mole diuulſus eſt.

Ornamenta Mauſolei deiecta.

D

Moles pro Arce habita. Dein Moles pro Arce, tam Græcis, quam Gothis fuit. Nam capta primum & amiſſa; dein à Totila iterum Roma expugnata: at poſt Beliſarium miſſus Narſes in Italiam, cum Romam exercitum admouiſſet; vt refert Procopius lib. 3. de Bell. Goth. Quoniam Gothi *haudquaquam Vrbis mœnia vniuerſa cuſtodire ſat commodè poſſent, breui admodum ædificio circa Adriani molem locum complexi, eodemque priori muro adnexo, in præſidij formam*

mox

A *mox redigunt, ibique pretioſiſſimis rebus depoſitis, diligentiſſimè præſidium id aſſeruabant, Vrbis mœnibus, cæteriſque deſtitutis atque neglectis.* Mox tamen conati Gothi repellere hoſtem ad muros ſubeuntem; cum nihilominus Narſes Vrbem intraſſet, ad Molem ſe illi receperunt, nonnullis dumtaxat ad portum Oſtienſem confugientibus. Poſtridie Narſes omnibus copijs præſidium cingit, quo terrore perculſi barbari, ſalute pacta præſidium dedunt Iuſtiniani Imp. ann. 26. Deinceps Arx in poteſtate fuit Narſetis, & Exarchorum, qui poſt illum Romam & Italiam Imperatoris nomine regebant.

Sub hæc tempora ann. ſalut. 590. graſſante Romæ peſtilentia Gregorius Magnus Pont. qui ad D. Petri ſupplicationem habebat, Angelum in edita Mole enſem vagina includere, & vna vim morbi condere ſuſpexit: inde ſancti Angeli inditum nomen: addita etiam in ſummo vertice, dicataque Archangelo Michaeli ſacra æde: qua deinde ad imam viciniam translata, ſeu potius ibi ſubſtructa, in rei admirandæ teſtimonium, marmoreum Angeli ſimulacrum præexcelſo loco impoſitum eſt. Porrò eius ædis meminit Luit-

B prandus, qui etiam quomodo ſua ætate haberent ſe munitiones, enarrat l. 3. cap. 12. his verbis: *In ingreſſu Romanæ Vrbis quædam eſt miri operis, miræque fortitudinis conſtituta munitio; ante cuius ianuam Pons eſt pretioſiſſimus ſuper Tiberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus, atque egredientibus eſt, nec eſt alia niſi per eum tranſeundi via: hoc autem niſi conceſſu cuſtodientium munitionem fieri poteſt; munitio autem ipſa (vt cætera deſina m) tantæ altitudinis eſt, vt Eccleſia, quæ in eius vertice videtur in honorem militiæ cæleſtis Principis Archangeli Michaelis fabricata, dicatur Eccleſia ſancti Angeli vſque ad Cælos.* Et nota quod diu rupto ponte Miluio, hac ſolum tranſiri in Vrbem volebant. Cæterum amplioribus deinceps munimentis Moles aucta, & Caſtrum ſiue Arx dicta eſt.

Arci inditum nomen S. Angeli.

Sed ſtatum ac regimen Italiæ cum vertiſſent Longobardi: eorumq; etiam excuſſo dominatu, plures minoreſque Principatus ſurrexerunt: ex quibus in primis marchiones in Hetruria extitere, quos ad eamdem originem refe-

C runt, qua deducti poſtea comites Tuſculani, vt ex Card. Baronio tom. 1. anno 897. Hi ad potentiam & immenſas opes Arcis quoque Romanæ poſſeſſionem adiecerunt. E quibus Adelbertus anno ſalut. DCCCCVIII. adeo excelluit, vt vnus inter omnes Italiæ Principes appellaretur *Diues*: & Rex verius quam marchio, ſolo dumtaxat nomine Regibus haberetur inferior. Florebat tunc Romæ opibus patritioque genere, nec moribus tamen probis Theodora Illuſtris fœmina, quæ turpibus illecebris Adelbertum illexerat, in communionem Arcis poſſidendæ recepta; vbi & deinceps habitare conſueuit. Quare velut principatum Vrbis adepta ex Arce etiam Romanos Pontifices infeſtabat. Secuta eſt etiam eius filia Maroxia melioris item formæ quam famæ: hæc Arcem ſecuritatis ſuæ non magis receptaculum quam ſcelerum fecerat; vnde & Romanis Ciuibus cum Vidone Adelberti patris ſucceſſore, cui nupſerat, imperabat: ſed Vidone abſque liberis mortuo, ipſa cum filio Alberico in Vrbe dominata eſt. Nupſit deinde Maroxia Vgoni fratri Vidonis, cui vacuam Arcem obtulit: at vero Albericus ab Vgone

D vitrico colapho offenſus; confeſtim conſilio Ciuium clam habito, eiuſdem vitrici arrogantiam, & matris intemperantiam queſtus, omnes impulit, vt in vtrumque coniurarent: eoque duce Arx oppugnari cœpta: inde Vgo vim metuens, ſeſe ex Mole in murum Ciuitatis demiſit, receptuſque à ſuis in Inſubriam plenus minarum diſceſſit. Albericus dedita Arce, matrem Maroxiam cuſtodiæ tradidit; ipſeque ſolus imperauit: quamuis inde Romam cum exercitu Vgo reuerſus, nil fuerit aſſecutus. Alberico vita functo ad Octauium filium principatum tranſmiſit: qui propria potentia ad ſummum Pontificatum euectus, Ioannes Duodecimus dictus eſt: ſicque Romanus Pont. Arcem in ſua poteſtate habuit, quam ipſe ad honores Pontifi-

Comites Hetruſci poſſident.

Arx apud Pontifices.

A Romanis occupata.

cios attuliſſet: nec tamen diu à Pontifice poſſeſſa; mortuo namque Ioanne A
Pontificum manibus, longe Lateranum incolentium, extorta videtur à Ciuibus. Quippe Romani Ioannem decimumtertium captum, & in Adriani molem perductum, mox tamen metu Cæſaris in Campaniam detulerunt. In eandem Benedictus Sextus anno 974. detruſus, necatuſque eſt. Et ille paricida à Benedicto Septimo Vrbe pulſus, aliquot poſt annos reuerſus Ioannem XIV. Benedicti ſucceſſorem in eadem Arce, quam ſuæ factionis ſicarij detinebant, incluſum interfecit.

Arx in poteſtate Creſcentij.

Succeſſit Ioanni Ioannes Decimusquintus, quo Pontifice Creſcentius Nomentanus per ſpeciem tuendi Conſulatus Arcem occupauit anno ſalutis 985. Exinde Ioanni ille formidinem attulit; cum eius gratia Otho Tertius venerit in Italiam: aduerſus Cæſarem Creſcentius firmatis mœnibus, atque portis Molem vallo, & aggeribus ſepſit, ſtationes militum diſpoſuit: atque in ea recepto iam in Vrbem, Otho ſe continuit. Interea mortuo Ioanne Gregorius Quintus deligitur: cui mox depulſo, cum alium per vim & ſcelus Creſcentius ſubrogaſſet; Otho qui Spoletum venerat cum copijs ad Vrbem B
reuerſus, vt Arcem expugnaret, vallum, foſſamque perduxit, turres & caſtella admouit, tormenta impoſuit, corona circumdedit: quibus

Othonis in poteſtate.

ille copijs & operibus conſternatus, cum ſe ad Imperatorem ſupplex contuliſſet, cum arce deditus, & capite cæſus eſt. Quod ergo Creſcentius nouis operibus Molem firmauerit; perdiu poſtea Caſtrum ſiue Turrim Creſcentij dixerunt: manſeruntque illæ non contemnendæ munitiones. Itaque ſexaginta quinque poſt annos Alexandro Secundo creato Pontifice, Cincius

Cincius occupat arcem.

Romanus ciuis Pontifici infeſtam arcem valido cum exercitu obiecit: Romam inde Cadalous Pſeudopapa ſuperueniens armata manu Longobardorum copijs, vt Apoſtolicam ſedem vi conſequeretur: cui à Cincio vrbs Leonina, Arx ſancti Angeli, Pons Miluius prodita fuere, quæ valido præſidio ab eo munita ſunt; ſed ibi aliquandiu Pſeudopapa Alexandri copijs oppugnatus; liber tamen à Cincio accepta grandi pecunia eſt dimiſſus. In
eamdem Arcem Alexandri ſucceſſor Gregorius Septimus ſeſe è Laterano C

Recuperatur à Pontifice.

recepit: fruſtraque Pontifex obſeſſus, Henrici Tertij exercitum, vimque Populi Romani muro, a: miſque propulſauit, donec eductus ex Arce Salernum perductus eſt, vt apud Baronium ann. 1084. ſed iterum Populus Cæſaris factione infenſus Pontifici Vrbano Secundo arcem vi & fraude expugnatam occupat anno ſalutis 1091. quæ ad manus Guiberti Pſeudopapæ peruenit: at vero Vrbanus Secundus è Gallia in Vrbem reuerſus & Arce ſeptimo anno, quam Guibertus ceperat, potitus, ad ſancti Nicolai in carcere in Aedibus Petri Leonis deceſſit anno 1099. vt refert Ciacconus in fine Vitæ dicti Vrbani Secundi.

Paſchalis Secundus creatus Pontifex, inter quem & Henricum Quartum grauibus ob iura Eccleſiaſtica exortis controuerſijs dati ſunt inuicem obſides, quos Henricus acceptos, vt ſecurè arcem & Pontem tranſiret: at ille nihil omnibus in Baſilica ſancti Petri circumuentum Pontificem, captumque ſub cuſtodia detinebat; cum Populus Romanus arreptis armis, magna vtrinq; edita ſtrages; rupto & intercluſo Miluio Ponte, collapſo iam ante triumphali, D
vno Aelio Ponte intra mœnia tranſitum præbebat. Facile enim erat quemlibet propter imminentem Arcem tranſitu prohibere; quod dicitur iam pridem feciſſe etiam Guibertinos.

Tandem Romanorum plerique factioſi, ac Pontifici rebelles, Innocentij Secundi, & Lucij, ſucceſſorumque Pontificatus, hæreticis cuiuſdam Arnaldi furijs profitebantur ſeſe Reipublicæ, & antiqui Senatus reſtitutores: itaque vt id firmius ſtabilirent, aduerſariorum potentumque Ciuium domibus, turribuſque ſolo æquatis, vel Imperij nomine detentis, multiſq; eorum patria eiectis. Petri autem Leones filij Petri Leonis clari, & opulenti

Ciuis,

A Ciuis, cum patre & auo Leone; qui omnes iam pridem rem Pontificiam assiduè, constanterque prouexerant; quos tamen abalienauit causa Petri Leonis fratris, qui Pseudopapa Anacletus aduersus Innocentium Secundum euectus; genere, clientelis, thesauris etiam, quos direptis impiè Vrbis Ecclesijs congesserat: atque vt Consules, & Vrbis, Arcisque Præfectos nactus erat sibi consaguinitate obstrictos; facilè omnes cum Adriani mole munitiones inuasit. Igitur Pontifex fidissimis asseclarum latentibus per fœderatorum ædes & turres ab ore Leonis eripitur; ex transtiberinis ædibus maritimo itinere Pisas primum, deinde in Galliam bis profectus Pontifex anno 1130. tandem ad Vrbem redijt cum Anacletum Pseudopapam è Molis latebris educere non valeret, quem demum mors extulit octauo anno ex quo sanctam Sedem inuaserat. Tum vero altero, qui Antipapæ adnasci voluerat, sublato, omnes in Vrbe præsertim Petri Leones Innocentio Pontifici Arce restituta sacramentum dixerunt.

Arx in potestate Anacleti Pseudopapæ.

Arx ab Innocentio Pont. recipitur.

B Parta iam quies Romæ videbatur; quando iam noua coorta tempestas iterum omnia subuertit: anno siquidem 1141. Romani occupato Capitolio dum ordinem Senatorium restituere, remque Romanam gerere conantur, mœrore curisque Pontifex obijt. Nec destiterunt Romani, quamuis Cælestino Secundo, & Lucio item secundo creatis, complures è nobilitate Pontifici fauerent: sed iterum Patritium etiam adiecerunt tanquam Senatus Principem Iordanem Petri Leonis filium. Inter hæc an. 1145. creatus Pontifex Eugenius Tertius, cum iste cognouisset, vt Senatus vehementer obsisteret, nisi noua inauguratione Senatoriam dignitatem confirmaret, Vrbe egressus, Viterbij commoratus: sed cum ostenderent Romani se Patriciatum abolituros, & Senatores ille diceret, Romam reuertitur: at vero Arnaldus magis, ac magis contra Eugenium vexationibus insurgens, Pontifex migrauit in Arcem sancti Angeli, cui Petri Leonis filij Pontificis fautores præsidebant; vt voluit Baronius. In Galliam deinde Pontifex discessit, à Ludouico Rege magnificè exceptus, reuersusque in Italiam Vrbe abstinuit, C donec seditiosè Romani ad eius arbitrium se composuerint.

Altera Romanorum seditio.

Anno 1159. successit in Pontificatum Alexander Tertius, quem à Bosone. Card. in Arce cum Cardinalibus fautoribus receptum, vt narrat Ciacconus. Verum dimissus Pontifex, cum è Gallia multo post omnium Ciuium votis reuertisset ad Vrbem; admouit Antipapæ fautor Federicus Castra in pratis Neronianis; & quamuis ille Molem fortiter oppugnauerit, à Pontificijs fortiter obsistentibus, repulsus est.

Anno 1347. longe agente Pontifice in Gallia, Nicolaus Renzius, Romanum regimen Tribuni assumpto nomine adeptus, Arces, transitus, pontesque Vrbis in sua etiam ditione habere voluit. Deiectus postea Tribunatu ad Arcem statim se contulit, illaque se clausit: deinde clam discessit in Bohemiam: septimoque post anno ab Innocentio Sexto ad repetendam dignitatem missus: deinde Romæ anno 1353. populari coniuratione obtruncatus est. Exinde cum Populus electo Pontificio Senatori septem Ciues Reformatorum nomine subrogasset, ne popularis audacia frænos frangeret, aut D Arcem irrumperet aliquando; Pontifex nouum Senatorem imposuit Hugonem Lusignanum Regem Cypri; & Magistratum Reformatorum confestim iussit aboleri.

Nicolaus Renzius.

Anno 1376. redijt Pontifex è Gallia Gregorius Vndecimus, eoque duobus post annis vita functo, creatus est in Vrbe Vrbanus Sextus, qui armis & tumultu omnia metu compleuerat, quidã Cardinales in Arcem confugere, qua ne reuocante quidẽ Pontifice decedere voluerunt. Venerat tunc Arx in potestatem Gerardi Card. Galli, qui Petro Præfecto custodiendam dederat: neq; Pontifex soluta quamuis pecunia ab eodem recuperare potuit; adeo vt Pontifex Tibure Romam reuersus, ædes Transtiberinas incoluit loco munito,

Arx in potestate Cardd. Gallorũ.

nito, quod Arx in potestate Gallorum Cardinalium esset: & in Campaniam Vrbanus profectus; Populus tunc pactus cum Præfecto, seu vi exacto eius præsidio, ad sese Arcem transtulit. A

Recepta à Pontifice. Bonifacius Nonus Vrbani successor, cum pendi sibi publica vectigalia mandasset, etiam Adriani molem recepit, quam priscis fatiscentibus nouis mœnibus cinxit, munitisque Pontibus frænos Vrbi imposuit. Verum Innocentio Septimo ad Pontificatum euecto, Romani iterum restitui sibi libertatem, reddique Capitolium, pontem Miluium, & Arcem petebant: mox itum ad arma, ac per absentiam Pontificis occupato Capitolino colle, ac Ponte Miluio, Arcem frustra oppugnarunt. Sic recessum ab armis, donec Ioanne Vigesimo tertio Pontifice Ladislaus Regni Neapolitani Rex Ostia Tiberina expugnata, dirutisque muris palatio Lateranensi potitus est, & Arcem sancti Angeli in deditionem accepit: nec multo post ipse veneno interijt, cuius hæreditati Ioanna Secunda Regina illius soror cum successisset, eiusdem nomine etiam Arx Adriani tenebatur Pontifice absente. Donec Martino V. Pontifici deinde reddita. Eugenius Quartus Pont. orta populi seditione ad Pisas & Florentiam cum peruenisset: Romani vt Arcem obtinerent, vrbanas cohortes ad eam admouerunt, sed à Præfecto decepti quieuerunt. Sixtus Quartus Cardinalibus Arcis Præfecturam renouauit, Christophorus & deinde Dominicus Ruuerei Præfecti constituti. Ac etiam Ennius Verulanus & Io: Vincentius Aquauiua Cardd. à Paulo Tertio dicuntur. B

In potestate Ladislai.

Reddita Arx iterum Pontifici.

Arx iterum munitur. Alexander Sextus Borgia in Arcis muniendæ curam intentus, vetus Mausoleum magnis, quadratisque lapidibus compactum, opere lateritio excelsius fecit, commodasque ædes superstruxit, pulcherrimum propugnaculum quadratis tiburtinis imminens Tiberi, Aelioque ponti extruxit, tutas denique munitiones constituit, quibus ipse sponte se aliquandiu tenuit, ingresso in Vrbem cum copijs Carolo Octauo Francorum Rege. Mortuo Alexandro Cæsar Valentinus Arcem, quam habebat in potestate, aggeribus vallatam, & Vaticanum cum duodecim millibus armatorum circumdedit, vt Patres in ædibus Pontificijs habituros comitia ad sua vota compelleret. Qui cum in ædem & Cœnobium Virginis supra Mineruam confugissent, inire Comitia noluerunt, donec egresso cum militibus Cæsare, Vaticano & Arce recepta, vrbanisque cohortibus totam Vrbem firmarunt. C

Cæterum validæ Alexandri munitiones impetum victoris exercitus repressserunt, qui Borbonio Duce Vaticanum, & Vrbem irruperat an. 1527. septemque ipsos menses obsidentem retardarunt, donec emissus, seu clam profectus Clemens Pontifex libertatem recepit. Fuerat Alexander Farnesius Card. cum Clemente in Arce detentus; tunc eius successor, Paulus III. nuncupatus; vetera per obsidionem quassata refici, noua ædificari, instrui bellico instrumento, superiores ædes instaurari, picturis ornari iussit. Pius Quartus plura molitus est, qui noua mœnia latiore circuitu, porrectis seseq; inuicem tuentibus propugnaculis adiunxit.

Quamuis præfata cautè prudenterque præuisa: Vrbanus Octauus nihilominus vix inito Pontificatu rebus bellicis maximè intentus, Arcis molitionem firmius aggressus, celeriter magno sumptu perfecit. Mœnia namque non tuta aduersus tormentorum ictus, elato super terreo aggere ad eos eludendos oppleta sunt: perducta latissimam in altitudinem fossa, eoque interfluentis aquæ corriuatus riuus sese euoluens in Tiberim: quædam quæ desiderabantur adiecta propugnacula: camporum retro iacentium elata paulatim accliuitas, vt fossæ crepidini illorum altitudo æquaret: disturbata circum tecta & vacuum ab ædificijs patefactum solum: deiectum propugnaculum lapideum Alexandri Sexti, quod in medio situm, inuicem bombardas D

A bardas collineare prohibebat: præter hæc machinæ ad centum diſpari magnitudine conflatæ, perque muros collocatæ; domus præſidiario militi; horrea frumento; apothecæ oleo; cellæ vino condendo; receptacula pyrio pulueri, cæteroque bellico inſtrumento parata: iuſſæ diſpoſitæque nouæ militum ſtationes, ac vigiliæ, addita præter morem cohorte, &c.

Succeſſus & viciſſitudines occupantium Adriani Arcem recenſuimus, & quantum illo tunc æuo deprauato Romanus Populus potiſſimum Summos Pontifices meros Adriani Molis dominos inſeſtauerit; vſurpantes ſibi eiuſdem Arcis poſſeſſionem. Hinc nos in tam dubio & inconſtanti popularis conſuetudinis Oceano diſcamus ingratam eiuſdem mentem ſemper aliam, numquam diu eamdem erga Summum Pontificem. Nouorum etenim cum auidiſſimus ſit Populus, vetera etiam proficua ſemper præſentium deſiderio faſtidit: oditque adeo vetera nouorum cupidiſſimus; vt quamuis in clementiam & humanitatem aliquando vagetur, in ſæuitiam tamen pronior, & Summorum Pontificum illius etiam propugnatorum exilium, carceres, & mor-
B tes exquiſierit. Impetu namque Populus fertur fluminum more, quæ perruptis aggeribus; cæco lapſu, nullo boni maliue diſcrimine in obuia ſæuiunt. Nihil medium in populo reperitur; aut enim abiectè ſæuit, aut ſuperbè imperat; aut ignaueſcit, aut ſæuit; ſuſpicionibus verò muliebri more tanquam fluminibus innatat; minimè illi res maximæ; tam callidus in ferrum, quam in minas & ſuſpiciones. Neque fidendum ingenio, neque eruditioni, opibus, nobilitati, benefactis, non ſanguini fuſo: iiſdem artibus, quibus fauorem, Populique gratiam quiſpiam parauit; eripietur gratia, & pro benefactis malefacta reponet. Fecit hoc ſæpius priſcis temporibus Populus contra Summos Pontifices; vt idem etiam deprauatæ mentis Principes moliti ſunt. Super fugitiua namque arena arcem ſtruit, quiſquis Populari fauori innititur. Ita ingratitudine & inuidentia grauidum circumfert pectus.

Conſideratio.

Populi mores.

C An recens Roma cum Antiqua conferri queat? Cap. XXIV.

DE ædificijs hic nobis ſermo eſt, non de poteſtate vel Imperio; an videlicet recentium forma, ac ſpecies, cum veterum ſplendore conferri aliquo modo queat? Et ad hoc patet reſponſio; quoad antecedentia tempora vſque ad ciuilia bella Syllæ & Marij, quadraginta annos ante Auguſtum Conſulem: non ambigendum quin præſens forma ciuitatis non modo cum veteri conferenda, ſed illi etiam anteferenda ſit.

Decus & pulchritudinem Vrbis tria præſertim efficiunt: laxitas & directio viarum: ſublimitas, ornatus, & amplitudo ædificiorum: ſitus ſiue in planiciem æqualiter extenſus, ſiue curuatus in collem, aut in ſummo editus, & apricus: ad Auſtrum ne, ad Boream: Ortum Solis, an Occaſum vergens.

D Situ vincimus non modo ad ædificandum aptiore, ſed ſalubriore ad viuendum. Quod etiam adnotauit Marſilius Cagnatus medica facultate clarus lib. 5. de ſalubritate cæli Romani: ſitus enim veteris Vrbis teſtificatione Strabonis, vrgente neceſſitate, ne hoſtis ex arduo mœnibus incumberet, paulatim ſeptem in montes excurrit. Quibus comprehenſis magna tectorum, ac cæli inæqualitas coorta eſt; quod præcelſa in montibus ædificia ſolem, ventorumque flatus liberè acciperent, domus vero ab his opacatæ in ſubiectis, anguſtiſque vallibus grauem, ac nebuloſum aerem, nec ſolis calore extenuatum includerent; vnde ſpiritus impurus & noxius duceretur. Hodie vero in peramplam & apertam planitiem ciuitas deſcendit; vt quæ de

Situs Vrbis nouus.

Campi

Campi Martij amœnitate ac magnitudine Strabo, Dionyſius, alijque ſcribunt, in ſuam dignitatem commodumque conuerterit. Eadem Tiberi interfluente ab Occaſu, Vaticaniſque montibus: à meridie Capitolio, Palatio, Auentino: ab Ortu Quirinali & Hortorum colle latiſſimè intercluſa, atque his veluti munitionibus aduerſus Auſtri, Euri, Africi, aliorumque ventorum nocentes impetus circumſepta, Aquilonaribus tamen flatibus plana exponitur, vt humidam hyemis grauitatem tempeſtiuè reſoluat: aut hibernos tepores, quibus abundat, modica Cæli tenuitate, quam Arcticus, ac purus efficit ſpiritus, ſalubriores reddat, nec rarò æſtatis immodicos depellat ardores. Quamuis enim non modo Aquilonem & Boream, ſed etiam Auſtrum, Africumque Roma excipiat; hos tamen quaſi per canales & anfractus recipit obiectu Collium: illos accipit aperta & obuia; cum antiquitus in ſeptem collibus Auſtrinis & Africis flatibus vltro obuerſa maximè quateretur. Quo fit vt peſtilentes annos, qui veterem Romam frequenter ex hauriebant, numerare non poſſimus. A

Vię Vrbis. Viæ autem noſtris temporibus plurimæ latæ, ac rectæ antiquas multum excedunt. Priſci enim ſuam Rectam habuere in Campo Martio, herbis dumtaxat obſito non ædificijs: vna Lata dedit nomen integræ regioni. Cæteræ flexuoſæ & anguſtæ, ait Tacitus 15. Ann. *Vrbs arctis itineribus, huc atque illuc flexis atque enormibus vicis.* Cicero in Rullum: *Non optimis vijs, anguſtiſſimis ſemitis.* Iuuen. ſat. 3. *Rhedarum tranſitu arcto, vicorum inflexu.* Quod vitium Neronianus ignis poſtea decoxit. Tacitus loco citato: *Dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatijs, & pateſactis areis ædificatio peracta eſt.* B

Ædificia Vrbis. Iam vero Aedificiorum vſque ad annum Vrbis DCLXII. rarus decor & cultus: cum ex Plinio lib. 16. cap. 10. pro tegula tabellis ligneis domus contegerentur, quæ dicuntur Scandulæ, vt his verbis: *Scandula contectam fuiſſe Romam ad Pyrrhi vſque bellum annis CCCCLXX. Cornelius Nepos eſt auctor.* Item teſte Velleio cap. 1: *Q. Cæcilius Metellus primus omnium Romæ ædem ex marmore in ijs ipſius monimentis molitus, vel magnificentiæ, vel luxuriæ particeps fuit.* Quod factum fuit anno Vrbis DCVII. poſt incendium Gallicum CCXLII. Et cum Scipio Naſica porticus in Capitolio, Gn. Octauius in Circo moliti eſſent; idem Velleius inquit: *Publicam magnificentiam ſecuta priuata luxuria eſt.* Adhuc tamen Principes Ciuitatis modicas ædes, tum ex tradita cõſuetudine, tum ex Romana viuendi frugalitate habitabant: Pompeio ante tertium Triumphum parua domus in Carinis: & Valerius de Aelijs Patricijs inquit: *Sexdecim eodem tempore Aelij fuerunt, quibus vna domuncula fuerat eodem loci, quo nunc ſunt Mariana monumenta, & vnus in agro Veiente fundus.* Cæſar teſte Suetonio: *Modicis ædibus habitauit in Suburra,* & Auguſtus: *In Palatio modicis ædibus Hortenſianis, & neque laxitate, neque cultu conſpicuis; vt in quibus Porticus breues eſſent Albanarum Columnarum (* nempè Peperinio, vt aiunt *) & ſine marmore vllo, aut inſigni pauimento conclauia; ac per annos amplius quadraginta eodem cubiculo hyeme & æſtate manſit,* Dominus terrarum. Sed anno V.C. DCLXII. ante primum Auguſti Conſulatum 49. vt refert Plinius lib. 17. cap. 1. & Valerius lib. 9. c. 1. L. Craſſo Oratori magnifica domus fuit in Palatio. Nam præter ſex latas arbores ibi conſitas: *Columnas quatuor Hymettij marmoris ædilitatis gratia ad ſcenam ornandam aduectas in eius atrio ſtatuerat, cum in publico nondum eſſent vllæ marmoreæ.* Sola namque compage murorum pilarum que lateritia firmitate conſtabant ædificia quamuis publica, aut columnis nitebantur ex Albano lapide, vel Tiburtino, Liuius Decad. 4. lib. 10. inquit: *Speciem ipſius Vrbis nondum exornatæ neque publicis neque priuatis locis.* Plutarchus in comparatione Periclis & Fabij inquit: *Aedificia, quibus Pericles Athenas exornauit, cum omnibus, quæcumque ante Cæſares Roma habuit, non ſunt conferenda;* C D

ſed

A *sed longe lateque sine vlla comparatione, magnificentia & nobilitate præ his obtinent illa primas.* Templa vero fermè modica & angusta: templum Feretrij Iouis quindecim pedes longum; teste Dionysio. Capitolium illud Religionum, sacrorumque caput, Deorum domicilium (vt aiebant) & alterum Iouis fulminantis Cælum: pilis latere coctis dealbatis tres in partes diuisum sustinebatur, vt Dionysius, & pari propemodum longitudine & latitudine, quindecim tantum latitudini detractis, patebat ducentos pedes: & Capitolinus Deorum Romanorum Augustus fuit in templo.

Fictilis, & nullo violatus Iuppiter Auro

Ideoque postea dixere Romani,

Fictilibus creuere Deis hæc aurea templa.

Quamuis immediatè ante Augustum, multum decoris, splendorisque domibus adiectum sit; tamen non dubium quin recentes Pontificis Maximi, Purpuratorum Patrum, & aliorum Principum ædes & laxitate, & structura, columnis marmoreis, pilis Tiburtinis, marmoreis incrustationibus, inauratis laquearibus, pictis cameris, aulæis opere Belgico, Damascenoque peristromatis, ac reliquo argenti aurique lautissimo instrumento illius ætatis ædibus pares sint; atque ex his aliquot etiam illis superiores. Templa vero illius ætatis non magna & ferè altitudine columnarum definita, quibus epistylia ad imponendas trabeationes nitebantur: columnæ Albanæ, vel Tiburtinæ, vel pilæ lateritiæ in speciem columnarum: nullæ marmorum crustæ: nulla ad exquisitiorem cultum segmentato, læuigatoque lapide cælata sacella: raræ inibi picturæ, nisi quas exercituum Imperatores translatis è Græcia tabulis sero inuehere cœperunt: cætera ex auro, argento, gemmisque ornamenta, si Capitolium excipias, ante Augustum omnino rara.

B

At nostrorum Templorum omitto primum laxitatem, & amplitudinem; frontes Tiburtini candidique lapidis compage admirabili machinatorum artificio solidantur: tholi & hemisphæria non solum eductis parietibus effulta, sed ex altissimis arcubus, ac velut in aere pendentibus in Cælum sublata: quot deinde ad aras, aut lucentes è marmore, aut ex ære aureis solidisque lamellis vestitæ, aut fulgentes Columnæ? quot in adiunctis sacellis commissorum marmorum versicolores maculæ? quæ miracula picturarum? quis decor marmorati operis? quis inauratorum lacunarium, & concamerationum sigillatarum splendor? quæ musiui emblematis dignitas? quis ornatus pauimentorum, quæ seu tessellis vermiculata, seu latioribus crustata segmentis pretiosissimos lapides Ophites, Alabastrites, Lacedæmonios, viles tamquam glebas, pedibus proculcandos subijciunt? Quantum in aris argentum? quanta vis auri & gemmarum? quam pretiosa vestium supellex? quanta denique pulcherrimi operis atque ornatus species, ac maiestas? vt quemadmodum verit Numinis religione vincimus; sic eorum quæ Deo consecrantur, elegantia cultuque vincamus. Vna illa Petri Apostolorum Principis Basilica, illud Pontificiæ munificentiæ, atque incomparabilis structuræ miraculum, non ne huius ante Augustum & sequentium ætatum quælibet Templa, Theatra, Amphitheatra, Circos, Balnea, Mausolea magisterio artificum, molitorum sumptibus, ædificationis perennitate, immensitate molis, admirabilium varietate rerum, lucentium vndique claritate marmorum, coniectis vnum in locum veterum æque ac recentium præclaris operibus æquare videtur, aut vincere? Multa præterea sunt in Vrbe, quæ oculos animosque deuincunt exterorum; horti amœnissimi, Obelisci, columnæ, fontes, pontesque; alia denique, quæ prioribus sæculis Roma vel non vidit, vel minus laudanda spectauit post hostiles igne, ac ferro Barbarorum vastationes: & præsertim Pauli Tertij, successorumque Pontificum in Vaticanis Campis, in Suburra, in Exquilijs, in Viminali, & Quirinali colle, ad collem Hortorum latas longissimasq; vias directas, erectasque

Templa recentis Romæ.

C

D

domos munificentia Ciuium, & confluentium Populorum magnitudine: vt hoc tempore si Vrbem quispiam spectaret sæculi antecedentis; nescio an priorem despiceret, qui Romam se ipsa pulchriorem videret. A

Hactenus vtramque Romam conferendam duximus: Augusto iam Principe, ac sequentibus sæculis vsque ad Gothicum excidium, cedendum omnino est: *Cum aceruata vniuersitate victus est Terrarum Orbis*, vt ait Plinius. Quamquam & nunc Viis compluribus rectis, longis, latisque Roma nostra, sit pulchrior veteri ante Neronem, & præclara quædam Principum palatia, ac Diuum Templa non inferiora priscis domibus, ac delubris etiam laudatis fatendum sit. Vaticanam vero basilicam, cuicumque huius, & consequentium temporum molibus iure opponi. Denique antecedentibus sæculis post barbaras vastationes numquam pulchrior Roma floruit, quam æuo nostro refloruit: vt in antecedenti Capitulo iam vidimus.

His tamen ætatibus adhuc spectandum se offert, quo recens Roma præcellat, ex ipsa veteri suscepto argumento. Hæc enim Otho Cæsar referente Tacito ad milites Prætorianos lib. 1. histor. inquit: *Quid? vos pulcherrimam hanc Vrbem, domibus, ac tectis, & congestu lapidum stare creditis? Muta ista & inania intercidere, & reparari promiscuè possunt. Aeternitas rerum & pax gentium, & mea cum vestra salus incolumitate Senatus firmatur. Hunc auspicato à parente, & conditore Vrbis nostræ institutum, & à Regibus vsque ad Principes continuum, & immortalem, sicut à maioribus accepimus, sic posteris tradamus: nam vt ex vobis Senatores, ita ex Senatoribus Principes nascuntur.* Quæ si ad Collegium Eminentissimorum Patrum transferantur, & Pontifices Maximos, qui Vicariam Christi Domini potestatem gerentes ex amplissimo ordine deligi solent: quis fateri non audeat, Vrbem tanto Senatu, Patribus, ac Religionum Principe memorabilem priori iustius anteferendam? B

De Vrbis & Romani Imperij, ac etiam Romanæ Ecclesiæ Perennitate. Cap. XXV. C

VRBIS & Romani Imperij ortum, progressum, eandemque ad summum potentiæ elatam, exinde diminutam, & penè mortuam, ac iterum rediuiuam aspeximus. Curiosa admodum, ac satis erudita proponitur modo quæstio, vt de eorum, ac etiam Romanæ Ecclesiæ diuturnitate, seu perennitate adhuc exquiramus. Variæ namque fuere de his auctorum sententiæ, nos illis recensitis ex tenuitate ingenij easdem conciliandas conabimur.

Prisca Romanorum & aliorum Ethnicorum valde frequens & celebris opinio fuit, Romanam Vrbem & eius similiter Imperium æterna fore. Ortum opinio hæc habuit ex eo quod contigit in ædificatione templi Iouis Capitolini: namque cum Rex Tarquinius Priscus Capitolium fabricare vellet, eumque locum, qui ei dignior aptiorque videbatur, à Dijs alienis cerneret præoccupatum, non audens aliquid contra eorum arbitrium facere; & credens eos tanto Numini, suoque Principi voluntate cessuros, per augurium quæsiuit vtrum cedere vellent Ioui, ac locum illum concedere? omnes cesserunt præter Martem, Iuuentam, & Terminum; atque ideo Capitolium sic constructum est, vt isti quoque intus essent. Mars autem cedere noluit, nam bellorum viribus domituri erant Romani totum terrarum Orbem, & spolia hostium in Martis honorem relaturi: Terminus vero, & Iuuentus cedere D

A dere noluerunt, quod Romani in omen traxere, fore vt nunquam termini Vrbis mouerentur, nec vnquam iuuenilis vigor deeſſet: vt ex Liuio, Floro, Dionyſ. Halicarnas. Plutarch. & diffusè refert D. Auguſt. de Ciuit. Dei lib 4. capit. 23. & 29. Huc reſpexiſſe videtur Virg. Iouem inducens dicentem 1. Aeneid,

Romulus excipiet gentem, & Mauortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium SINE FINE DEDI.

Et lib. 9. æternam ſignificare volens memoriam, cecinit.

Dum domus Aneæ Capitoli IMMOBILE SAXVM
Accolet, Imperiumque Pater Romanus habebit.

De Saxo, quod *Deus Terminus* vocabatur, procul dubio loquens: & ad hoc Saxum alludebant Romani iurantes per Iouem Lapideum de quo M.
B Tull. lib. 7. epiſt. ad Trebatium: *Quomodo autem tibi placebit Iouem Lapideum iurare, cum ſciat iratum eſſe Iouem nemini poſſe?* Habebatur firmiſſimum & ſanctiſſimum hoc iuramentum per Iouem Lapideum iurare teſte A. Gellio 1. Noct. cap. 21. *Iouem Lapidem, quod ſanctiſſimum iuſiurandum eſt habitum, paratus ſum ego iurare.* Meminit huius iuramenti Apuleius de Deo ſacratis, & Cœlius Rhodig. Lect. Ant. lib. 21. cap. 15. & alij.

Hinc ergo manauit *Vrbis æternæ* nomen, de quo Ammianus Marcell. l. 14. ait: *Orphius Præfecti poteſtate regebat Vrbem Aeternam*, & lib. 16. *Aliaque inter hæc decora Vrbis Aeternæ.* Symmachus quoque ep. 78. lib. 12. *Vt curulibus ſtabulis Vrbis Aeternæ etiam quina mancipia largiantur.* Et Tibullus lib. 2. Eclog. inquit:

Romulus æternæ nondum fundauerat Vrbis
Mœnia, conſorti non habitanda Remo.

Et Claudianus de Bello Getico, ſic æternitatem illius cecinit:

Vrbs æquæua Polo, tunc demum ferrea ſumet
C *Ius in te Lacheſis, cum ſic mutauerit axem*
Fœderibus natura nouis, vt flumine verſo
Irriget Aegyptum Tanais, Meotida Nilus
Eurus ab Occaſu, Zephyrus ſe promat ab Indis.

Eoque adulatorum proceſſit inſania, vt Diuinos honores tamquam Deæ illi tribuerent, & numiſmata cuderent cum inſcriptionibus: ROMAE AETERNAE; & ROMAE DEAE. Aras, & Templa quoque ei ædificarent; vt apud Tacitum lib. 3. Hiſtor. Smyrnei gloriantur; & in Liuio apud Senatum Alabandenſes Templum Romæ ſe feciſſe commemorant, & ludos anniuerſarios ſe inſtituiſſe vt Deæ: Lugduni quoq; in Gallia Templum erat cum hac inſcriptione: *Seruilio Marciano Aruerno Caij Seruilij Dom. Filio Sacerdoti AD TEMPLVM ROMAE & Auguſtorum tres Prouinciæ Galliæ.* Idemque in multis alijs prouincijs factitatum, non eſt ambigendum; cum Sueton. in Auguſ. cap. 52. de eo dicat: *Templa in nulla prouincia niſi communi ſuo, Romæque nomine recepit.* Ac etiam in Vrbe ipſa Romana Tem-
D plum Romæ habebatur, de quo Spartianus in Adriano dicens: *In quo nunc Templum Vrbis eſt ingenti molimine.* Et Prudent. lib. primo contra Symmachum ait.

Delubrum Romæ colitur, nam ſanguine & ipſa
More Deæ, nomenque loci, ceu Numen habetur.

Simul etiam cum Venere Roma adorabatur, vt etiam cecinit Prudentius.

Atque Vrbis, Veneriſque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura Deabus.

Eius autem Diuinitati & Dominio vniuerſum Orbem ſubijciebant: vnde Martialis cecinit

Terrarum Dea Gentiumque Roma, A
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Neque solum Dea, sed & Deorum parens habebatur: vnde Rutilius ad illam.

Exaudi Genitrix hominum, Genitrixque Deorum.
Non procul à Cælo per tua Templa sumus.

Et Claudianus

——— Aut si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa Deos.

Ac veluti Deorum domicilium esset Roma dixit Symmachus lib.9. ep. 119. ibi: *Quod neque muros Vrbis æternæ tanti criminis reum fas est intrare.* Deos quoque æternitatis Romæ auctores fecit T. Liuius lib.8. Decad. 3. dicens: *Vrbem auspicatò Dijs auctoribus in æternum conditam.* Et à Dijs quoque æternitatem pendere ipsi existimabant Romani, ludique seculares, qui centesimo quoque anno fiebant, pro Vrbis, Imperijque perpetuitate in primis instituti erant, teste Horatio, qui carmine de Ludis secularibus ita canit. B

Vosque veraces cecinisse Parcæ,
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus seruet, bona iam peractis
Iungite fata.

Secunda sententia Romam funditus euertendã.

Secunda autem Recentiorum sententia est; sub mundi finem siue paulò ante Antichristi aduentum (vt fert communis opinio) siue sub ipso Antichristo esse Romam funditus euertendam, & in cineres redigendam, nec amplius restaurandam: & hanc sequuntur omnes ferè Apocalypseos recentiores expositores in cap.17. & 18. eiusdem, vt Ribera, Viegas, & Cornelius à Lapide: Card. Bellarminius lib.3. de Summo Pont. cap.5. & 13. Lessius de Antichristo demonstr.12.num.42. cum alijs; & in hanc sententiam trahuntur Irenæus, Tertull. Clem. Alex. Hieron. & alij. Lactantius lib.7. cap.15. & 25. euertendam dicit esse Romam, & mundi finem affuturum ibi: *Incolumi ipsa Vrbe Roma nihil ex istis videtur esse metuendum, at vero cum caput illud orbis ceciderit & ρυμὴ esse cæperit* (ideſt Eremus) *quod Sibyllæ esse dicunt, quis dubitet venisse iam finem rebus humanis, orbique terrarum?* C

Probatur hæc sententia ex Apocalyp.cap.18. vers.21. *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem, quasi molarem magnum, & misit in mare dicens; hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.* Communissima namq; est interpretum sententia nomine Babylonis intelligi Romam, quo & iam nominevsus est etiam sanctus Petrus ep.1.cap.5. dicens: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.* Erat autem tunc Petrus Romæ: ita sentiunt Tertull. Hieronym. Orosius, & alij.

Solum obstare videtur, quod S. Ioan. ait hanc Babyloniam sedere super aquas multas, quod conuenit vrbi, cui propriè, & primo tributum est hoc nomen, per eam enim transit magnus Euphrates, de quo psalm 136. dicitur: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus:* Roma autem in montibus ædificata est. Sed facilis est responsio: per has aquas enim explicat S. Io: se intelligere Populos, ait enim: *Aquæ multæ, populi multi sunt.* Apoc.17. D nec ipsa etiam Roma flumine caret; transit enim per ipsam Tiberis; sed vt clarius eam designet S. Io. ait de Bestia super quam ipsa sedet: *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet.* Apoc.17. vers.19.

Cur Roma Babylon?

Cur autem Roma appellata fuerit Babylon? plures redduntur rationes. Primam indicat D. August. lib.14. de Ciuit. Dei c.2. & 22. Quoniam Babyloni quodãmodo in Imperio successit Roma, & sicut illa primæ Monarchiæ ex descriptis à Daniele fuit Metropolis, ita hæc postremæ, vt his verbis: *Duo Regna cernimus longè cæteris prouenisse clariora: Assyriorum* (sub quibus & Chaldæos, quorum metropolis fuit Babylon) *primum; deinde Romanum, vt tem-*

A *temporibus, ita locis inter se ordinata & distincta; nam quomodo illud prius, hoc posterius, eo modo illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit: denique in illius fine huius initium confestim fuit.* & cap. 22. *Altissima tunc condita est Ciuitas Roma, veluti altera Babylon, & veluti prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit debellare orbem terrarum, & in vnam societatem Reipublicæ, legumque perductam late longeque pacare.* Babylon igitur fuit veluti Romæ typus, idque multis parallelis probat Orosius lib.2.cap.3. quæ ne lectoris animus grauetur, prætermittuntur. Præterea tempore sancti Ioannis Roma erat Babylon, ideſt, confusio Idolorum, vitiorum, & spoliorum totius orbis: vnde Tertull. lib.3. contra Marcionem cap. 13. inquit: *Babylon etiam apud Ioannem nostrum Romanæ Vrbis figura est; proinde magnæ & regno superbæ, & sanctorum Dei debellatricis.*

Denique sicut Babylon contraria fuit Hierosolymæ, & contra eam pugnauit, ita etiam Roma ethnica persecuta est Ecclesiam: & sicuti à Cyro & Dario expugnata fuit, & capta Babylon; ita à SS. Petro & Paulo, & eo-
B rum discipulis debellata fuit Roma ethnica: quam similitudinem tangit Apocal. cap.16. vers. 12. dicens: *Et sextus Angelus effudit phialam suam in Euphratem, & siccauit aquam eius, vt præpararetur via Regibus ab ortu solis.* Hac ratione Cyrus & Darius Babylonem ceperunt; magnum Euphratis fluuium in plurimas fossas exonerarunt, ac permeabilem, & ferè siccum reddiderunt, & per eum transeuntes, Babylonios, qui nihil timebant, & cõuiuijs indulgebant, magnum diem festum celebrantes, & inopinatò aggredientes, ciuitatem ceperunt: Xenophon. lib.7. Cyropædiæ, Herodot.lib.1. Orosius lib.2. cap.6. Pererius lib.6. in Danielem capit. 5. Et quamuis Græci Cyri tantum in illius expeditione fecerint mentionem, Iosephus tamen lib.10. Antiq. cap 22. quem sequitur sanctus Hieronymus, Darium quoque ei adiũgit: Cyrum autem & Darium ab Oriente veniſſe Babylonem, versatis in Geographia indubitatum est; & SS. Apostoli Petrus & Paulus ab Oriente venientes, Romam latenter ingressi sunt; & tum per se tum per discipulos,
C & successores suos ipsam Christo subiugarunt.

Babylon quomodo capta?

Notauit autem Orosius Deum longe mitius egisse cum Romanis quam cum Babylonijs: nam quo die capta est Babylon caput Imperij ab Arbato 1164. annis ab eius exordio, necatus est eius Imperator, & Imperium desolatum, destructumque est; at post totidem annos 1164. ex quo cœpit esse, capta est Roma à Gothis, sed incolumi Imp. Honorio, & saluo Imperio Romano; sed multo etiam maiorem miserationem exhibuit Romæ Deus, quam Babylonijs: nam hanc materialiter subuertit, illam vero mysticè euertit, hoc est è Dæmoniorum habitaculo in Angelorum, & sui ipsius templum conuertit.

Cũ Roma melius actum quã cum Babylone.

A quibus autem sit deuastanda Roma? Vniformiter Daniel & Io: explicare videntur: ille cap.7. num.24. dicens: *Porro cornua decem ipsius Regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos (* & hic erit Antichristus ex cõmuni interpretum expositione *) & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur.* Sed clarius Io: capit. 17. *Decem cornua, quæ vidisti decem Reges sunt:* & infra num.16. *Hi odient fornicariam, &*
D *desolatam facient illam & nudam.* Quare sanctus Hieronymus in Danielem inquit: *Dicamus quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum esse Regem paruulum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus sit, ideſt Aegyptiorum Regem, & Africæ & Aethiopiæ.* Hoc idem refert Cornel. à Lapid. cap. 17. Apoc. & Danielis cap.7. num.24.

Quando Romanum Imperium destruendum?

Idem Romæ excidium prædixerunt Sibyllæ, sic enim cecinerunt lib.8. Oraculorum.

Sibylla Oraculum.

Veniet tibi cælitus æqualis ò recta ceruice Roma.

Cale-

Cælestis plaga, & flectes ceruicem prima, A
Et terræ allideris, & ignis te totam absumet:
Et tunc eris deserta, ac si numquam fuisses.

D. Pauli prædictio. Et quoad abolitionem Imperij Romani ante aduentum Antichristi, clarè videtur sancti Pauli prædictio 2. Thessal. cap. 2. ibi: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore tantum, vt qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus.* Vbi inquit Card. Bellarmin. Paulus non ausus apertè scribere de euersione Imperij Romani, quod tamen apertè illis coram explicauerat; sic loquitur, & sensus est: scitis quid impediat aduentum Antichristi? dixi enim vobis Romanum Imperium impedire, quia non sunt adhuc impleta eius peccata: ideo qui nunc tenet Romanum Imperium, teneat, ideſt, regnet, donec de medio fiat, ideſt, aboleatur; & tunc reuelabitur ille iniquus: ita, ait Cardinalis, exponunt Græci Patres & Latini.

Tertia sententia de Roma ethnica destruendo. Tertia sententia est eorum, qui prædictam Romæ deuastationem non admittunt; ex quibus Ludouicus Alcasar Apocalyp. Interpres fatetur quidem cum sententia communi Babylonem, de qua loquitur S. Io: esse Romam & luculenter id probat Disp. 1. cap. 17. Apoc. sed Ethnicam & Idololatram, qualis erat eo tempore, quo Io. hæc scribebat. Eius autem plagas & deuastationem, quas alij iuxta sonum litteræ accipiunt, mysticè ille nec litteræ repugnantem explicat. Romæ igitur euersionem accipit ille pro eius conuersione ad Christi fidem; nam tunc Roma Gentilis & peccatrix, prout talis, funditus est euersa & deleta; & pro hac sententia citat ipse Disp. 1. in cap. 7. Apocal. Strabum & Burgensem in cap. 34. Isaiæ vers. 4. Et hanc expositionem latè etiam prosequitur Reuerendiss. Aresius de Romanæ Ecclesiæ Vrbisque Romæ perennitate, Excurs. 2. B

Ex prædictis autem sententijs primam non solum falsam, sed hæreticam dum Vrbis æternitatem supponit; & quatenus Romam Deam arbitratur, insanam, & deliram nulli Catholicorum dubium esse potest.

Respondetur ad primam sententiam. Ad hæc Auspicium illud, quo dicuntur Terminus, Iuuentus, & Mars in ædificatione templi Capitolini Ioui cedere noluisse, irridet meritò D. August. lib. 44. de Ciuit. Dei cap. 29. his verbis: *Nam aliquoties Romanus exercitus fusus est, hoc est versus in fugam, falsumque ostendit Auspicium, quod Iuuentus illa non cesserit Ioui, & Gens Martia superantibus, atque irruentibus Gallis in ipsa Vrbe contrita est, & Termini Imperij deficientibus multis ad Annibalem Ciuitatibus in angustum fuerunt coarctati. Quamquam etiam postea in Orientalibus partibus Adriani voluntate mutati sunt Termini Imperij Romani. Vano igitur augurio Deus Terminus non cessit Ioui, qui cessit Adriani voluntati, cessit Iuliani temeritati, & Iouiniani necessitati.* C

Sed & ipsum Virgilium qui cecinit, vt dixi supra 1. Aeneid.

His ego nec METAS rerum, nec tempora pono.
Imperium SINE FINE dedi.

Contrarium sensisse ex ipsiusmet verbi, probat S. August. sect. 29. de Verb. Domini capit. 7. & illud suum mendacium excusantem admodum argutè, & eleganter inducit, ait enim: *Fortè si vellemus hinc exagitare Virgilium, & insultare, quare hoc dixerit, in partem tolleret nos, & diceret: Et ego scio, sed quid facerem, qui Romanis verba vendebam, nisi hac adulatione promitterem, quod falsum erat? & tamen, & in hoc cautus fui, quando dixi Imperium SINE FINE DEDI, Iouem ipsorum induxi, qui hoc diceret: non ex persona mea dixi rem falsam, sed Ioui imposui falsitatis personam, sicut Deus falsus erat, ita mendax vates erat. Nam vultis nosse, quia ista voueram, alio loco, quando non Iouem Lapidem induxi loquentem, sed experſona mea locutus sum, dixi.* D

Non res Romanæ PERITVRAQVE REGNA.

Videte

A *Videte quia dixi peritura regna, non tacui peritura, veritatem non tacui, semper manſura adulatione promiſi.* Ita peracutè ſanctus Auguſtinus, & in alijs augurijs decipi potuerunt Romani, & rei per ſe incertæ & vanæ adijcitur etiam interpretatio dubia & fallax. Et hæc de prima ſententia.

Secunda ſententia ſupra poſita ob auctoritatem Doctorum, qui eam ſequuntur; & quia ſpecie tenus ſaltem ſacer Apocalyp. textus videtur ei fauere, omni fortè probabilitate non caret: apud Reuerendiſſimum Areſium & alios eruditos Interpretes non eſt omnino indubitata, vt Tertiam, quæ ei contraponitur, approbantes nos infra oſtendemus. *Reſponſio ad ſecundam ſententiam.*

Tertia ergo ſententia quam docet Alcaſar omnium probabiliſſima, amplectenda videtur: & quamuis de Apocalypſis argumento voluerint plurimi Interpretes ſanctum Ioannem de rebus Eccleſiæ futuris agere maximè ſub mũdi finem tempore Antichriſti; ſic enim ex quatuor equis, quos vidit S. Io. cap. 6. tres poſteriores applicant perſecutionibus, quas paſſura erat Eccleſia, & ſtatim ad Antichriſtum tranſeunt; & hæc eſt recentiorum ſententia
B Riberæ, Cornelij à Lapide, & aliorum. Sed in hoc dicere ſufficiat, non admodum id congruere cum propoſitione ipſius Apocalypſis, in qua S. Io. ait eam eſſe reuelationem, *De his quæ oportet fieri citò*. Quod propriè eſſe intelligendum videtur, quoniam quando Prophetæ de Meſſia poſt multa tempora venturo loquebantur, dicebant: *Erit in nouiſſimis diebus*. Vti Iſaiæ cap. 2. n. 1. & Apoc. cap. 20. *Satanas dicitur ſoluendus poſt mille annos*. ideſt poſt longum tempus; ergo quæ dicuntur futura citò, non erunt poſt illos mille annos euentura; & non ad Antichriſti tempora, qui poſt ipſos mille annos eſt appariturus, ſpectant. *Tertia ſententia præferenda.*

Dixere etiam aliqui, quod Apocalypſis omnes Eccleſiæ euentus complectatur vſque ad mundi finem; & in his ſanctus Auguſtinus, Lyranus, Abulenſis in cap. 2 Num. quæſt. 23. S. Antoninus & alij: ſed difficillimè ad omnes hos euentus Apocalypſis partes aptantur.

Tertia ergo optima, quam ſequimur, eſt; duas præcipuè Eccleſiæ victo-
C rias in Apocalypſi deſcribi, alteram de Iudaiſmo, alteram vero de Gentiliſmo, & conſequenter ipſius triumphum in Cælis, à cap. ſcilicet 6. vſque ad 12. priorem; ab hoc vero vſque ad finem poſteriorem. Ita ſenſit Salmeron præludio 7. in Apocalypſi tom. 16. & Alcaſar in epiſt. Dedicator. & per totam Apocalypſim.

Poſt quinque priora capita, quæ vt prooemium ſe habent; deſcribere ſanctum Ioannem media, quibus vſus eſt Deus ad Iudęorum ſalutem operandam; deinde plagas quibus increduli & obſtinati percuſſi ſunt; poſt quas Eccleſiæ ad Gentes tranſitum proponit, & Satanæ molimina, vt eam impediat, ac præcipuè Romanorum Imperatorum ſæuiſſimam perſecutionem, eos ſimul cum Roma in bellua ſeptem capitum figurans. Sequitur deinde Eccleſiæ victoria, Beſtiæ damnatio, & Babylonis combuſtio: quæ tamen ſpiritualiter ſunt intelligenda, ideſt vt Gentiliſmus deſtructus fuerit, & Roma ad Chriſtum conuerſa, igneque amoris diuini combuſta. Hinc nuptiæ ſequuntur inter Agnum & Eccleſiam Romanam; ligaturque Satanas, ideſt perſe-
D cutio Gentilium inhibetur; interimque mille anni pacis fluunt, totum ſcilicet tempus, quo ſine publica perſecutione infidelium florebit Romæ Chriſtianus cultus, ideſt vſque ad tempora Antichriſti, quando denuo ſoluetur Satanas, ideſt permittetur excitare nouam magnam perſecutionem in fideles; ſed hæc non multo poſt, Antichriſto perempto, ceſſabit. Nec diu expectabitur Chriſti ſecundus aduentus & in Cælum perpetuò cum ſuo æterno ſponſo regnatura Eccleſia aſcendet. Hæc eſt breuis quædã Apocalypſis delineatio; cuius nos aliqua in noſtro propoſito declarantes; præcipuus erit ſcopus oſtendere Babylonis, ideſt Romæ combuſtionem, non materialiter vt recentiores volunt, ſed ſpiritualiter intelligendam, ad quod aſſerendum. *Apocalipſis delineatio.*

Moueor

Apocalypsis mystica & obscura.

Moueor primò, quoniam textus Apocalypsis est maximè ænigmaticus, mysticus & obscurus, vt omnes fatentur, inter cæteros Areopagita de Ecclesiast. Hierarch cap. 3. p. 3. de ea loquens: *Arcanam illam, ac mysticam omninò visionem dilecti discipuli, diuinamque Domini Iesu Theologiam eis, qui Dij fieri merentur, exponit, eosque per mysteria sacra sustollit atq; confirmat.* Sanctus Hieronymus ad Paulinum ait: *Liber Apocalyp. septem sigillis signatus offeditur; quanti hodie putant se nosse litteras? tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reserauerit, qui habet clauem Dauid.* Tostatus sacræ Scripturæ Commentator quæst. 2. in cap. 4. Deut. inquit: *Est sacra Scriptura, & in quibusdam locis humanum ingenium excedens: quis enim omnia Apocalypsis mysteria exprimere valet? nullus inquam, nisi, cui à Deo specialiter hoc datum est.* Denique alijs omissis Cornelius à Lapide nouissimus Apoc. Interpres quæst. 3. Procem. inquit: *Consentiunt omnes interpretes Apocalypsim esse librum omnium librorum obscurissimum, ac difficillimum, tum ob eius sublimitatem, tum quia plena est Symbolis & ænigmatibus.* Ænigmaticam igitur esse Apocalypsim, negari non potest. A B

Non materialis Apocalypsis interpretatio.

Præterea pro Babylone intelligi Romam, non est sensus ænigmaticus, sed planissimus; & in hoc sensu hoc nomen vsurpauerat ipse sanctus Ioannes apertè, vt Card. Bellarm. lib. 3. de Rom. Pont. cap. 2. notat de eadem ipsum loqui cap. 17. num. 9. ibi: *Septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet,* & num. 18. *Mulier quam vidisti, est Ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* Si ergo quod dicitur de eius subuersione, materialiter est intelligendum, vbi sunt ænigmata? vbi obscuritas? vbi mysterium? vbi sublimitas? Vt Vrbs magna ab hostibus diruatur, & succendatur; vt plura in historijs exempla, & ferè idem passa est pluries Roma.

Quid igitur in hac subuersione erat, quod Dilectissimo discipulo tanquam magnum arcanum à Christo Domino reuelaretur, & affirmaret Ioannes: Beatum esse, *qui legit & audit verba prophetiæ huius.* Numquid Romæ miseria erit Beatitudo nostra?

At iuxta Alcasar interpretationem verba sunt valde ænigmatica & sensus valde sublimis, & Christo dignus: per Babylonẽ enim non Roma materialiter accepta intelligitur, sed prout repræsentat ethnicismũ, & Idololatriã, quæ in ea cõtinebatur & vigebat; per cõflagrationẽ vero non ab igne materiali combustio, sed illius quem Dominus in mundũ misit, & voluit vehemẽter accendi. Hæc enim succensio est vindicta Dei, & Angelorũ Cãticis & plausibus digna. C

Cur tam obscure S. Ioan.?

Quare autem S. Io. tantam obscuritatem affectauit, & non clarioribus verbis Apocalypsim expressit? Resp. Sixt. Senen. lib. 7. Biblioth. cap. 75. in fine: *Scripsit Ioannes obscurè, & inuolutè, ne scripturæ suæ prophetia vilesceret, & ne pateret Hæreticis latrunculis eam peruertendi locus.* Sed quamuis ex hoc libro videatur Hæreticos arma sumpsisse in summum Pontificem & Romanam Ecclesiam debacchãdi: nihilominus peculiaris ratio obscuritatis fuit in Apocalypsi, quoniam cum in ea Romanæ Ecclesiæ triumphus de Roma ethnica & Imperatoribus Gentilibus describatur, minimè expediebat ita describi, vt ab ipsis hostibus, de quibus agebatur, posset intelligi: qua ratione D. Hieron. in cap. 2. epist. 2. ad Thessal. notat Apostolum obscurè fuisse locutum, ne causam persecutionis arriperent Romani, si diceret delendum esse Imperium: vt latius Pereri Disp. 7. Caus. 4. & Alcasar Not. 14. Procem. Vnde deducitur, vt si de temporibus Antichristi locutus fuisset S. Io. ei timendum non valde erat, vt propterea Romani Impp. irascerentur, sicuti irritare noluit de rebus citò futuris, nempè de Roma Romanoque Imperio à Christo citò subiugando; & propterea Patribus, qui ante Constantini tempora scripsere, huius mysterij intelligentiam non est largitus Deus. D

Non desperanda eius intelligentia.

Sed quamuis obscura & excedens ingenij vires Apocalyp. non desperanda tamen illius intelligentia: quamtumuis enim ænigmatica, hoc vel alio

tempore

A tempore voluerit Deus *id* reserare, quis diffinire poterit? An autem talis sit quam nos proponimus, docti Lectores iudicabunt. Neque vero mirandum sanctissimos Patres perfectam Apocalypsis intelligẽtiam non fuisse assecutos propter vagatam illam imbibitam opinionem, eam ad Antichristi tempora referendam, quo falso fundamento posito impossibile erat veram intelligentiæ fabricam super eo construere. Præterea & de Sanctissima Deipara vna cum sancto Ioseph Sponso dicitur Luc. 2. *Quod nõ intellexerunt verbum quod locutus est ad eos* Dominus, pro eo scilicet tempore & perfectè; *in his quæ Patris mei sunt oportet me esse*. Ex quo sapienter colligit Card. Toletus posse multa ignorari mysteria absque vlla culpa; nec Christianæ iustitiæ perfectionem consistere tam in scientiæ, & notitiæ, quam in caritatis magnitudine: ac etiam nos colligimus ex huiusmodi obscuritate iucundissimam eius explicationem, vt ex S. August. in psalm. 138. in fin; de verbis sanctæ Scripturæ differens: *Inde dulciora quo obscuriora*.

Satanas quando ligatus?

B Secundo principaliter inducimur ad hanc spiritualem Romæ combustionem, non autem ad materialem illius: quoniam illi mille anni, quibus in cap. 20. Apoc. dicitur alligatus fuisse Satanas, & post quos modico tempore dicitur solutus; non apparet cui rei aptius illi connectendi sunt, quam cum Romæ Conuersione; tunc enim triumphata Gentilitia superstitione, Crucesque Domini exaltata repressus est Satanas, ita vt per mille annos, idest, per longissimum tempus, Ecclesia à persecutione Gentilium Principum quieuerit; & inde dicitur Satanas ligatus quando non permittitur aduersus Christi fideles persecutiones excitare; solutus vero quando permittitur: sicuti nec alia ratione propè finem mundi solutus dicetur Satanas, nisi quia medio Antichristo persequetur Ecclesiam: ergo solutus etiam erat quando per Neronem, Decium, Diocletianum & alios Impp. Ecclesiam est persecutus: ergo etiam ipsum ligari, nil aliud fuit, quam ab ipsa persecutione cohiberi, quod tempore Constantini Imp. contigit, & hæc sunt vincula, quæ sub mundi finem detrahentur, non autem ea, quibus à Christo Domino in sua Passione

C alligatus fuit.

Subuersio Romæ sub finem mundi incongrua.

Tertio moueor; quoniam subuersio Romæ materialis sub finem mundi à sancto Ioanne incõgruè narraretur: illa siquidem persecutio modico tempore sæuiet, teste eodem Ioan. c. 20. n. 3. qui ait: *Post mille annos oportere Satanam solui modico tempore*. Longè autem maius est futurum tempus, quo Roma Christum colet, & sancta erit, bonisque operibus abundabit, hoc enim tempus per mille annos signatur. Congruum ne igitur est, vt obliuiscatur Deus tam diutinæ seruitutis & sanctitatis Romanæ & ob modici temporis persecutionem tam acriter Romam plectat? Recordabitur Deus in fine mundi sæuitiæ Impp. Romanorum, qui Ecclesiam persecuti sunt, & non recordabitur Romanorum Pontificum, & aliorum Ciuium sanctitatis, qui sanguinem pro eius amore fuderunt, & toto corde eum dilexerunt? Non ita certè se habere debet Deus, cuius misericordia superexaltat iudicium. Nil igitur ad fidelium consolationem aptius afferre poterat S. Ioan. quam hanc Romæ spiritualem combustionem.

Romam impiã nõ sanctam prædici desolãdam.

D Quarto ex verbis aduersariorum probatur nostra intentio; per Babylonem in Apoc. intelligi quidem Romam; at non Christianam, qualis nunc est, sed infidelem & paganam qualis fuit tempore S. Ioannis, & qualis erit tempore Antichristi. Ita Card. Bellarminius lib. 2. de summ. Pont. cap. 2. & clarius Suarez disp. 56. vbi sect. 2. citans recentiores inquit: *Qui aduertunt Ioannem non esse locutum de Romana Ecclesia, sed de Vrbe, non Christiana sed ethnica*. Quocirca rectè infert Cornelius: *Romæ Ethnicæ vituperium, damnatio, et excidium est laus: sublimatio, triumphus, & gloria Romæ Christianæ & Romanæ Ecclesiæ*. Ergo non Romam sanctam, sed impiam prædici desolandam.

Romæ materialis desolatio non magni facienda

Quinto moueor, quoniam Romæ materialis desolatio non erat magni faA
cienda, vt de ea tot ante sæcula fieret distincta mentio, & Angeli de ea summopere gauderet: Nam vel per euersionem Vrbis Romanæ muros & domos eius materiales intelligimus euertendos; & dicere possumus ad Sancti Pauli imitationem: *Numquid de lapidibus & cæmentis cura est Deo*. Si de Populo & Ciuibus sub mundi finem intelligamus Romam destruendam; at tunc quoniã terræmotus magni erunt per loca, & totus mundus paulo post conflagrabit; non erit ex hoc, inquam, magni faciendum, cum & sine ipso paulò post ruitura foret; & frustra dixisset Angelus Apocal. cap. 18. num. 21. *Hoc impetu mittetur Babylon Ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur*; quia nec vltra alia Ciuitas paulo post inuenienda erit.

Deo & Ecclesiæ congrua expositio.

Sexto denique moueor, quoniam hæc nostra sententia magis Deo & Ecclesiæ est honorifica, cum Roma tamquam primaria Dei sedes, si à Gentibus & Dæmonibus conculcaretur, tunc Portæ inferi aduersus eam præualuisse dicerentur; triumphusque quem glorioſissimum de Romana Gentilitate, & Capitolio Apostoli retulerunt, in nihilum ferè redigeretur. B

Sensus Apocalyp. allegoricus de combustione Romæ.

Accedat, præfatis, quod hæc mystica sit Romæ conflagratio in Apocalypsi quam certum est obscuriſſimam, & ænigmaticam totam esse, vt omnes docét, sicut S. Ephrem. lib. de Pœnit. ibi: *Cuncta per parabolam & ænigma locutus est Ioannes in Apocal.* & S. Hieron. ep. 148. *Omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus est, aut fabulis acquiescendum.* Nec dissimile habemus etiam psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea & tamquam vas figuli confringes eos*. Quæ verba Sanctus Augustinus in bonam partem & animæ proficua interpretatur, dicens: *Conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, & quidquid de peccatore limo contractum, atque inolitum est*. & hæc expositio superioribus verbis psalmi valde consona: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam:* Non ergo hæc verba vt sonant, sed allegoricè, vt explicauit Augustinus. Ac etiam pariter in psalm. 28. *Vox Domini confringentis Cedros, & confringet Dominus Cedros Libani, & cõminuet eas tamquam vitulum Libani*: sicut exponit in eodem sensu Cardin. Bellarm. C

Præterea iuxta eumdem spiritualem sensum, Balaam ortum Christi & eius victorias prædicens, Num. cap. 24. ait: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Geth.* Hanc autem percussionem & vastationem intelligi de prædicatione & conuersione Gentium, etiam Tostatus afferit dicens: *Conuersio autem ista dicitur destructiõ, quia per conuersionem non manet homo secundum id quod erat ante, quia prius erat peccator & postea efficitur iustificatus*. Et Cornel. à Lap. in hunc eumdem locum ita explicat: *Percutiet Duces Moab; Christus enim per se & Apostolos suos conuertit, suæque fidei statim subegit Moabitas, Syros, Idumæos, aliasque gentes Iudæis vicinas.* & subdit: *Vbi nota Prophetæ dicunt, Christum occidisse, percussisse, trãsfixisse gẽtes; quia earũ mores & vitia occidit, fecitq; quasi nouos homines, vt ex impijs pij, ex incastis casti, ex ebrijs sobrij efficerentur*. Insuper in eodem cap. Num. Romæ desolatio mystice & spiritualiter intelligenda: Ait autem Balaã: *De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias Ciuitatis*. Vbi Tostatus quæst. 10. inquit: *Hoc magis intelligitur ad litteram de Messia, quam omnia præcedentia, & accipitur hic propriè Ciuitas pro vnica Ciuitate, quia ista de qua agitur, est excellenter Ciuitas, scilicet Ciuitas Romana, ac etiã hoc apparet ex testimonio Hebræorum. Hanc autem subiecit sibi Christus. Destructæ sunt autem reliquiæ illius Vrbis, quia nõ mãserunt ibi mali & idololatræ, sicuti à principio fuerant, per prædicationem cultorum Christi ad fidem conuersi*. Vbi clarè per destructionem Romanæ Ciuitatis, eius conuersio intelligitur. Hoc idem assentitur Corn. à Lapide hunc eumdem locum explicans ibi: *Ex Christo nascetur Constantinus Christianus Imp. alijque similes, qui conuersi ad Christum Gentilismum Romanorum euertent, & reliquias Gentilium conuertent, itaque Romam totam facient* D

Chri-

A *Christianam, eamque Christo subiugabunt.* Si enim prophetæ per destructionem Romæ eius conuersionem prædixerunt, cur eodem pacto non exponemus etiam eius desolationem à Ioanne prædictam?

Plurimis prætermissis auctoritatibus, quæ potuissent adduci ad comprobandam spiritualem hanc & mysticam Romæ combustionem, nempè eiusdem conuersionem ad Christum per Apostolos eius inductam. Remanet adhuc responsio ad aliqua obiecta secundæ sententiæ, & primo ad Sibyllarum Oracula de Romæ conflagratione. *Resp. ad oracula Sibyllarum.*

Sed quoniam non est certum illa talia fuisse; multa enim falsa & vana sub eo nomine delituisse testis est etiam Tacitus lib. 4. Annal. Præterea & Sibyllas Spiritu sancto afflatas prophetasse minus est compertum, vt alias in secunda parte huius operis videbimus. In promptu tamen est responsio, eo pacto intelligendum illud Oraculum de Romæ conflagratione; quo etiam Apocalypsis, Romam scilicet Ethnicam & Idololatram, vt talem delẽdam; ita vt ipsius nullum vestigium; ei autem successuram & perpetuò mansuram Ro-
B mam sanctam, qualem nunc Deo fauente illam cernimus.

Restat adhuc, vt hoc Capitulum obsignemus, respondere ad auctoritatem D. Pauli ad Thessal. ep. 2. c. 2. cuius verba ex Card. Bellarm. videntur innuere post abolitionem Romani Imperij statim venturum esse Antichristum. Sed in hoc primo præmittendum, vt hunc Apostoli locum obscurissimum esse, existimet D. August. lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 19. in ea verba: *Et nunc quid detineat scitis*, idest: *Quid sit in mora, quæ causa sit dilationis eius, vt reueletur in suo tempore, scitis, quoniam scire illos dixit, apertè hoc dicere noluit; & ideo nos qui nescimus, quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id quod sensit Apostolus, cupimus, nec valemus, præsertim & illa, quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem: ego prorsus quid dixerit, me fateor ignorare; suspiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere de hac re potui, non tacebo, &c.* Affert deinde sub hoc suspicionis nomine expositionem illam, quam Card. Bellarmin. communem asserit Patrum Græcorum & Latinorum: nem- *Resp. ad textũ D. Pauli.*
C pè quod Imperium Romanum impediat aduentum Antichristi, vt supra iam dictum est.

Nos autem procedendo cum opinione Alcasar in cap. 14. Apoc. vers. 10. not. 2. Destructionem Romani Imperij intelligimus, quatenus Ethnici, & illius conuersionem ad Christi fidem, sicuti & de Babyloniæ combustione ratiocinati sumus; quam expositionem vt probemus, notãda sunt verba D. Pauli scilicet, *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore: nam mysterium iam operatur iniquitatis.* Sensus autem est ex SS. Chrysost. Hieron. Thom. & alijs apud Alcasar: iam figura, & typus Antichristi adest, siue quod idem est, iam mysticus Antichristus Antichristi opera exercet, Neronem intelligens, seu alios impios Impp. & inquit S. Hieron. *Quod ille operaturus est postea, in isto ex parte completur.* Oportebat antequam adueniret Antichristus, Imperium Romanum Ethnicum aboleri, idest, ad Christum conuerti; ad hoc autem impedimento erant peccata & scelera ipsorum Imperatorum, qui tantum aberant à subiectione Christi, vt Antichristi potius viderentur, & verè
D eius typus & figura essent.

Dices, post conuersionem igitur Imperatorum statim oriturus erat Antichristus, quia non amplius detinebatur ab ipsorum sceleribus; vt videntur innuere hæc Apostoli verba: *Vt qui tenet nunc: teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus.*

Respondeo, triumphum Ecclesiæ de Imperio Romano, & de Idololatria non statim fuisse perfectam; non enim cum Magno Constantino omnes Romani, vel eius Imperio subditi, & multo minus omnes Idololatræ fidem Christi susceperunt. Antequam ergo Antichristus veniat, complenda erit Danielis prophetia, qua dixit Lapidem, qui statuam ex varijs metallis con-

fectam contriuit, vniuersum mundum impleturum, donec igitur in vniuerso orbe prædicatum non fuerit Christi Euangelium, non finietur mundus, neque Antichristus, ex Matth. cap. 24. num. 14. A

Respondet etiam Alcasar, non eum fuisse Apostoli scopum, vt tempus ipsum Antichristi venturi præfiniret, sed solum assereret Antichristi aduentum suo tempore fore, postquam Ecclesia triumphum de Romano Imperio reportasset. Verba ergo illa: *Et tunc reuelabitur ille iniquus*; non refert ad immediatè præcedentia: *Donec de medio fiat*, sed ad ea quæ versu superiori dixerat, & *nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore*.

Aduertendum etiam non fuisse mentem Pauli præcisè ostendere quando venturus esset Dominus ad iudicium, cum velit ipsemet Dominus, esse nobis aduentum suum obscurum & occultum, sed docere non instare, nec esse proximum ipsius aduentum, vt quidam existimabant, vt ex verbis ipsius epistolæ cap. 12. *Ne terreamini quasi instet dies Domini.* Ad hoc autem sufficiebat, non venturum, antequam aboleretur Imperium Romanum, & Antichristus appareret; an vero hoc diu post Imperium deletum, vel statim contingeret, nihil ad intentionem Pauli referebat; quare non vltra eam sunt eius verba intelligenda. Ad similitudinem de Antichristo dicimus, licet verum sit non longè post Antichristum affore diem Iudicij, non hoc tamen intendisse Diuum Paulum, sed tantum non instare diem Iudicij, quia, nondum apparuerat Antichristus, nec hunc appariturum durante Imperio Romano; in hoc ergo est tantum similitudo attendenda, non in alijs. B

Negamus quoque ob Imperium Romanum nondum deletum detineri Antichristi aduentum; sunt enim & multæ aliæ causæ, nempè Euangelij prædicatio per totum Orbem, & numerus electorum complendus, vt clarè Christus denunciauit Matt. 24. ibi: *Cum videritis hæc omnia, scitote, quia propè est in ianuis*. Nec Imperium Romanum poterat per se remorari Antichristi aduentum, sed quatenus à Christo erat prius subiugandum, vt Danielis prophetia cum alijs adimpleretur; quod cum peractum iam sit, nil refert quod adhuc nonnullæ Imperij Romani supersint reliquiæ. C

Ex his igitur perstringamus, quod Roma, seu Romanum Imperium, quatenus materiale, non potuit absolutè æternum esse, vt Ethnici scriptores primæ sententiæ scripserunt. Si autem consideretur Vrbs, seu Romanum Imperium non Christianum, sed Ethnicismum & Idololatriam mysticè repræsentans, quale tunc ante Magnum Constantinum reperiebatur; & isto casu euersio & destructio eorumdem sub mundi finem erit incongrua, sed solum illa mysticè repræsentantia Ethnicismum & Idololatriam extincta & deleta sub dicto Constantino censebūtur. Quo vero ad Rom. Eccl. cum hæc supra firmam petram sit fundata, & portæ Inferi non sint aduersus eam prævalituræ, hanc vsque ad mundi finem permansuram, est indubitatum.

De Priscorum Romanorum Virtutibus. Cap. XXVI. D

CVM de Romanorum potentia iam plura dixerimus: modo vt apes circa flores, sic nos de eorumdē Virtutibus profutura legemus, nocitura vero pellemus, aut non tangemus. Hoc interim apud Romanos firmum & stabile fuit, Nobilitatem veram virtuosis factis metiendam, non maiorum gestis; cum illa nemo moriens dare possit: diuitiæ, imagines, memoria sui; hæc quamuis dari possint, & hæredibus legari; virtus non potest; in animo cuiusque nasci hæc debet, à qua vere quisque magnus & nobilis haberi & dici debet, non ab alieno. Romanum quippe Imperium quoniam pro-

prijs

A prijs virtutibus maximè ad ſublime erectum, ſine virtutibus certe tale non extitiſſet, vt de Roma quidam Poeta dixit.

Quod regnas minus eſt, quam quod regnare mereris.
Excedis factis grandia fata tuis.

Et cum nullum Imperium tam magnum ſimul, ac tam diuturnum extiterit vnquam; iure igitur Ammianus inquit: *Roma vt augetur ſublimibus incrementis fœdere pacis æternæ; Virtus conuenit atque Fortuna, quarum ſi altera defuiſſet, ad perfectam non venerat ſummitatem.* Et breuiter ac nerueſè Florus id extulit: *Ad conſtituendum Romanum Imperium Virtutem, ac Fortunam contendiſſe videri.* Eamdem hanc Vrbem Romam idem Ammianus, *Imperij, Virtutumque omnium larem* dixit, vt etiam Caſſiodorus: *Roma Virtutum omnium Templum latiſſimum.* Sed veriſſimè & optimè ſanctus Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 15. quaſdam veluti virtutes morales Romanis attribuit, quibus orbis Imperium largitus eſt Deus, vt in his verbis: *Quibus non erat Deus daturus vitam æternam, ſi neque hanc eis terrenam gloriam excellentiſſimi Imperij concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, ideſt virtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur.* His enim artibus victores ſemper atque fortiſſimi Romani extiterunt. Hoc autem vt manifeſtè pateat, quibus virtutibus eminentiores fuerint illi, erit nobis inferius indagandum.

B

PIETAS SEV RELIGIO.

VT autem de Virtutibus Romanorum in particulari dicamus, eminet inter illos Religio, ſeu Pietas. Intellexerunt etiam Ethnici ſolo naturæ lumine vnicuique ſemper Deum præſentem eſſe. Epictetus inquit: *Cum ianuas adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne vnquam in mentem veniat dicere, quod ſoli eſtis; ſed Deus eſt, & genius veſter intus: quid autem ijs opus lumine, vt videant quid agatis?* Deus, Genius intus dictorum, factorumque obſeruator, teſtis, accuſator: Hanc Epicteti ſententiam confirmat Seneca: *Propè eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt; ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum, bonorumque noſtrorum obſeruator & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat.* Hoc etiam Ethnici voluerunt, ſpiritum obſeruatorem & cuſtodem bonorum malorumque in præmium & pœnam adeſſe; vtrumque in æternitatem. Ad huiuſmodi Numen etiam Ethnici in omnibus eorum actibus maximè erant addicti. Audi Cambyſem Regem monentem filium: *Dei eſto amicus, in eumdem pius, nihilque aggrediaris; niſi Dei Numine implorato.* Et Dionem: *In omnibus, quæ vel cogitamus, vel loquimur, à Deo ſumamus initium.* Adde Triſmegiſtum: *Vnuſquiſque pietate, religione, prudentia, cultu, & veneratione Dei clareſcit.* Viguit ſanè apud priſcos illos Romanos hæc Pietas, ſeu Religio; quia omnia publicè & priuatim Religioſè cœpta, adminiſtrata, & patrata erant per illos; vt totam Ciuitatem in aſſiduo eorum prætenſi Numinis cultu addictam, & operatam poſſimus arbitrari; atq; id ſecundum vetera eorum inſtituta; neq; nouitates, aut mutationes in hoc illabi permittentes: hinc Dionyſ. Halicarnaſ. inquit: *Quamquam ſexcentæ nationes penè in Vrbem fluxerant, quibus ſingulis ſacra ſua, rituſque patrij eſſent; tamen ad ſuum ævum nulla peregrina Religio publicè ſuſcepta; aut ſi qua oculorum monitu introducta; ea ipſa Romano more culta, abdicatis fœdis vanitatibus & fabularum portentis.* Etenim ſacris præerant, vt non interpretarentur ſolum, ſed adminiſtrarent etiam viri in Republica primi, & honoribus honeſti, qui & exemplo plebem eo trahebant, & noua & nocitura ſpernebant.

C

D

Declinante tamen Imperio tanquam ruptis obicibus in Vrbem, ſuperſtitionum aſylum nefaria omnium gentium ſacra agmine facto irruperunt; adeo

vt

vt Imperatores Commodus, Caracalla, Alex. Seuerus, & alij manus dederint, ex Lampridio, & Spartiano, ac Tertulliano in Apolog. cap. 6. Hinc D. Leo in Natal. Apost. serm. 1. *Roma ignorans suæ prouectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem: vnde quanto erat per Diabolum tenacius illigata, tanto per Christum est mirabilius absoluta.* A

Nec defuerunt inter Romanos Impp. non Christianos, qui pietatem præseferrent etiam Christianam, vt in Vrbem illam inferrent. Etenim Christi nomen, mox inde ab eiusdem passione Tiberio Cæsari (eo enim regnante Crucis supplicio affectus est) in Italia innotuisse; Tertullianus in Apolog. aduersus Gentes testatur his verbis: *Tiberius, cuius tempore nomen Christianorum in sæculum introiuit, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius diuinitatis reuelauerat: detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui: Senatus quia non in se probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferociisse: sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi aliquod bonum grande à Nerone damnatum.* Itaque Tiberius Imperator de Christo, pro Deo ab omnibus habendo primus ad Senatum retulit: & talis etiam Romæ mox habitus est, vel inuito Senatu. Porro ex illo damnatorum Romæ à Nerone numero fuit sanctus Petrus Apostolorum Princeps; vt Lactantius, Epiphanius, Hieronymus & alij narrant. B

Alij præterea Imperatores non Christiani Christi Religionem inferre conati sunt. De Alexandro Seuero, & Adriano, Lampridius: *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere, quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus Ciuitatibus fine simulacris iusserat fieri, quæ hodie, idcirco quia non habent Numina, dicuntur Adriani: quæ ille ad hoc parasse dicebatur. Sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si optato euenisset, & Templa reliqua deserenda.* Nimirum consultus Dæmon responderat: exitium Gentilitati imminere, si Christiana sacra permitterentur. Idem sæculo nostro contigit, vt hanc veritatem Sectarij & Nouatores respuãt; cum mẽtio fieret Libertatis in Catholica Religione concedendæ: optime enim illis est clarum; eam esse vim Catholicæ Romanæ fidei, vt omnes in sequelam traheret. Non sic respondisse fertur idem Alex. Seuerus erga Christianam Religionem, apud Lampridium: *Cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent: contra popinarij dicerent, sibi illum deberi; rescripsit melius esse, vt quomodocunque Deus illic colatur, quam popinarijs dedatur.* C

Deificationis origo.

Sed vt ad Ethnicos, & Romanos præsertim reuertamur: Deorum multiplicitatem ipsos coluisse omnibus patet: quos homines fuisse referunt etiam Ethnici scriptores; sed propter merita, vel virtutum, vel munerum, vel artium repertarum memoriam à veteribus eorum consecrationes inuentas: sic Cicero de Natura Deorum: *Suscepit vita hominum, consuetudoque communis, vt beneficijs excellentes viros in Cælum tolleret.* Vnde Horat. ad August. D

Romulus & Liber Pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti.

Hinc colunt Cererem, quia prima fruges inuenit; hinc Bacchum quia primus (vt putabatur) vites plantauit. In libro Sapientiæ Salomonis capit. 14. habetur: *Acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij, fecit imaginem; & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia: deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine hic error tanquam lex custoditus est, & Tyran-*

norum

A *norum Imperio colebantur figmenta*. Lactantius lib. 1. de Falsa Relig. cap. 22. scribit hunc ritum Deorum colendorum à Iouis immodica superbia fluxisse; nam cum terras circumiret, morem hunc habuisse, vt curaret sibi templa de Hospitum suorum nomine construi; sic erecta fuisse templa Ioui Atabyrio, Ioui Labradeo, Ioui Laprio, Ioui Molioni, Ioui Cassio; qui omnes Iouis hospites, eique in bello adiutores fuere.

Inde etiam processit, vt à scriptoribus refertur multos Ioues fuisse; vt quoque multos Apollines, multos Mercurios, multas Veneres: vt quoque notandum est omnia sub vnius tantum persona aliquando relata: illud namque notissimum est, Stoicos vnum tantum Deum credidisse, nominaque eius variari pro actibus & officijs. Hinc sacrificaturam apud inferos Didonem Iouem Stygium pro Plutone nominare. *Pluralitas Deorum aliquando pro vnico Deo sumpta.*

Sacra Ioui Stygio, quæ ritè incœpta parauit.

Aristoteles in lib. de mundo. *Cum Deus vnus sit, multa nomina habet ab affectionibus varijs.* Et Apuleius eumdem imitatus lib. de mundo ad Faustum
B scribens inquit: *Vnus est Deus, vnumque numen pluribus quidem nominibus propter specierum multitudinem, quarum diuersitate fit multiformis; nam à iuuando Iupiter dicitur, idem fulminator, tonitrualis, ac serenator:* vt latè D. Aug. de ciuitate Dei lib. 4. cap. 11. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 18. cum Deorum omnium nomina ad vnum vellet referre hunc Orphei versiculum recitat.

Bacchus, Sol, Orcus, & Iupiter vnus & idem.

Quod autem Deus vnus sit solùmmodo, Lactant. de falsa Relig. lib. 1. cap. 3. refert. Quod summa illa rerum potestas & Deitas, ac Diuina vis, ne semel quidem diuidi potest: quicquid enim capit diuisionem, & interitum capiat necesse est; si autem interitus procul est à Deo; quia incorruptibilis est & æternus; consequens est, vt diuidi potestas æterna non possit. Præterea quando pluralitas esset Deorum, sequeretur quod illi partiti inter se essent officia; vt ex illis quilibet sufficere omnibus nequirent, & nisi singularium partium potestas ad vnam prouidentiam referatur, non poterit summa illa
C constare potestas; vnoquoque nihil curante ampliùs quam quod ad eum propriè pertineat: vt latè Gyraldus Syntagm. primo. *Quod vnus Deus sit.*

Quamquam ex Gentilibus plurimi summo ingenio fuerint; grauissimè tamen hallucinati sunt; vtpote quibus præluceret tantum naturæ quædam claritas, non autem Christiana veritas perfecta. Lactantius lib. de falsa Relig. ad confundendam Gentilium Idololatriam, ex opinione Poëtarum, Philosophorum, Oraculorum, & Sibyllarum euincere conatur, etiam temporibus antiquissimis numquam dubitatum fuisse, nisi à malis feriatis quibusdam, Deum vnum esse; licet non intelligerent, quisnam ille esset, seù quomodo ageret; ideoque eos excusari non posse qui in Deorum numerum homines impios reposuerint. Hinc si bona pars Gentilium Deum spiritum & mentem vocauerint, eumque animo etiam colendum esse testati sint: mirum est vnde tanta Deorum multitudo inuenta sit, hominesque iam morte deleti diuinis honoribus affecti sint? Equidem existimarim errorem illum ab impostore dæmone fuisse inductum: nam cum ille malorum omnium sit auctor & pa-
D rens, proculdubio in hanc profundam erroris caliginem miserorum mortalium corda demersit. *Vnde Gentil error.*

Sed vt hoc magis explicitè referamus: sciendum aliquos fuisse, qui non metu legum aut magistratuum, sed prauo voluntatis suæ consilio ducti, ad Idolorum adorationē accesserint, quos Deos nō esse intelligebant; vt Salomoni contigisse scribit D. August. de ciuitate Dei lib 14. cap. 11. non quia opinione erraret, cum esset sapientissimus; sed quia à mulieribus, quas in delicijs habebat, gratiam aliquam illa ratione inibat; ita vt varij semper errores hominum, & dæmonis insidiæ in illa re fuerint.

Præterea non omnes vnius gentis homines eundem apud animū suum Deorum

rum cultum habuisse; aliud spectabant imperiti; aliud ij, qui ratione & iudicio ducebantur; aliud denique ij, qui & eruditi & sapientes erant: itaque Seneca, vt inquit D. August. lib. 6. de ciuitat. Dei cap. 10. cum loquitur de Dijs Capitolinis inquit: *Hæc sapiens seruabit, tanquam legibus iussa, non tanquam Dijs grata.* & infra: *Adorabimus, vt meminerimus, cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere.* Hoc est quod veteres Christiani scriptores magnopere dolebant; cum inter Gentiles ingenioſi & eruditi homines essent, qui stultam & inanem Religionem Deorum fictorum cognitam haberent, leuitate tamen & metu illos ad communem cæterorum errorem traduci. De quibus præter alios Lactantius lib. 2. cap. 3. ita scripsit: *Quid attinet imperitos arguere, cum videamus etiam doctos & prudentes viros, cum Religionum intelligant vanitatem, nihilominus tamen in ijs ipsis, quæ damnant colendis, nescio qua prauitate præstare? Intelligebat Cicero falsa esse, quæ homines adorarent, nam cum multa dixisset, quæ ad euersionem religionum valerent; ait tamen non esse illa vulgo disputanda, ne susceptas publicè religiones disputatio talis extinguat.* Et idem inferius: *Summa rei hæc est, imperiti & insipientes falsas religiones pro veris habent, quia neque veram sciunt, neque falsam intelligunt: prudentiores vero, quia veram nesciunt, aut in his, quas falsas esse intelligunt, perseuerant, vt aliquid tenere videantur; aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorem; cum id ipsum maximè sit erroris, vitam pecudum sub figura hominis imitari.* A B

Itaque videmus huiusmodi viros, qui cæteris doctrina & cognitione antecellebant, tale interdum iudicium protulisse, ex quo conijceremus, simulacra Deorum illis omnino ludibrio fuisse; vt scripsit Cicero 1. Tusculan. *An tu hæc portenta Inferorum credis?* Atque ita legimus Socratem & alios philosophos sensisse. Quamobrem Lactantius lib. 1. capit. 15. iustam habuit causam admirationis, quod Cicero magnus & Orator & Philosophus in lib. 1. de Consolat. professus esset, sibi esse in animo Imaginem filiæ eodem modo velle consecrare, quo Dij à veteribus sunt consecrati.

Diximus quantum Romani à vera Dei Religione aberrauerint, quam etiã naturali lumine poterant assequi: sed quoniam hæc Religio, seu superstitio qualiscunque ea hausta fuerit, ægrè educitur; vt inquit Cicero Orat. 5. in Verrem: *Omnes Religione mouentur, & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur.* Etenim teste Philone in Caium: *Sua cuique optima videntur; vt quæ non ratione, sed affectu dijudicantur à singulis.* Propterea prisci Romani illam in vtraque fortuna maximè custodiendam censuerunt; vt ex Tacito 11. Annal. ibi: *Ne ritus sacrorum inter aduersa culti per prospera obliterentur.* Vt quoque refert Liuius l. 5. *Omnia prospera eueniunt colentibus Deos, aduersa spernentibus.* Et quamuis in cultu ipso ad interna maximè respicerent Romani, vt dixit Cicero de Natur. Deorum: *Cultum Deorum esse optimum, eumdemque castissimum atque sanctissimum; vt eos semper pura, integra, & incorrupta mente, & voce venereris.* Vt etiam inquit Seneca: *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus.* Nec inde tamen externa spernebant nisi impia essent: vt in his etiam Cicero lib. 11. de Diuinat. *Religioni parendum est, nec patrius mos contumaciter repudiandus.* C D

Cõsideratio mystica.

Inferamus ex iam dictis: ad pietatem & religionem ampliandam, ac stabiliendam; nihil æque ac Principis, seu Rectoris mores prodesse: nihil enim ad persuadendum potentius Rectoris exemplo: plus enim valet muta in Rege exemplorum locutio quam doctæ plurimorum orationes: nihil enim validius est Regum exemplo, quorum mores vim propè legum in populo obtinent. Quod vt fiat pietatem primi colant, ament, foueant. Erit hæc illis in aduersis robur, & solamen, in secundis temperamentum; ne aut animo deijciantur in illis; aut prosperitate extollantur in istis. Proponatur nobis in exemplum Magnus Constantinus Imp. cui in pugna Crux pro labaro & armis

fuit;

A fuit; eademque duce vicit, & triumphos egit contra Maximianum, Maxentium, & Licinium. Idem Theodosio contra Maximum & Eugenium Tyrannos succeſſit. In Caſtris Honorij nullo vulnere accepto, nullo milite deſiderato Gothorum millia ducenta ceciderunt. Heraclius in tribus Caſtris ter victor non armis; ſed ieiunijs, precibus, cilicio ſtetit; vt de alijs taceam. Contra impiorum Regum infelices exitus ſpectabimus in Iuliano, Valente, Zenone, Baſiliſco, Anaſtaſio, Copronymo, Maximo, Phoca, Andronico, Comneno & alijs. Vt enim læta piorum in amorem & imitationem; ſic triſtia impiorum in horrorem & fugam ſint.

PROBITAS.

AReligione & Pietate proceſſit etiam eorumdem Romanorum Probitas, ideſt animi candor, morumque integritas; cum & hoſtes in ſui admirationem rapuerint. Tanta vis virtutis eſt; vt in prouerbium abierit: Homo Romani ingenij, Romana ſimplicitas, Romana fides: hinc homo Græcus B Polybius inquit: *Apud nos ſi cui talentum concreditum ſit, & extent decem ſyngraphæ, decem ſigna, bis totidem teſtes; tamen fidem vix eſt ſeruare: apud Romanos autem, cum in Imperijs, aut Legationibus plurimum pecuniæ in manibus habeant, & diſpenſent; tamen officium, ac fides conſtant, ſola iuſiurandi religione inductos.* Similis fuit candor eorundem in bello, & rarò fraudibus victoria quæſita, aut parta; vt propterea M. Aquilium Imperatorem grauiter tangat Annæus Seneca, quod is bello Aſiatico veneno fontes miſcuiſſet his verbis: *Quæ res, vt maturam ita infamem fecit victoriam: quippe cum contra fas Deum, moreſq; maiorum medicaminibus impuris in id tempus ſacroſancta Romana arma violaſſet.* Maximè reſplenduit hæc probitas in illis Romanæ Reipublicæ rectoribus, vt referunt hiſtoriæ; cum exempla Principum Populorum documenta ſint: ex vno enim Principe reliquos æſtimamus: neque ſub probo pioque capite improba, impiaque membra naſci arbitramur; è ramis de arboris trunco, è pampinis de vinea, è frumento de area, è fru- C tice de radice iudicium ferimus: neque facile à pio quiſquam impium ſibi perſuadet. Probitatis enim opinio venerationem prouocare ſolet: hæc fiduciam. Magna enim fiduciæ prouocatrix Probitas eſt; quæ radios ſuos eo certius in hoſtes quam in amicos diffundit; quo maiores in illis cenſores, ſeuerioreſque æſtimatores ſortitur; & plerumque vitia obtenebrat amor: hoſtilitas nihil abditum permittit: eruit enim minima, & detenebrat, obnubilatque quidquid amor integit; & planum ſolem educit. Laudat amicus? ne crede: mentitur Amor. Laudat hoſtis? crede.

IVSTITIA.

IVſtitiæ cultores extitiſſe Romanos omnibus conſtat: abeſſe enim à viro forti fraus debet: imbellis & imbecillis animi dolus omnis eſt, & de virtute ſua diffidentis: improbæ mentis ſoboles iniuſta læſio: muliebris linguæ D calumnia non eſt virilis animi. Iuſtitia autem in bellis potiſſimum inter illos enituit; vt nec forſan alia gens conſideratius, & cauſis in rationis trutina libratis, bellum ſuſceperit, quam iſta: etenim nec Senatui, nec Populo toti plenum hoc ius, niſi iudicium & iudicatio Sacerdotum publicorum interueniſſet, quos Fœciales dicebant: eorum arbitrio ſumpta & poſita arma; & non ſolum iuſtitia, ſed & religio ea temperabat. Laudat hoc vnicè Dionyſius, & *Græcos ſuos caruiſſe eo*: dicit: *Et ſeſe obiter expoſiturum, quid muneris & iuris habuerint: vt quibus ignota hactenus fuit Romanorum in BELLO religio, mirari deſinant felices euentus plerumque habuiſſe. Nam omnium bellorum initia, & cauſas apparebit iuſtas fuiſſe: atque ideo Deos merito propitios ſenſiſſe, & fauentes.*

Admirabili planè Dei prouidentia bella ex bellis nata, prouinciæ ex prouincijs subactæ: illa causas dedit, aut permisit; & semper duplici hoc titulo vsi Romani; vt aut *pro Salute* arma caperent, vbi res eorum ageretur: aut *pro Fide* de Socijs, quæ bella & terras coniunxit, aut subegit, hinc Cicero: *Noster Populus socijs defendendis terrarum omnium potitus est*. Et vt pauca de his afferamus exempla: Carthaginenses æmuli Romanarum virium obstant illis crescentibus, Siciliam inuadendo, & Mamertinos; isti ad Romanos, vt socios appellant: veniunt Romani, subueniunt, illos pellunt, & quæsita iam ipsis ad se trahunt: fit pax & Sardinia etiã Siciliæ adijcitur concessu ipsorum. Deinde in Hispaniam Carthaginenses mala cupidine trãscendunt, arma etiam Saguntinis inferunt, vt amicum sociumque Romanis oppidum euertant: bellum ergo iterum iustum; victi illi, & in Africam compulsi, Hispania aucti Romani. Præterea Philippus Macedo fœdus cum Annibale coiuit, Romanos, & Græcos simul lacessebat: atque isti Romanos aduocarunt: pax illi data, & demum Græcis & Macedonibus Romani impositi. Similia in Antiocho, Iugurta, & Mithridate, qui vincere aut quiescere quoniam non potuerunt; parere coacti sunt. A B

Sed quamuis Romani quosdam Populos Imperio suo punierint, multis tamen & Pacem indulserunt, si vti ea potuissent, aut voluissent: ipsis Carthaginensibus bis, Philippo etiam, & Antiocho, & Tigrani; atque hos omnes pellere terris cum in eorum manu esset; contenti fuerunt restringere: pennas videlicet incidendo; ne temere aut lasciuè sic euolarent.

CLEMENTIA.

CLementia à priscis Romanis in hostes commendata: Augustum accepimus Cinnæ vitæ suæ insidianti, necemq; paranti, peperciſſe, Consulem feciſſe, fidum & inter amicos habuiſſe: Cinnamq; beneficium beneficio compensasse; cum moriens hæredem inscripsit Augustum. Secutus Augustum Titus, Patritijs adolescentibus duobus, cum ferrum parassent, & rei tenerentur, ignouit: audi Suetonium: *Duo Patritij generis conuictos in affectatione Imperij, nihil amplius, quam vt desisterent monuit, dicens, Principatum fato dari: si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum: nec solum illos familiari cœnæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculis circa se ex industria locauit.* Creuit hinc illi nomen, vt humani generis Amor, & Delitiæ nominaretur. Et apud eumdem de Cæsare habemus: *Retectas coniurationes non vltro arguit, quam vt edicto ostenderet, esse sibi notas: & acerbè loquentibus satis habuit pro concione denunciasse ne perseuerarent.* Catonis etiam liberis incolume patrimonium seruauit. De Constantino illud proditum; cum ei auctores plurimi essent; vt in Imperatoriæ statuæ deformatores ferro, & ignibus sæuiret, respondisse: *Ego nullum vulnus sentio.* Nec pudeat Principes Ethnicos, & Christianos imitari Imperatores: seruare enim cum perdere possis, dum crimen, & hostilitas depoſcat, non nisi magnorum est, & quibus generosior animus, vt bene Seneca: *Magni animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, atque offensiones supernè despicere.* Facit hoc Deus, quem nulla iniuria tangere potest. Atque hinc Romani non raro victas vrbes ciuitate donabant, vt æternas sibi illas comparārent: ita vel ob solam pulchritudinem intactas seruabant, ne tot docta sæculorum opera momento perderent; ita Massiliam Cæsar, Alexandriam Augustus non passi sunt exscindi. At vero dum quis rapina, ferro, ignibus populum subijcere conatur; nascuntur tunc odia numquam moritura. C D

Noxia tamen persæpè nimia Clementia Regnis, Regibusque est: miscuit illam iustitiæ Traianus Imperator referente Cassio: cum Suræ tribunatum militum traderet, ait: *Talem ensem accipe, quem pro me ita demum strinxeris,*

A *ris, si iuste imperauero: quod si perperam per me quicquam fieri cognoueris, etiam in perniciem meam vtaris.*

Maximè in hoc Vespasiani Principis prudentia enituit; qui dum indulgentissimo Imperatori succedens, perditos vbique mores, collapsamque militarem disciplinam lenitate restituit; cum peritorum medicorum more à clementioribus remedijs curationem auspicatur: indulget, quædam exinde reprimit: laxat deinde manum, retrahit iterum; paulatimque ad profutura ducit, ferrum in extremo seruans, breuiterque Imperium restituit sibi: omnia fregisset & perdidisset, si à durioribus medicaminibus incepisset: incepit à benignioribus, & ferre imperata docuit, dum inter indulgentiam, & acriora remedia medius inambulat. Prudens igitur erit Principis imitatio; vt quod Clementia possit, nolit ferro mederi; & quod benignitate & amore, nolit sæuitia & pœna. Ipse ante omnia exemplo Princeps præeat; sequentur præeuntem subditi, & saltem sola verecundia virtutem imitabuntur. Hinc illud in Vespasiano Taciti: *Obsequium inde in Principem, & æmulandi*
B *amor validior, quam pœna ex legibus & metus.* Plus enim muta hæc Principis locutio omnium Doctorum calamis & ore potest. Ingens illi à virtute gloria, nec minor à crimine pœna, cum omnium virtutem ipsius æmulantium, corona donetur; vt etiam omnium scelera imitantium, sententia percutiatur. Infelix improbi, felix probi Principis conditio. Non opus est ferro & ignibus Principi; prudentior probitas in suadelam & imitationem, ferro & ignibus est; nam & solus pudor subditos à scelere reuocabit, & in virtutem propellet: potentior nimirum amor pœna, moresque minis sunt.

PRVDENTIA MILITARIS.

QVoniam militaris Prudentia Principi ante omnia necessaria; ideo in suscipiendo bello iniustitia omnis & temeritas ab eo absint: sunt enim belli sicut & pacis iura, vt inquit Ciceeo 1. de Offic. *In omni republica maxime conseruanda sunt iura belli*, &
C infra: *Temere in acie versari, & manu cum hoste confligere; immane quiddam & belluarum simile est.* Inde Sallustius inquit: Barbaro ritu cædem cæde, & sanguinem sanguine expiabimus. Improbè ergo dictum à Liuio lib.5. *In armis ius ferre, & omnia fortium virorum esse*: vt quoq; inquit Seneca in Hercule: *Quæritur belli exitus, non causa.* Siquidem Iustitia non ab exitu, sed à causa asserenda apud Lucanum lib.7. *Causa iubet superos melior sperare secundos.* Et à bona simili causa bonus plerumque exitus pendet. Propertius lib.4. Eleg.6.

Frangit & attollit vires in milite causa:
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.

Iniqui belli causa Ambitio præcipuè extat. Sallustius in Catilina, inquit: *Libidinem dominandi causam belli habent; & maximam gloriam in maximo Imperio putant.* Vt quoque Auaritia iniqui belli origo. Tacit. lib.4. hist. *Maximum discrimen penes quos aurum & opes præcipuè bellorum causæ.* Bene igitur Seneca in Hippolyto.

D *Rupere fœdus impius lucri furor,*
Et ira præceps.

Vt inter impias belli causas recensetur etiam Ira, refert D. August. contra Faustum lib.22. cap.74. his verbis: *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi; & si qua sunt similia: hæc sunt quæ in bellis iure culpantur.*

Illud profectò Romanorum memoria dignissimum: nunquam se vltro bellum intulisse; prouocatos semper, alienaque non sua voluntate ad arma descendisse. Mouere etenim bella etiam inualidi & ignauissimi possunt; deponere non possunt: initia namque in manu nostra sunt, finis in hostili. Ho-

Iofernes, Antiochus, Alaricus, Vitiges, Attila, Totila, Pyrrhus, Asdrubal, Annibal, Xerxes, Crœsus, Perseus, Iugurta, Catilina, Antonius, &c. quæsierunt hi hostes: inuenerunt: & morte tandem infelici sua & ingloria omnes propè temeritatem notarunt. Non solet Deus prosperare hos conatus; & fere refugam videmus rerum naturam in iniquo ferro. Perpaucis vero improbitas sua impunita stetit, raroque in posteros transijt felicitas. A

FORTITVDO.

Milites & Duces præstantissimos in Romana militia, & admirandos fuisse omni ævo: patet potissimum binas legiones iunctas cum totidem socijs, equitatu mille octingentorum ad quæcunque bella & hostem iuisse, ac etiam victrices fere redijsse: quod si decem legiones iunctæ simul fuissent orbem diruere etiam potuissent. Si in *Opere* illos considéremus, fodiebant, vallum & fossas ducebant, aggerem, testudines, turres struebant: omnia celeriter, & industrie; vt fidem superet. *In Agmine* autem arma omnia peditem ferre, cibos semestres, aut menstruos, vtensilia & cætera: ordo in incessu à signis non discedere, pari passu omnes ambulare, decurrere etiam cum opus esset, plenis armis. In *Acie* cum omnibus gentibus, omni genere armorum, aut pugnarum concurrerunt: nec mirandum tales fuisse, quos à prima adolescentia vita omnis in armis, honos omnis ab armis erat. Nemo honestiorum ad Remp. accedere, & Magistratus capere poterat, nisi decem annis militasset. Pedestris ipsa militia viginti annorum decursu terminabatur. In ipsa Pace non quies sed assidua erant exercitia, vel in Campo Martio, vel in ipsis alibi castris: & inter cætera in pace Romanorum exercitia, mos illis ex bellica peritia in equum ligneum ascendere. Vt ex Vegetio habet Dionysius Richelius lib. de Vita militari art. 12. his verbis: *Equi lignei hyeme ponebantur sub tecto, æstate in campo: supra quos iuniores primo inermes, deinde armati cogebantur ascendere: tantaque cura erat, vt non solum à dexteris, sed à sinistris quoque partibus ascendere discerent, euaginatos etiam gladios, vel contos tenentes. Hoc assiduè faciebant, quatenus in tumultu prælij sine mora ascenderent, quia tam studiosè exercebantur in pace.* Inde exaggerat quoque Aristides: *Quia etiam in militari disciplina vos, ò Romani, omnium aliorum inscitiam coarguistis: nec enim contra hostes dumtaxat milites vestros, ac Duces, sed inter se primum committitis, & exercetis; ita fit vt quotidie stent in acie; nec vnquam quisquam cedat loco, sed quisque stationem suam cognoscat & seruet.* Ita locum in acie, vel in præsidio viro forti seruandum, vel moriendum fuisse. Ideoque contemptus periculorum, & hostium; & in medios illos, vel exiguam manum si Dux misisset sine cunctatione parebant. L. Sicinius centies & vicies in aciem descendit, sex & triginta spolia ex hostibus retulit, octo ex prouocatione occidit, quinque & quadraginta vulnera pectore excepit, tergo nullum. Cassius Scæua in Britannico littore cum quatuor commilitonibus in scopulo relictus, desertus ab alijs, solus impetum hostium sustinuit, multos deiecit, aut occidit; denique suis armis onustus, solo scuto abiecto, in mare se dedit, & ad Cæsarem natauit: qui stupens ad viri virtutem, laudare parabat: at ille disciplinæ memor inquit: *Da veniam Imperator, quia scutum reliqui.* Idem in Pompeiano bello ad Dyrrachium Castello præpositus, solus in porta consistens contra Romanas legiones & copias id seruauit: quo tempore oculus ei effossus, humeri traiecti, & femur, scutum centum viginti ictibus perforatum: hæc adeo non imitanda, vt nec credenda. Magnum exemplum Fortitudinis inter socias Populi Romani vrbes dedit Saguntum: perire maluit quam fidem frangere: & quis Saguntum nosset nisi perijsset? tantum fides potest: perpetuo in cinere suo viuet, omnium ore, omnium calamis: non viueret si stetisset. Audendo sperari victoria B C D

potest,

A poteſt, aut mors viro digna: cedendo neutrum; & certè inter arma fortius militem cadere, quam deditum iugulari: ibi virtutis plurimum eſſe poteſt & ſolet, hic ignauiæ plurimum. Præponet virtutem ignominiæ quiſquis virum redolet.

Non in Victoria ſolum Fortes milites iſtos, ſed in clade etiam & morte: Miles in Cannenſi prælio, cum vulneribus confectus, manus etiam mutilatus eſſet, ſpoliare ſe conantis Numidæ ceruicem brachijs inuadens, ad ſe traxit, & naribus atque auribus corroſis (cum alia tela non eſſent, aut tractare poſſet) deforme cadauer aſpicientibus reliquit. Hæc de militibus.

Duces etiam eorum eximij; vt parens ille Romulus, vt M. Furius, Camillus, vt L. Papirius Curſor, vt M. Claudius Marcellus igneo impetu, vt Q. Fabius Maximus ſalubri tarditate, vt P. Scipio Africanus Prior diuina felicitate, & Poſterior diuina virtute; vt denique caput & culmen C. Iulius Cæſar fortuna, peritia, magnitudine, & celeritate animi ſuper omnes, qui arma tractarunt, aut tractabunt; & poſt eum flacceſcente iam Romana indo-
B le Germanicus Cæſar, quem properata mors eripuit; aut magis certè Traianus optimus, maximuſque. Iſti tot hoſtibus vno tempore terra marique cincti, ſtabant ſemper interriti; nec aliud interim oculis, auribuſque inſonabat illis, quam hoſtile.

Hoc vnum addam, quod vera Fortitudo non in bello tantum appareat, verum & in lecto, in quo corpus iaceat. Pulchrè B. Laur. Iuſtinianus de Patientia cap. 4. inquit: *Per infirmitatem corporis experitur homo virtutem animi ſui: non ſolum in mari, aut in bello, ſed etiam in lecto apparet virtus.*

CONSTANTIA.

C Onſtantia in hac gente admiranda, nec alios in hac comparandos; vt protulit Mutius: *Et facere & pati fortia Romanum eſt.* Hoc nobis exemplis proponitur; Pyrrhus in Italiam venerat cum noui generis, gentiſque copijs; & in primis inaudito Elephantuum terrore: victor grandibus
C prælijs, ac trigeſimo penè lapide Romam proſpexerat: Romani nihilominus oblatam ſibi pacem reſpuunt, & legatos eius hoc reſponſo dimittunt: *Pyrrhus Italiam cum copijs excedito: vbi exceſſerit, de Pace ſi volet agito: niſi exceſſerit, arma, & viros, & aciem expectato: neque deſtituturos ab incepto ſe, etiam ſi pugna viciſſet.* Romani enim moris erat ſemper in bellis nihil armato hoſti largiri, ſed vbi poſita eſſent arma, conditiones ferre æquas, & inexpectatas; vt refert Dionyſius lib. 8. Fructus autem Conſtantiæ in Pyrrhum fuit, ſponte Italia illum fugere, ipſos eius dominos, & potentes fieri. Primo bello Punico Attilius Regulus Cõſul viuus in hoſtium poteſtate cum toto exercitu oppreſſus, & de claſſibus illius refert etiam Polybius: *Septingentas quinqueremes eo bello amiſſas.* Ex quorum militibus & remigibus trecenta hominum millia perijſſe, ex eodem Polybio colligitur. Tertio bello Punico Annibal ſummus Ducum in Italiam venit, tribus prælijs magnus victor, & vltimo illo Cannenſi, quo totum virilem Romanum ſanguinem exhauſit:
D quinquaginta millia ſelectorum militum vna cum altero Conſulum cum tot Tribunis, & Centurionibus, Senatoribus, Equitibus Romanis pereunt; ſed magna Populi Romani fortuna: *Semper in malis maior reſurrexit*, vt inquit Florus, pueros, ſenes, vinctos, ſeruos armauit; & imbecillo, aut fœdo exercitu victrices illas copias profligauit: vt propterea Claudianus.

Numquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas maior, Trebiamque fremebat.

Et Liuius *Magnitudinem Populi Romani aduerſis propè rebus admirabiliorem quam ſecundis eſſe.*

Animi excelſi Romanos fuiſſe conſtat, quos non arma, non minæ, non tormen-

tormenta terrebant, qui nullis aduerſis frangebantur, nullis cedebant, cuique per dura & aſpera, *tamquam per amicas exercitationes* creſcebat animus; & quibus mens ſemper in ardua maior, qui primam eorum gloriæ partem putarunt oppugnari, poſtremam inter ſecunda & mollia viuere. Cito ſiquidem gloriam obſoleſcere in rebus paruis; nec quicquã indignius quam conſumi eam, vbi non poteſt oſtendi. Vnica nimirum ijſdem vita, & decus fuit patriæ viuere, & interritos inter pericula, & orbis propè vniuerſi armamori: & ſanè *hæc* Romanorum Conſtantia eratinter admiranda potius quã inter imitanda reponenda. Occurrebant illis aduerſa? amplectabantur vt amica, & à quibus prudentiam diſcerent: ſecunda? vt infida, & peritura, & damna minitantia illa reputabant. Denunciabantur clades? tanquam expectatas accipiebant: Victoriæ? nunquam illos extulerunt. Regum inimicitiæ? Imperio dicebant deberi? Amicitiæ? vt non duraturas admittebant. Magnorum minæ? excutiebant illas vt paleas. Arma? repercutiebant vt fortuitas pilas. Populi commotiones? magnis has Imperijs adiacere ſciebant; *& veluti in mari poſt malaciam metuendas tempeſtates*; ſed & iterum ſperandam tranquillitatem: ſuccedentia hæc mutuo ſibi eſſe. Filiorum & coniugum mortes? ſciebant ſe genuiſſe, & duxiſſe morituros. Ex amicis inimicos experiebantur? dicebant hanc eſſe conditionem rerum humanarum: necnon falli, qui aliud expectaret. Militares exſurgebant ſeditiones? nullum dicebant propè Romanorum Imperatorum ſine his fuiſſe: & fatuum eſſe aliud ſperare à tanta militum colluuie, è diuerſarum gentium deſpumatione collecta. Inopinata inſurgebant? nihil illis inopinatum vnquam, nil improuidum. Magnæ cauſæ magnarum offenſionum præbebantur? magni eſſe animi putabant non commoueri: quare ſtabant interriti, vt in aliena cauſa. Ingratum ſe illis quiſquam præbebat? dicere erant ſoliti, ignorare humanarum rerum conditionem, qui aliud ſibi proponeret; ac inter beneficia ponendum, ſi poſt beneficia gratos experiretur: ſi ingratos, inter humana numerandum. Addebant magni boni ſignum eſſe conuicia pati, quæ nunquam impeterent vilia & plebeia, ſed alta & ſupra vulgus ſurgentia; propriumque magnorum Regum eſſe liberiores linguas pati; nec vlla re alia facilius illa quam contemptu vinci. Victorem proinde ſtatuebant illorum contemptorem; victum qui ſe ob illa torqueret. Talis namque erat veterum Romanorum Conſtantia: magnum eſſe putantes, placida ſemper, & inconcuſſa mente inter minitantes cælo fluctus viuere, omnibus iactationibus maiores.

CONTINENTIA.

COntinentia prædictis adhæret. Non iniuſtè alienum appetere, parce & modice ſuo vti; *cum etiam in ipſo bello & inter hoſtes* prædæ abſtinentia fuerit, quæ non niſi permiſſa capta; & ſic quoque tota ad Duces relata.

In Continentia laudabiles quoque fuiſſe Romanos circa victum, veſtem & alia externa: nam ex Plinio Populum Romanum per aliquot ſæcula non niſi farre, & pulte vſum, vt referat Valerius: *Erant adeo continentiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vſus, quam panis eſſet*. Quod ſi conuiuium ſolemne fuiſſet, piſciculi, & porcina caro in obſonium adijciebantur: etenim hoc fuiſſe indicium ſobrij ſæculi, cum tali præſcripto legum coerceretur expenſa cœnarum. Auguſta grauitate conditæ erant Principum Romanorum menſæ, ſed maxima parſimonia. De Auguſto Suetonius: *Cœnam ternis ferculis, aut vt abundantiſſimè, ſenis præbebat; vt non nimio ſumptu, ita ſummæ comitate: non amplius ter bibere ſolitus ſuper cœnam. Cibi minimi erat, ac vulgaris ferè. Inſtrumenti eius ſupellectilis parſimonia apparet: nec toro*

quidem

A *quidem cubuisse aiunt nisi humili & modicè instrato.* De Alexandro Seuero Lamprid. *In expeditionibus apertis papilionibus prandit & cœnauit; cum militarem cibum cunctis videntibus, & gaudentibus sumeret.* In magnis sanè viris Continentia commendata: Aemilium Scipionem & Alexandrum inambulantes, Massanissam nonagenario maiorem stantem, cibum capere solitos: Annibalem plerumque non nisi sub noctem cibum sumpsisse. De M. Curio Valerius: *Samnitium legatis agresti se in scamno assidentem foco, atque ligneo catillo cœnantem spectandum præbuit.*

Præluxit quoque apud priscos Romanos Continentia ab omni luxuria. Drusus Germanicus apud Valerium: *Conflitit, vsum Veneris intra coniugis caritatem clausum tenuisse.* Imitentur matronam fœminæ Principes, vt idem auctor refert: *Antonia quoque fœmina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensauit: quæ post eius excessum, forma & ætate florens, cubiculum socrus pro coniugio habuit: in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit.* B Nobile continentiæ exemplum imitari non pudeat, quod audire delectat. De Alexandro Seuero Lamprid. *Mulieres infames, quarum infinitum numerum deprenderat, publicari iussit.* Addidit incontinentibus pœnam Aurelianus, de quo Vopiscus: *Ancillam suam, quæ adulterium cum seruo suo fecerat, capite puniuit.* De Theodosio Aurelius Victor: *Prohibuit lege ministeria lasciua, psalteriasque commessationibus adhiberi: tantum pudori tribuens, & continentiæ, vt consobrinarum nuptias vetuerit tanquam sororum.* Talis erat Romanorum Continentia, ne animum Veneris cupidini minimum subiicerent: vt quoque Reges monet Isocrates: *Maximè Regium putato, si nulli voluptati seruias; si cupiditates magis in potestate habeas, quam Ciues.* Et sanè fœdior nævus habetur, qui faciem occupauit, quam qui aliam corporis partem; ita grauior fœdiorque incontinentia erit in Principe, qui Reipublicæ facies quædam est, quam aliorum erit peccatum.

In Vestibus etiam Romanorum erat frugalitas; lana enim, atque ea nativa C & albi coloris induebantur: nam sericum, holosericum, atque ipsa linea sero innotuerunt; & timidè etiam in vsum paucorum venerunt, vt infra dicemus.

Cæterum inferiore Imperij ævo omnia luxus prodigiosa in Vrbe non defuerunt; inde circa bellum Punicum secũdum Cato Censorius publicè questus: *Non posse saluam esse Vrbem, in qua piscis pluris, quam bos veniret.* In exemplar proponitur Claudius Aesopus histrio, de quo Plinius: *Maximè insignis est in hac memoria Clodij Aesopi tragici histrionis patina sexcentis H S. taxata, in qua posuit aues, cantu aliquo, aut sermone humano vocales, millibus sex singulas coemptas, nulla alia inductus voluptate, nisi vt in his imitationem hominis manderet.* Scelus immane illius, qui cum homines non posset comedere, auibus humanis vesci sibi persuasit. Præterea vt Cleopatra Aegypti Regina vnionem tanti pretij aceto liquefactam absorbuit: per vestigia eiusdem refert de Caligula Seneca de Consolat. ad Heluid. his verbis: *C. Cæsar quem mihi videtur natura edidisse, vt ostenderet quid summa vitia in* D *summa fortuna possent, centies HS. cænauit vno die, & in hoc omnium adiutus ingenio vix reperit, quo mediocrium prouinciarum tributum vna cæna fieret.* Hoc idem de ipso Caligula habet Suetonius: *Commentus est portentosissima genera ciborum, vnguentis calidis, frigidisque lauabatur; pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorbebat; conuiuis ex auro panes, & obsonia apponebat.* Non absimile de Vitellio Plinius lib. 35. sic inquit: *Vitellius in principatu suo decies HS. condijt patinam, cui faciendæ fornax in campis exædificata erat.* Sed in Heliogabalo & alijs hæc missa faciamus.

De Luxu Vestimentorum aliquid etiam addendum à Seneca lib. 7. Natur. quæst. his verbis: *Quidquid est boni moris, extinguimus leuitate & politura*

corpo-

corporum. Muliebres munditias antecessimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero, & molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur, De Fœminis Propertius inquit. A

Matrona incedit censûs induta nepotum.

Hinc Seneca: *Video vniones non singulos singulis auribus comparatos: iunguntur inter se, & insuper alij bini superponuntur: non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* De toto vero corpore queritur Manilius.

Perque caput ducti lapides, per colla, manusque,
Et pedibus niueis fulserunt aurea vincla.

Aurum quoque & margaritas pedibus appositas, scribit Plinius: *Non crepidarum tantum obstragulis, sed & totis soccullis addi. Neque enim gestare iam margaritas, nisi calcent, ac per vniones etiam ambulent satis est.* Monstruosa certe impensa in vno mulieris cultu; sicut in cæteris luxibus; vt inde Romanum Imperium collapsum penè defecerit. B

Funestissimis exemplis plenæ sunt etiam Romanorum historiæ, qui in luxuriam prolapsi, infamiam & mortem non effugerunt. Ex quibus Sex. Tarquinius exemplo esse potest: nam exinde post Lucretiæ torum Tarquinij nomen nullum est: iacuerunt diademata, sceptra, purpura: & orbis Imperio in impuro filio perpetuò pater exuitur: vbi enim coniugalis tori indignatio efferbuerit, non generi, non ætati, non Regno, non sanguini parcit. Magnos viros etiam fregit luxuria, Vrbesque & Regna euertit; vt refert Valerius M. *Campana luxuria perquam vtilis Ciuitati nostræ fuit: inuictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum Ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vsu lasciuiore ad somnum & delicias euocauit: ac tunc confracta & contusa Punica feritas est. Quid ergo his vitijs fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur? adeo vt nescias, ab hostibus, an ab illis capi pernitiosius sit.* Sed hæc inter alia multa: de Regibus exempla funesta longum esset plura referre in hoc argumento. C

FIDES SERVATA.

INTER cæteras virtutes tenaces fuerunt Romani in Fide data seruanda: seruauit eam A. Seuerus Imp. de quo Lamprid. *Certum est eum numquam id quod proposuerat fefellisse: cum diceret nolle ab aulicis suas vendi dispositiones.* Omnis enim Principis sponsio pro iurata esse debet, & sacrosancta promissio omnis. Monet Isocrates Principem: *Verbis tuis maior sit fides, quam aliorum iuramentis.* Turpe Principi concessa negare. Laudatissimus in hoc genere Sextus Pompeius, quià Mena monitus, Augusti & Antonij, quos nauigio exceperat, cæde, orbis potiri Imperio posse, reiecit ille, & fidem seruauit. Excidere enim Imperio maluit quam fidem fallere: maior seruata fide quam Imperio habito, nec Magno Pompeio Patre minor, imo magno Patre maior: Potuit enim cæde duorum imperare: at quod noluerit, inter orbis miracula est ponendum. D

SECRETORVM CVSTODIA.

QVoniam à firma rerum peragendarum sub silentio custodia pendet persæpè Reipublicæ, seu exercitus salus; vt merito dici possit proditor secretorum, vt quoque sit Regnorum proditor: maximè id à Romanis custodi-

A cuſtoditum, vnde proponitur nobis Papyrius Prætextatus nobilis adoleſcens, ex eo cognomen aſſecutus, quod in prætexta & adoleſcentia magnæ indolis, atque ingenij ſpecimen dederit: cum enim à patre duceretur in Curiam, in eaque forte arcana quædam tractarentur, domum reuerſus, interrogatus à matre, quidnam in Senatu eſſet actum? Reſpondit, vt duæ vni nubere poſſent. Qua re inter matronas ſparſa, manè gregatim ad Curiam concurrunt, multò æquius eſſe clamitantes, duobus vnam nubere: cuius clamoris cauſa tandem intellecta, Senatus Papyrij in ætate taciturnitatem admiratus: ſoli in poſterum ex æqualibus aditum conceſſit in Senatum. Timendum inde ſanè eſt; quomodo imprudens filiorum, ac parentum amor, aut nocturnæ vxorum blanditiæ, aut amicitiæ neceſſitudo, aut domeſticorum fiducia occultanda extorqueant. Et verum eſt illud Curtij: *Res magnæ ſuſtineri non poſſunt ab eo, cui tacere graue eſt.* Nec minus illud Hieronymi monitum: *Si quis voluerit tuis miſceri amicitijs, & hunc videris prioris amici pandentem ſecreta, hunc veluti perfidum caue.* Prodet ille ſecreta Principis, ſi quæ vel leuis offenſa
B nata, vel lucri ſpes maioris occurrat. Commendatum in hoc genere illud Metelli: *Si tunica conſiliorum meorum eſſet conſcia, detractam in ignem mitterem.* Imitetur Princeps pulchrum illud inter Romana incunabula: *Arcana conſilia PP. Conſcriptorum multis ſæculis nemo Senator euulgauit. Cum non vnum ſed neminem audiſſe crederes, quod multorum auribus fuerat commiſſum. Nunquam taciturnitatem optimum, ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum labefactari volebant.*

BENIGNAS AVRES ET VVLTVM HILAREM Præbuerunt Romani.

QVoniam æquitatis magnam opinionem ingenerat animis promptitudo, ac facilitas, de tali prærogatiua Romani gratulabantur; & inde imperium lubditi patiebantur. Quam vero grata ſemper, Doctorumque calamis laudata fuerit facilitas iſta; docet in Auguſto Sueton. *Promiſcuis ſalutationibus admittebat & plebem, magna comitate adeuntium deſideria excipiens.* Et in Veſpaſiano: *In principatu maturus ſemper, ac de nocte vigilabat: deinde perlectis epiſtolis, officiorumque omnium breuiarijs, amicos admittebat: ac dum ſalutabatur, & calceabat ipſe ſeſe, & amiciebat; poſtque deciſa quæcunque obueniſſent negocia, geſtationi & inde quieti vacabat.* Nimirum non niſi deciſis omnibus. Idem in morbo qui illi fuit vltimus: *Non minus muneribus Imperatorijs ex conſuetudine fungeretur, vt etiam legationes audiret cubans, aluo repente vſque ad defectionem ſoluta, Imperatorem ait ſtantem mori oportere: dumque conſurgit ac nititur, inter manus ſubleuantium extinctus eſt.* Verè iſte Imperator: momentum etiam vltimum alijs voluit dare, ne illud tranſmiſiſſe videretur inane. Idem apud Sueton. in Tito: *Animos hominum obſtinatiſſimè tenuit, ne quem ſine ſpe dimitteret; quin & monentibus domeſticis, quaſi plura polliceretur quam præſtare poſſet; non oportere ait quemquam à ſermone Principis triſtem diſcedere. Atque etiam recordatus ſuper cœnam,*
D *quod nihil cuiquam toto illo die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi.* Sed audiamus vocem audaciæ plenam in fœmina, facilitatis in Imperatore Adriano, ex Dione: *Tranſeuntem quondam mulier rogauit, vt ſe audiret; cum ille reſpondiſſet, otium mihi non eſt; illa deinde clamans ait, noli ergo imperare; tunc conuerſus illam audiuit.* Pulchrum etiam Lampridius de Alexandro Seuero: *Moderationis tantæ fuit, vt nemo vnquam ab eius latere ſubmoueretur, vti omnibus ſe blandum affabilemque præberet, vt amicos non ſolum primi & ſecundi ordinis, ſed etiam inferiores ægrotantes inuiſeret.* De Traiano Eutropius: *Amicis illum culpantibus quod nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit, talem ſe Imperatorem eſſe priuatis,*

uatis, quales esse sibi Imperatores priuatus optasset. Simile in Antonino Pio Capitolinus: *Senatui tantum detulit Imperator, quantum cum priuatus esset, deferri sibi ab alio Principe optauit*. De M. Anton. Philosopho Herodianus: *Adeo ciuilem sese, & commodum omnibus præstabat, vt adeuntium cuiusuis dexteram placide daret, neminemque à suis custodibus prohiberi aditu pateretur*. De Constantino Nazarius: *Quid? faciles aditus: quid? aures patientissimas: quid? benigna responsa: quid? vultum ipsum augusti decoris grauitate hilaritate permixta, venerandum quiddam, & amabile renidentem, quis digne exequi posset?* De Theodosio Pacatus: *Creber egressu, expectantibus Populis te fateris, nec videri modo patiens, sed facilis adiri, è proximo accipis vota omnia tuorum*. Nec alia res plus excitat venerationem, & amorem erga Principem. Accepisse se subditus beneficium credit, cum faciles Principis aures nactus fuerit, licet non consequatur quod petit: & sæpe negatio mollibus vestita gratior est tristi morosaque largitione. Perdit namque decorem extorta concessio, & carè emisse se putat, iustumque pretium numerasse, qui magnis precibus munus expressit. A B

Lætitiam quoque Romani erga sibi subiectos vultu præseferebant: quoniam mœror & tristitia diffidentiam pariunt. Hilaritudinem quamdam deposcunt præmia, si placitura sunt: nec munera placere sciunt mœrente manu, & ore concessa. Vincet animos suorum Princeps, qui læto vultu & ore excipere suos didicit: pro quo etiam ærario omni destituti, gaudebunt illi vitam ponere. Quid vero lætitia & mœror posset, sciebat sapiens Prouerb. 15. *Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deijcitur spiritus*. Tristis vero Principis facies abit in contemptum, & neglectum, imo in odium. E minimis ferè maxima semper in Regnis nata: nec parua censenda sunt, quæ periculorum, damnorumque magnorum ingentem secum molem trahunt. Prudens ex aliorum infortunatis euentibus metitur suos, & in aliorum damnis, periculisque euitat sua.

Non defuit tamen in Romanis Principibus veneratio, quæ opinione magis quam viribus continetur, nec imperare valet illo, qui contemnitur: fastum tamen illi exuebant: porrò odiorum origo est fastus: & miserum est affectu carere suorum, vt quoque beatum arcana pectorum omnium possidere, quibus particeps non est fastuosus. Scio quasdam gentes augustiorem quamdam seueritatem, ac maiestatem in Principe suo desiderare; sed nulla tam barbara est, quæ superbo Principe gaudeat. Plenæ sunt omnium gentium vernaculæ historiæ, & vt reliquos taceam, intueamur Sennacherib, Nicanorem, Holofernem, Maximianum, Iulianum; & quorum timemus exitum, timeamus vestigia; quoniam nulla potest sub superbo vertice Pax diu stare: inde enim ferè bella Ciuilia & externa nascuntur; à superbia etenim hæc tanquam riuià flumine defluunt: excindamus superbum, bella deerunt, & pax occupabit Orbem: cum nimis verum sit illud Pacati: *Indiscreta felicium pedissequa superbia: vix cuiquam contigit abundare fortuna, & indigere arrogantia*. Nobile documentum in Timoleonte Siciliæ vindice Probo teste habemus: *Nihil vnquam neque insolens, neque glorioſum ex ore eius exijt: qui quidem cum suas laudes prædicari audiret, numquam aliud dixit, quam se ea in re Dijs maximas gratias agere atque habere, quod cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum Ducem esse voluissent*. Vox etiam digna Christiana purpura. C D

AMOR

AMOR APVD ROMANOS POTIOR Quam Timor.

A SAlus Romani Imperij certa in Ciuium beneuolentia consistebat: exitium porrò ab odio, quod à Timore procedit: nam & longè valentior Amor est ad obtinendum quod velis, quam Timor: hic abit, si Princeps recedat; manet tamen Amor: & vt ille in odium, hic in reuerentiam vertitur. Amantes quacunque fortuna stabunt; timentes non vltra vim & potentiam, qua semota ex seruis hostes deueniunt.

Testes sint nobis Romani recentiores Imperatores; qui post quam longè lateque Imperium extenderunt, subacta Regna milite continebant: quibus cum deindis Imperij opes non sufficerent; &, seruorum se non sociorum loco haberi prouinciales sentirent; è militari præsidiariorum libidine, ac insolentia in desperationem acti, mutuo se exhortantes iugum excutiebant: sed & miles nouarum rerum cupidus, nouos Imperatores eligebat, quia nouas B prædas amabat. Hinc tot non rarò Cæsares, quot exercitus Roma vidit: inde Imperij declinatio, cædes Vrbis, & Orbis deuastatio, & demum ruina; vt diximus supra. Quod certè non contigisset, quando prædicti recentiores Imperatores amore, & beneuolentia continuassent Regna & prouincias, æquando præmijs pœnisque, quos virtus, aut scelera æquauerant, nullo discrimine habito Romanus an esset quispiam, vel alienigena: sciebat hoc Annibal, cuius illud circumfertur: *Carthaginensis mihi erit, qui hostem strenuè feriat.* Porrò Ciuem Annibali virtus procreabat, non Carthago dabat: à virtute nimirum illi, non ab vtero erat discrimen: quoniam non à seruitute, aut à metu, sed ab amore virtus procedit. Curabit igitur Princeps tanto in suos se benigniorem esse, quanto sit fortuna præstantior; cum Amor Populi inexpugnabile munimentum sit illi; non minus quam ferrum, arma, & custodiæ extitissent: nam qui in armato milite præsidium regni & securitatis suæ ponit; necesse huic est non minus armatas suorum dexteras timere quam C hostiles inhorrescere: ac hostes esse illi incipient, vbi amare desierint. Amoris maximi hæc signa sunt in Augusti morte: *Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda, eo studio certatim progressus est; vt inter alia complura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum, præcedente victoria, quæ est in curia, canentibus næniam Principum liberis vtriusque sexus: alij exequiarum die ponendos annulos aureos, ferreosque sumendos: alij vt omne tempus à primo die natali ad exitum eius sæculum Augustum appellaretur; & in fastos referretur. Senatorum humeris delatus in Campum. Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & discalciati, pedibusq; nudis, ac in Mausoleo condiderunt.* Nec possent maiora filij in optimum parentem amoris signa dare. Paria propè habemus de Tito mortuo. *Quod vt palam factum est, non secus ac in domestico luctu mœrentibus publicè cunctis, Senatus prius quam edicto euocaretur, ad curiam cucurrit, obseratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudesque, quantas congessit ne viuo quidem atque præsenti.* Quid non facit Amor? audi laudes apud Spartianum n Adriano: *Cum* D *in amore omnium imperasset, atque ab alijs modo frater, modo pater, modo filius, vt cuiusque ætas finebat & diceretur, & amaretur: vocatis amicis & irridens res humanas, mortem autem contemnens, ad amicos dixit. Quid me fletis, & non magis de communi morte cogitatis. Quibus dictis, vltimum diem clausit.* Felicem diem; quando Christianum lumen non defuisset Adriano. Illud etiam vouendum Regibus quod refert Aurelius Victor in Antonino Pio: *Adeo adamantibus eum cunctis Regibus, nationibusque; vt Parentem, seu Patronum magis quam Dominum, Imperatoremue putarent: omnesque vno ore in morem cælestium propitium optantes, de controuersijs inter se Iudicem poscerent.* Non fuit in hac re Imperatorum postremus Traianus, de quo Dio: *Amari & obser-*

uari quam timeri malebat. Et Patris magis quam Domini aut Imperatoris loco haberi. A

CONTRA MVNERA INVICTI.

INuictos contra munera Romanos fuisse constat. Magnum roboris huius exemplum in Curio est; ad quem cum Samnitium Legati, vt refert V. Maximus lib.4. cap.3. *ingens auri pondus, publicè missum attulissent, benignis verbis inuitatus, vt eo vti vellet; vultum risu soluit; protinusque, superuacuæ, inquit, ne dicam ineptæ legationis ministri narrate Samnitibus: Curium malle locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem; atque istud vt pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote: & mementote me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse.* Nec inferioris stuporis in Q. Aelio Tuberone: *Cui consulatũ gerenti, cum Aetolorum gens omnis vsus vasa argentea magno pondere, & exquisita arte fabricata, per Legatos misisset, qui superiori tempore ad eũ gratulandi causa profecti, retulerant fictilia se in eius mensa vasa vidisse: monitos, ne continentiæ, quasi paupertati succurrendum putarent, cum suis sarcinis abire iussit.* Etiam hostis cum dona admiserit, victus iacebit: plus hæc quam arma possunt. Hinc illud scitè dictum: *Speciosius iniuriæ beneficijs vincuntur, quam mutui odij pertinacia.* Non premo silentio Fabritium Luscinum, de quo illud Valerij: *A Samnitibus decem æris, & quinque pondo argenti, totidemque seruos sibi missos, in Samnium remisit, continentiæ suæ beneficio: sine pecunia prædiues, sine vsu familiæ abunde comitatus; quia locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare. Ergo domus ipsius; quemadmodum ære, & argento, & mancipijs Samnitum vacua; ita gloria ex his contemptis parta, referta fuit.* Fortis animi dignum præmium. Palam si dentur munera, minus improbanda; vt in Legato vsu ferè receptum, ne indonati dimittantur. Clam erogata non immeritam suspicionem ingenerant fidei, non dicam violatæ, sed aliorsum flexæ. Quæ vero ad tentandos corrumpendosque animos dona porriguntur, omni morte infestius fugienda. Exemplo est Phocion Athenienſis, qui Alexandri Legatos rogans, cur cum plurimi Athenienses essent, sibi soli Regis sui nomine duo talenta offerrent: cum ex ijs audisset, vnum se illum virum bonum, & honestum iudicasse: *Ergo sinite*, inquit, *me talem haberi & esse*, & reiecit donum. Eadem à Scipione habemus, qui ingentia Antiochi dona spreuit: eadem in Xenocrate, Lysandro, Pompeio. Neglexisse etiam Demonsthenem Philippi dona: adeoq; & Romanos munera reiecisse, vt sint, qui referant pulchrum illud, & omnis posteritatis memoria dignum: *Vt Cyneas Pyrrhi legatus neminem Romæ inuenerit, cuius domus muneribus pateret.* Non est ambigendi locus, quod amare incipimus, cuius munera amamus: abijt enim in donatorem munerum amor; ita & quæ à mari flumina exeunt, in mare redeunt. B C

Consueuisse vero Romanos à Legatis munera palam oblata accipere, variarum gentium historiæ tradiderunt. Simonis clypeum aureum admiserunt, Carthaginenses, & Hernici Legati coronas aureas & similia. Dare etiam munera legatione functis tanquam hospitalitatis quoddam pignus, solitos historiæ docent. Verum & hostium Legatos non minore munificentia haberi debent, quo cultus ab illis maior; ita hostilitatem simulari, si simulationi locus; sin minus generosos & infractos animos ostendi, metum non ostendi. D

Hæc de aliquibus Romanorum *Virtutibus* moralibus delibasse sit satis: quoniam pro Virtutum magnitudine, crescebat apud illos magnitudo præmiorum; nec irremuneratam, nec illaudatam vllo modo Virtutem cuiuspiam suorum patiebantur Romani. Adeoque is illis maior, illis carior, qui

Vir-

A Virtute præstantior esset; nec vllo natalium, seu rei alterius in hac discrimine habito.

Doctrina & animi cultus: ac etiam Mechanicharum Artium cura apud Romanos. Cap. XXVII.

NON morales solummodo Virtutes prisci Romani appetiuere, verum & doctrinis, seu scientijs studuerunt: atque adeo à condita ipsa Vrbe ad Romæ viguit, vel potius ante eam, vt referant Dionysius & Plutarchus: *Romulum, & Remum litteris, & omni liberali doctrina institutos Gabijs fuisse.* Nam expolitum Romulum, & sequentes item Reges fuisse, & multa
B Græcanica instituta in moribus comparasse credendum est; adeo verum est, vt ipsa Græcia in magnam Italiæ partem, cui & nomen reliquit, fuerit transfusa. Exoleuisse tamen hæc paulatim vsque ad bellum Punicum secundum raras Romæ, vel elegantias, vel litteras tunc fuisse; quoniam Mars, & horrida virtus omnia obtinebant. Capta dein ipsa Græcia, victores iterum illa cepit, & feliciter artes suas intulit, & diffudit. Magno gradu tunc itum ad variam doctrinam, & maximè ad eloquentiam, vt quæ coniuncta rebus gerendis, & aptissima gubernantibus esset: mox historia successit & Philosophia; ibi domicilia legum, gymnasia litterarum, curia dignitatum; & quidquid ad animos, moresque colendos, aut honestè oblectandos facere videretur: quamuis non omnes passim, nec nimis ad ea se darent, sed primates ferè, & ij qui erant in Republica, vel ad eam se præpararent: ex eo enim triplici ordine Plebs ad militiam adspirabat, neque studia & animi cultum adsumebat: Senatores & Equites modum etiam plerique in litteris seruabant;
C vt quatenus opus haurirēt, & ad vsum transferrent; talis Scipio ille posterior, talis Corn. Sulla, Pompeius, Lucullus, Cæsar, & alij quicunque eminentes postea fuerunt; quod & Thucidides Athenienses suos profiteri facit lib. 11. *Elegantes sumus sed cum parcimonia, philosophamur, sed sine mollicie.* Idque constantissimè Romani veteres sibi vindicarunt: itaque studium hoc doctrinæ penes eos publicè viguit; & magnos in illa Romanos fuisse accepimus ex Liuio: *Parua sunt hæc, sed parua ista non contemnendo, maiores nostri maximam hanc rem fecerunt.* Inde Doctores paulatim in priuatis Principum ædibus, mox in publico & stipendijs publicis auditi, conducti, & præmijs affecti: hinc C. Cæsarem, vt refert Sueton. *Omnes liberalium artium Doctores, qui Romæ essent, Ciuitate donasse.* Qui summus extero honos nulla pecunia æstimandus. Vespasianus ex Sueton. *Ingenia & artes maxime fouit: primus è fisco Latinis, Græcisque Rhetoribus annua centena constituit: præstantes Poetas, necnon artifices coemit.* Pompeius etiam Theophanem Mitylenæum ciuitate donauit; & sic de alijs.

D Ex hoc numero exsurrexerunt Poetæ, Oratores, Historici, quorum calamis, nec mori Roma, nec Principes eiusdem potuerunt. Quos si sustuleris, quæ regna, Reges, Principes, viri magni viuerent? sepulti cineribus iacerent, sine discrimine sceptri & ligonis. Bene Lyricus. *Aeterna eruditorum memoria*

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte: carent quia vate sacro.

Amica naturæ sint, quæ vitam sepulto Domino spondeant, quæ largiantur, quæq; adeo nobiliore illum vita donent & viuere cineres doceant.

Sanè

Sanè magna Parentibus debemus: quod etenim sumus, illorum est; sed plura doctis; quoniam nunquam morimur. Illi vitam dederunt, sed perituram, nec vltra mortem vitam: hi etiam post mortem viuere docuerunt omnium lectorum oculis, auribus, animis. Quo plus scriptoribus quam parentibus debemus, cum ab illis non morituram, ab his morituram vitam acceperimus. A

Et certè nulla res alia longiorem vitam possessori suo dabit non opes, non purpura, non sceptra, non bella; sicuti lectionem, litterasque amanti contingit: nam quam paucos opulentos, sæculum non alterum, sed nec suum nouit, & cum vita purpuram posuerunt: & quot sceptra cum corpore integuntur terræ, & fuisse nescias? At vero eruditorum virorum memoria viuet æterna: nonne vnus in paucis pagellis Minutius Felix, vnus in paucis versibus Iuuenalis, in paucioribus etiam Persius, sæpius in ore & doctorum calamis, quam mille per regna sparsi exercituum ductores? vt plus proinde meritò à litteris sperare quisq; debeat, & possit, quam ab illustribus triumphis: cognouit hoc etiam Seneca ad rem nostram his verbis: *Mihi certius videtur, ingenij quam virium opibus gloriam quærere, & quoniã vita, qua fruimur, breuis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere.* Et subdit idem Seneca: *Vnus dies hominis eruditi plus patet, quam imperiti longissima ætas.* Quorum eruditorum nomina omnium calamis, oreque laudata memoria viuet perennis, quanquam densissimo silentio Reges plurimi reperiantur obuoluti: vitam litteræ dederunt, & ab altissima obliuionum morte vindicarunt. B

Exsurrexerunt ex his etiam Mathematici, Philosophi, Medici, Iurisconsulti, Theologi, regnorum lumina, sine quibus noctibus potius quam diebus prouinciæ inuoluerentur. Sciebat hoc magnus Alexander: nullis proinde perpercit donis in Anaxarcho, Xenocrate & alijs. Sciebat Augustus Virgilio amicissimus, Andronicus etiam & Gordianus Imperatores: Dionysius tyrannus Platonem amauit: doctissimum quemque Regni munijs admouebat Alexander Seuerus, de quo Lampridius: *Præficiebat rebus litteratos, & maximè eos, qui historiam norant; requirens in talibus causis, quales in disceptatione versabantur veteres Imperatores, vel exterarum gentium fecissent.* Vsitatum hoc etiam apud Sinas: apud quos è sola eruditionis magnitudine dignitates, prouinciarumque gubernacula administrari videmus. C

Eruditio iuuentutis.

Non mirum inde est, quod viros vndique doctos præmiorum magnitudine Romani inuitarent; cum Magistrorum fere mores in adolescentum migrent ingenia: optimos proinde iuuentuti instituendæ magistros deligebant illi, quorum & virtutem iuuenes imitarentur, & monitis erudirentur. Eruditio enim sine virtute obesse plus quam prodesse solet, arrogantiæ mater: virtus sine eruditione magno ad magna destituitur adiumento: vtrumque si iunxeris felicitatem parit. Iacent sane ingenia si desint quiexcolant; ita fœcundissimi sterilescunt, aut silue scunt agri, & in ignobiles transeunt cespites, glebasque si cultura sua frustrentur. Vt verum sit illud Senecæ: *Potest ex casa vir magnus exire: potest ex deformi humilique corpusculo formosus animus & magnus: quosdam itaque mihi videtur in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco nasci.* Et quis dubitet in animis culturam posse, quod in terra? quanti nunc rident horti inter saxa inhospita & rupes? quantæ Vrbes derasis montibus superbiore ludunt vertice? hic mella sudant, ibi saccarum; & quidquid vlla ætas vllo regno vidit in delicijs, in ferarum antris & solo solis saxis fœcundo nascitur: florent alibi omnium gentium frondes & flores derasis ope humana rupibus, iniectaque peregrina terra, quæ peregrinos alat fructus; ita loco non suo alunt rupes alibi nata felici transmigratione. Quanto maiora in homine natura in omnem partem molli & flexili pari cultura poterit. Quamquam felicior sit ille, quem ingenij bonitas & magnitudo, nulla prope aliena industria & cultura, sed propria eduxit sua. D

Nec

A Nec tamen maxima ſemper ingenia deligenda tanquam regno optanda: dum enim magnarum rerum ſpes eſt, accedit tunc etiam metus deteriorum; & quantum ferè à ſublimibus illis ingenijs eſt ſpei; periculum tantum eſt, quod metus ſuperet. Mediocria ingenia magis tuta regnis: duci ſe patiuntur, conſilia admittunt; ac vt dicam, feſſorem recipiunt: Priora ferè excutiunt, nec fræna ferunt, nec calcaria imperij patientia: mediocria quo voles, duces, neque regna cogitant, nec domini purpuram, ſorte contenta ſua. Iam cum prima confidentia quadam ſui laborent, cui adſociata temeritas; poſteriora alterius potius conſilijs, quam ſuis regantur, nec niſi diu & ſerio cogitata cum aggrediantur; fit vt maturius ſua peragant. Quare mediocria ingenia Imperio tutiora reputantur. *Mediocria ingenia aliquando optanda.*

Nulla vero re alia magna ingenia illa quam ratione & amore temperanda; frequenti etiam narratione & lectione eorum, quæ ad virtutem ducunt; maximè exemplorum, in quibus variante fortuna res humanas, ſubiti & funeſti nimium caſus, præcipitia præruptis adiacere, alta fulminibus obnoxia; nec
B vlla in re plus, aut luſiſſe fortunam, aut ſæuiſſe quam in ſummis, aut ſumma petentibus. Quæ vero puero tum propoſita & decantata, inculcata iuueni, magnas moderandæ menti cogitationes iniiciunt, & tanquam effuſo flumine flammas reſtinguunt, ardorem temperant, mitigant furores, audaciam frangunt, temeritatem reprimunt.

Non diſciplinas & animi cultum tantũ inſteterunt priſci Romani, vt in Vrbem ſolum inducerent; verũ & Mechanicarum artium ſoliciti quoq; fuerunt. Alexander Seuerus Imp. teſte Lampridio: *Mechanica opera plurima Romæ inſtituit: negociatoribuſque, vt Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit.* Imitentur Principes, ſelicibuſque mechanicarum artium progreſſibus ſtudeant, peritos in eo genere foueant, præmijs etiam inuitent: nec pigeat euocare è vicinis remotiſque regnis, immunitatibus quibuſdam etiam conceſſis. Fortunæ ferè in his regnorum conſiſtunt; neque alia re certius Principis ærarium locupletatur, neque maiorem negotiationum,
C merciumque orbe toto inuehendarum, euehendarumque materiam præbet, neque quidquam ab extremis etiam terrarum pecunias, merciumque genus omne potentius euocat: ita vt quod genitum eſt vſquam, id omne in vno regno natum videatur. Creſcit deinde prouincia creſcentibus artibus, non ærario tantum & opibus, ſed hominum multitudine: è quibus & robur additur regno, & regia vectigalia inſigni paſſim incremento creſcunt: è populi enim ferè multitudine, publici ærarij magnitudo pendet. Prouocabit ergo quarumcumque artium peritos, animabit indultis, muneribus etiam alliciet, certiſq; prærogatiuis dotabit, vt venire velint & audeant; & cum meliorem patriam in fortunatiore & opulentiore ſolo inuenerint, patriæ eorundem obliuiſcantur. *Artes mechanicæ.*

Quod decus ab his artibus magnum Regnis accedat, non minus quam à diſciplinarum eruditione, aut bellica virtute. Proponitur nobis in exemplum Hollandia cum adiacentibus Regionibus; quarum, vt ego in meis itineribus ſpectator fui: artium elegantia & varietas admirationem ſanè parit:
D illam laus ſequitur & valitura in omnem poſteritatem & nouos orbes commendatio. Cuius tellus aquoſa maiori ex parte; quamuis pauciſſimas tantum arbores; fruges etiam pauciores producat: vinum nec tellus gignit: linum quoque terræ negatum: lanarum penè eſt expers: lignorum materiam hæc terra non producit; & nihilominus plura in ea ſtruuntur nauigia, plures lignei aggeres quam in reliqua penè Europa. Pannificium excolunt, & quidquid à lanis vlla arte parari poteſt; ex quibus facile eſt iudicare qualia ſint Hollandorum ingenia. Lineas quoque telas conficiunt toto orbe notiſſimas, quarum cum niue certat candor, cum ſindone tenuitas, cum byſſo pretium. Apparet talis textura floribus, nemoribus, vallibus, montibus, fluminibus, *A mechanicis Hollandia laudatur.*

fonti-

fontibus, rupibus, animalibus omnis generis, menſis, belliſque ad inuidiam rerum ipſarum ludentibus. Prima hæc docuit ætati ſuæ Hollandia in miraculum, poſteritati in æmulam ſequelam. A

Præterea Fundus, ſeu fundamentum opum & fructuum huius terræ in paſcuis ſolummodo conſiſtit; pecori nutriendo, ſaginandoque maximè idoneis: equi vaſto in primis ſunt corpore, admodum etiam pulchri & in belli vſum maxime inſeruientes. Boues & vaccæ in Hollandia (vt ego vidi) cornuum celſitudine, & lactis copia eximiæ; ex quibus tanta conficitur caſei ſimul & butyri vis; vt nō niſi qui oculis adfuerit, induci poſſit, vt credat. Præterhæc paſcua modici fructus ex hac terra redundant: ſupplet in hominibus illis ingenij acumen, vt præter præfatas inuentas artes: etiam in cælatura auri, argenti, æris primus Hollandus, ſeu Belga, malleo ſtyloque ſubſtrata pice cælare docuit, cum ante fuſili omnes ductu laminas in formas cogerent. In æris ſculptura, tenuiori, molliori, venuſtiori, vt calamorum in odium, pennicilli, ductu, quidquid nouè vſquam, quidquid antiquè vicere Hollandi. Artem etiam in eodem ſolo typographicam primus inuenit Hollandus. B De prodigioſo tormentario puluere diſputatio varia, ſed Hollādum vere auctorem faciunt. Deniq; & nomen ab artium elegantia, & inuentoribus magnum Hollandiæ creuiſſe negare nemo poteſt. Acceſsere exinde illi mercimonia, vt arbitreris orbis potiorem partem in illam terram migraſſe: ita quidquid vterque Indus, Arabs, Tagus, Nilus, Tiberis, Danubius, Rhenus, Thameſis, Moſchus, Iber, Sequana diuite produxit ſinu, quidquid Oceano toto, Inſuliſque omnibus natum, firmaſſe in Hollandia videas: vt omnes orbis incolæ cum Sabæ Regina de Mechanicarum artium miraculis exclament lubentes: ſuperant famam, fidemque non magnæ terræ inuenta maxima.

Confutatio. Accidet hoc idem regnis omnibus, ſi artium amatores Principes nacti fuerint. A Principis ergo munificentia res omnis pendet; dummodo vigilantiam & induſtriam addat prudentiæ comites, nec extra regnum patiatur fieri, quod in eo poteſt, nec efferri induſtriæ materiam, nec inferri à mutuatitia à ſe C parata materia. Luſtremus exemplo Hiſpaniam, quæ diues eſt ſerico & lana; & tamen à remotis regnis laneas ſibi, & ſericas mutuatur veſtes, regnorum aliorum emolumento magno, damno ſuo non minimo permittit domi ſuæ nata efferri, vt maiore exinde pretio reuehat. Poterat ipſa Hiſpania ſe metipſam ſerici & panni textoribus ditare, è quibus regia creſcerent vectigalia, nec tanta Populorum ſolitudo regnum teneret: poterat deinde domi ſuæ parata ad alia regna ſubmittere, & vario lucro regnum ſuum cumulare: nunc fœcunditatem, felicitatemque ſuam vltro abijcit, crudamque byſſum, nobilemque lanam aliorum textrinis diuidendam emittit, & commodis ſe, opibuſque, quas benigna fundit tellus, nudat; vt alios etiam hoſtes locupletet. Miſerum ſanè, & fatuitatis quoddam genus tē nudare, vt alium veſtias. Sed quatenus deſint, quibus textile illud opus credatur: non deſint tamen artifici ſua præmia & quædam etiam non noxiæ regno immunitates, & non deerunt vltro operam ſuam ſpondentes. Quod de Hiſpania dico, de reliquis regnis intelligo. Idem omnium iudicium eſto. D

Qualiter Romani ad honores promoti? Cap. XXVIII.

QVoniam Veteres Romani in præmiatione ſolius propè ſemper Virtutis rationem habebant; vt is illis maior, illis carior, qui virtute præſtantior eſſet; nulla ibi diſcrimina nationum, nulla ſanguinis, ſolius

virtu-

A virtutis erant. Et quamquam illi nobilitatem tuerentur: ita tamen, si natalium splendori mores respondèrent; nam ignaua nobilitate nihil turpius; nihil abominabilius est illis, qui sola maiorum gloria magnos se expendunt, cum per socordiam, & luxum paternas opes exhauserint, & inde præmia virtuti debita sperant: cumque maiorum gloriam segnitie, & impuritate, malisque artibus obtenebrauerint, fortium virorum munia deposcunt: inani quodam fastu, quidquid virtute sua magnum est, calcantes: quasi aliena virtute magni, propriaque viduati, præmijs donari debeant: nec vident miseri, maiores se suos damnare, à quorum virtutibus nomen sibi Nobilitatis mutuãtur: quoniam nobilitatem in posteros illi non transmisissent; nisi virtute partam illam habuissent: ac etiam Principes damnandi venirent, qui primi maiores ipsorum præmijs donarunt. Sanè si plebi, obscurisque olim hominibus aditus ad dignitates & maiora fuisset intercluſus, nullam hodiè nobilitatem numeraremus. Et non omne quod nunc clarum est, aliquando in obscuro

B iacuit? inueterascent noui quoque, & inter vetustatis exempla aliquando erunt. Summo itaque iure prisci Romani negligebant & repellebant ab omni honore & publicis muneribus, qui generis claritatem factorum obscuritate contaminauerant; sed in omni genere magnos parare illis curæ erat; & è vicinis etiam remotisque regnis primos quosque virtutibus eliciebant.

Triplex igitur ordo in illo populo erat distinctus; nempè *Senatores*, *Equites*, qui in magistratu, imperijs, & consilijs intendebant: & isti capita Reipublicæ erant. Tertius ordo erat *Populus* seu Plebs, qui parebat & minora membra dicebantur: omnes in suo ordine egregios fuisse, nec quibus alia gens facilè compararetur.

Senatores. Senatores propriè ad clauum sedebant, quorum grauitas, sapientia, & maiestas expressa per Liuium lib. 9. his verbis: *Ex Regibus constare dixit, vnus veram eius speciem cepisse*; is fuit Cyneas legatus Pyrrhi Regis, ingenio sagax, qui cum Vrbem lustrasset atque etiam blandiloquentia & munificentia variè tentasset, ad Regem redijt, & interroganti, vt refert Florus lib. 1.

C cap. 18. *Quid de hostium sede sentiret? Vrbem templum sibi visum, Senatum Regum esse consessum, fatebatur*. Cassiodorus de suo æuo inquit: *Vrbs ornata eximijs Senatoribus, beata tam nobilibus Populis*. Et si tunc quidem declinante Imperio ab illa præstantia defeciſſe, & vt grande ædificium paulatim sua mole mox ruisse, constaret.

Erant autem in illo Senatu eximij Ciuium, Genere, Censu, Virtute. Nam hæc spectabant: nec temerè viles, aut sordidos (etsi plebeios aliquando, quos magna virtus eueheret) inopes nunquam, & improbos rarò admittebant; aut si tales aliquando recepissent, non eos tenebant. Censores namque hunc Senatum legebant: atque ijdem per singula lustra examinabant ac relegebant; & si quis loco eo indignus, aut si quid in priuata etiam vita turpe aut maculosum notabant, etiam emouebant à Senatu. Fiebat autem id silentio, & sine accusatione, & absque cognitione causæ apud Iudices; recitando dumtaxat in Senatu (quod publicè, & solemniter fiebat) & nomen

D illius prætereundo, quem motum Senatu vellent; ita cum in albo illo non esset, nec in Senatu censebatur. Causa quidem ijs mouendi semper erat, & hanc subsignabant, & volentibus edebant: sed certare de ea lite, nil opus erat; & iudicium à tam grauibus viris sufficiebat, & approbatio habebatur: & si per affectum aliquando iudicassent (quod rarò eueniebat) alij Censores mox reponebant.

Numerus autem eorum, qui in Senatu essent electi; initio à Romulo centum erant; & Patres, ijdemque Senatores; vel à cura, vel ab ætate dicti. Postea ad trecentos creuere, & in libera Republica sic mansere vsque ad Liuium Drusum. Is in Tribunatu, cum opes Senatus vellet extollere, eosdem iudicijs etiam proponere; numerum auxit, & ad sexcentos fecit. Man-

 sisse

fisse ita vsque ad Cæsarem, qui per bella Ciuilia non opes solum, sed honores multis largiturus, amplificauit, vel etiam ad mille allegit. Displicuit id Augusto, & magna cura, atque iterata recensione purgauit: & denique ad modum veterem, ideſt sexcentos, redegit; atque ex his plerique non solum consilijs publicis semper adhibebantur; sed etiam in prouincias ad imperia, aut exercitus mittebantur. Itaque Curia hæc velut promptuarium erat, è quo statim Princeps caperet viros ad omnia ciuilia, aut militaria munia aptos. Et hoc aspectu tenuerunt Senatum, grande vel vnicum fulcrum illius Principatus. Otho Imperator ipse apud Tacitum 1. hist. inquit: *Quid? vos pulcherrimam hanc vrbem domibus, & tectis, & congestu lapidum stare creditis? muta ista hæc & inania intercidere, ac reparari possunt: æternitas rerum & Pax gentium, & mea cum vestra salus incolumitate Senatus seruatur.* Plurima de Senatu Elogia veritati conformia adducuntur à scribentibus, inter quos Cicero inquit: *Senatum principem salutis, publicæque mentis.* legimus in Ammiano de illo: *Asylum mundi totius.* In Cassiodoro: *Gloriosum Senatum, morumque lumina.* In Tacito dicitur: *Caput Imperij, & decora Prouinciarum omnium.* Fit mentio de Prouincijs, quoniam ditissimi, honestissimique earundem Ciuitate donabantur, equites fiebant, mox Senatores: & hoc inuentum ad Populos sub vnum Imperium firmiter colligendos; vt scripsit Symmachus: *Pars melior humani generis Senatus.* Cassiodorus: *Quidquid humani generis floris est, habere Curiam.* Et Panegyricus scriptor inquit: *Sensisti Roma te tandem arcem omnium gentium, & terrarum esse Reginam; cum ex omnibus Prouincijs optimates viros Curiæ tuæ pignoraueris, vt Senatus dignitas non nomine, quam re esset illustrior; cum ex totius orbis flore conflaret.*

Equites. Alter autem Ordo ab hoc diuersus erat *Equitum*: qui & ipsi ab illis tribus notis probabantur. Nam de Genere, multi erant è Senatoribus, & Patribus orti: & certè Liberti, aut Libertini, nec si Censum haberent (nisi beneficio Imperatorum) in hunc ordinem veniebant. Quod inferiore etiam æuo Alexander Imp. seruauit, de quo Lampridius: *Numquam libertinos in Equestrem locum redegit, asserens Senatorum seminarium Equestrem locum esse.* Erant autem ex ingenuis multi, & ferè omnes, qui censum Equestrem haberent: is fuit *Quadringentorum*; ideſt decies mille scutorum. Igitur latus hic ordo & amplus; vt tunc opes plerisque amplæ erant: & ideo quod ad Vitam spectabat, sæpè coercendus, aut recidendus ille veniebat per Censores, cum ordines per lustra singula recognoscebant. Nam & hic quoque album, siue tabulæ erant, & recitabant: quique primus ex ijs nominatus erat, *Princeps Iuuentutis* dicebatur. Dicebatur *Iuuentutis*; non quod omnes Equites essent iuuenes; quoniam ex his viri plures, & senes erant: sed causa & origo, quod olim prima Repub. pauci Equites, nec ferè nisi filij Senatorum. Creuit paulatim largiter numerus, & magnam Ciuitatis, aut Ciuium partem comprehendit; sed nomen tamen Iuuenum mansit: vltra quod & iuuenes priscis temporibus ad annum XLV. dicebantur.

At quoniam de Senatorum filijs mentio est habita: in hoc aduertendum, non illos omnes Senatorij, aut Senatores deueniſse. Aliud namque Senatus, aliud Senatorius ordo. Ille certo numero stetit sub Augusto intra sexcentos: at alter iste Senatorius ordo latius patuit, & iuuenes quoque ac Senatorum filij, sed & alij Equites in eum cooptati. Censebantur enim Senatorij, qui ius Lati claui à Principe impetrassent; ideſt insigne ipsum Senatorum: & in Senatum ij quidem veniebant, sed sententiæ ius non habebant. Institutum enim Augusti fuit, vt refert Suetonius: *Liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus à virili toga latum clauum induere, & Curiæ interesse permisit.* Sed hoc ita restrictè in Senatorum filijs, vt inquit Dio lib. 59. postea Caligula etiam alijs quibusdam Equitibus permisit, sed sic vt ab ipsis peteretur: talis est Iulius Montanus apud Tacitum ibi: *Senatorij ordinis,*

A *ordinis, sed qui nondum honorem capessisset.* Intelligit hos iuuenes, qui nondum propriè Senatores; sed vt ita dicam, senaturiebant. Hi sunt Illustres Equites, quos palam cum Senatoribus iungit, & coæquat Augustus, de quibus Tacitus inquit: *Augustus inter alia dominationis arcana, sepositi Aegyptum; vetitis ingredi, nisi permissu, Senatoribus, aut Illustribus Equitibus Romanis.*

Equites erant in vario genere & discrimine diffusi; nempè qui *Equo publico*; & hi tempore Halicarnassæi, ideſt, Augusti ad quinque millia, aut supra, vt ipse numerauit: erant quoq; Equites, qui in iudicibus; & isti satis plures, vt ex Plinio refertur, ibi: *Iudicum non nisi quatuor Decurias fuisse primo, vixque singula millia in Decurijs, nondum prouincijs ad hoc munus admissis.* Cum & Caligula quintam Decuriam addidisset. Atque isti Equites illi quos Perseus Rex apud Liuium lib. 42. ita laudat & insignit: *Equites enim illi, Principes iuuentutis; Equites seminarium Senatus; inde lectos in Patrum numerum, Consules, inde Imperatores creant.*

Supereſt Tertius Ordo Plebis, qui triplici constabat discrimine; nempè
B ex Ingenuis, Libertinis & Libertis: & in militia discrimen erat ab hoc genere; itemque à Censu, sicut & in alijs munijs, quæ publicè subirent. Eiusdem Plebis vita erat etiam Censuræ permissa, quam tamen neglexisse postea Imperatores constat; cum præcedentes duos superiores ordines satis recognouisse supponerent.

Dignoscebatur in occursu hæc triplex ordinum distinctio, ab habitu potissimum: nam etsi toga communis omnium Ciuium vestis esset; tamen discrimina alia ab alijs notis: vt solis Senatoribus, aut præfatis quasi Senatoribus ius Lati claui gestandi erat: quod non aliud quam velut Bullæ è purpura & capita clauorum intexta, aut inserta. Equitibus autem Aurei annuli, qui
C hunc ordinem, vt Plinius ait, à Plebe distinguebant. Qui autem his duabus notis carebant, Plebs erant.

Hæc attigisse sufficiat pro cognoscenda qualitate honorum, & ordinum discrimine inter priscos Romanos: qui quamuis etiam hæc iuxta Genus, & Censum aliquando dirigerent; potissimum tamen in ijs Virtutes respiciebant, pro earum magnitudine crescebat magnitudo præmiorum: nec irremuneratam nec illaudatam vllo modo virtutem cuiuspiam Romani patiebantur; vt etiam exteri in Ciuium numerum adscripti communi cœli benignitate summum non rarò honoris apicem attingerent: vt etiam in præsens tempus in hac eadem nostra Vrbe, non solum exteris, verum & incognitis penè viris; sed sola virtute illustribus, ad summum Romanæ Ecclesiæ Pontificatum ascendere aditus patefiat.

Mystica consideratio.

Hoc maximè rationi congruum; cum & ipse Deus præmijs suos alliciat, & ditioribus factis opulentas sponsiones exornet: ille namque docuit vastas inhabitare solitudines & extremam paupertatem pati: nemo vltronea susciperet tormenta; cum in flecures & ignes pueri puellæq; inuolarent: nemo diademata, & purpuram, & opes, & nobilitatem, & regium contemneret genus; & si tollerentur promissa cœlo præmia, neminem inueniremus continentiæ
D amatorem: nec quispiam vnquam se monasteriorum vinculis astringeret, & innatam animo libertatem compedibus arctaret; si reposita cœlo præmia fuissent ablata. Eadem prorsus in humanis cogitemus: quis pro Regno, Regeq; sanguinem sparget irremunerandum? quis vitam ponet, si vulnerum, si fusi sanguinis, si vitæ præmia nulla sint? Nullam ergo Princeps si florentem Rempublicam volet, virtutem sine mercede transeat: dixit enim Orator: *Quis virtutem amplectitur ipsam, Præmia si desint.* Vt nec facilè maleficium aliquod graue, & Reipublicæ nociturum impunitum abire sinat: pœnis præmijsque regna firmantur: quibus sublatis magnam omnium perturbationem sequi necesse est.

Romani à sceleribus excusati. Cap. XXIX.

QVamuis fraudulenti quidam ex Romanis, aut perfidi fuerint; quidam Raptores, aut Crudeles; Luxorioſi quidam; Cibis, & alijs illecebris carnis dediti: ea etenim eſt proſperitatis natura, vt diuitum præcordia ad libidinem emolliat, ad miſericordiam induret, Lucas cap. 16. *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè: & erat quidam mendicus (* & infra *) cupiens ſaturari de micis, qui cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat.* Graue itaque fuit ſcelus claudere viſcera, ne benefaceret: quod proueniſſe ex ſuperbia, vel complacentia ſui, ex delicioſa vita, atq; ex omnium rerum abundantia; vt docuit Io. ep. 1. cap. 2. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

Sed quamquam hæc omnia apud priſcos Romanos ſuperabundarent: nihilominus eorum quidam, aliqui fuerunt: nec Sol lucet ſine nube, ſine tonitru, ſine procella; ſed ſolum in ſuperis illis locis Deus liquido æthere ſerenum hoc habet, & ſeruat: cætera omnia inferiora miſcentur & turbant; vt ſi guttas aliquot aceti in magnum vas aquæ mittam, non ipſum corrumpam, ſed gratiam fortaſſe magis addam: ſic in magnis Imperijs magis ſentitur bonorum bonitas, ſi pauci interueniant acidi, aut amari. Cerialis apud Tacitum rebelles Gallos ſic mitigat: *Quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; ſic luxum & auaritiam dominantium tolerate: vitia erunt donec homines; ſed neque hæc continua, & meliorum interuentu penſantur.* In illo amplo, diffuſo & opulento Romano Imperio peccandi magna materies, & illecebra erat; nec adſpicere debemus, ſi quæ in tanto & tam vberi agro malæ aliquæ, & nocentes herbæ naſcantur; & maximè, quæ procul ab Vrbe domina, & Senatu agerent prouinciarum Præſides, dum vix cerni, aut noſci eorum vitia poterant. Præterea nec impunè & liberè peccarunt aliqui, qui ex præſcripto Senatus tulerunt pœnas; & qualeſcunque fuerint illæ, iam non ipſe Præſes, ſed Senatus potius accuſandus: nec iniuria eſt, ſi hoſtes hoſtium pœnas luant, maximè ad coercendas rebelliones, aut defectiones, talia quædam à modeſtiſſimis Regibus, aut Rebuſpublicis facta *ad Terrorem*, vt refert Polybius: ſiquidem prudentis Ducis & Medici exemplum miſcet dulcia amaris, & paucorum ſupplicio, dum reliquos in officio continet, perpetrati criminis obliuionem ſpondet: & niſi talia frangendæ pertinaciæ interdum vſurpentur, non facilè finis bellis & diſſidijs imponitur. Nec leges in hoc opitulantur; quæ vt inquit Tacitus: *Inualidum earum auxilium, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbantur.*

Luxus ciborum. Luxus Ciborum in menſis apud Romanos maximè efferbuit: ſed certè talis niſi poſt labentem Rempublicam; ideſt, Sullanum ævum; ſiquidem Auguſtus, qui Romam opibus & gaza Aegyptia repleuit, in ipſo Reipublicæ flore Cibariam hanc legem tulit: *Qua profeſtis diebus ducenti ſeſtertij; Kalendis, Idibus, & alijs quibuſdam feſtiuis trecenti; nuptijs autem & repotijs, milleni ſiniuntur.* Nempè (vt ſupponit Lipſius) ſcuta circiter quinque profeſtis; feſtis ſeptem cum dimidio; nuptijs vigintiquinque: indicium etenim erat ſobrij ſæculi, vbi tali præſcripto legum coerceretur expenſa cœnarum. Sciendum eſt præterea non ſemper eſſe peccatum in re, ſed in cauſa, & fine: ſiquidem epulum ſumptuoſum, qui dederit gulæ, aut vanitatis cauſa, grauiter hic peccat; at ſi quis conſuetudini indulgens non cupidini; vt in Adijcialibus Epulis (quæ in aditu honoris dari ſolebant) minimè hic deliquit: quando & viri frugales in his multum impendebant, vt lex & conſuetudo requirebat.

A rebat. Audi Senecam contra luxuriam differentem: *Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. Quid est cœna sumptuosa flagitius, & Equestrem censum consumente? Quid tam dignum Censoria nota; si quis, vt isti ganeones loquuntur, sibi hæc, & genio suo præstet? & tricies tamen HS. adjuciales cænæ frugalissimis viris constiterunt. Eadem res singulæ datur, turpis est; sin honori, reprehensionem effugit.*

Diximus etiam Viros, Fœminasque lasciuisse in vsu vestium. De fœminis, toleratus ab omnibus ille sexus in nugis, quibus est deditus; non aptus ad seria. Sed in viris parum, aut nihil in veteri Republica: sub Principibus vestimentorum luxus cœpere, eisdemque conniuentibus etiam permissus; vt infra etiam dicemus. *Luxus vestium.*

Excelluerunt namque Romani circa mediocritatem, semper à prudentibus laudatam. Noluerunt contemni parsimonia, noluerunt profusione rideri. Sapiens in medio consistet: nam & nimia parsimonia auaritiã digito designat: quem vero auri sitis tenet, aurum bibet, si propinaueris: obliuiscitur sui B suorumque quisquis nimia siti exuritur. Magna quoque profusio insipientiam prodijt: ferè enim qui virtutibus, animorumque opibus destituuntur; ad externa decurrunt, vt sapientiæ opinionem ab auro mutuentur, cum à virtutibus non possint. Moderatum ergo splendorem illi probarunt, qui nec auaritiam nec fastum redoleret. *Mediocritas.*

Et hæc dicta sufficiant contra Iniustitiam, Luxum, & alia vitia, quæ contra priscos Romanos obijciuntur: quoniam vt inquit Liuius: *Nulla vnquam Respublica, nec maior nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam serò auaritia, luxuria immigrauerint; nec vbi tantus, & tamdiu paupertati & parsimoniæ honos fuerit.*

Sileant igitur, qui Romanum Imperium effrænes lingua calumniantur: quoniam vt inquit Tullius: *Virtutis comes inuidia, plerumque bonos sectatur.* Facilius nihil quam contra quemlibet congerere maledicta. Et hæc in vindicandis Romanorum sceleribus indicasse sufficiat.

C Ethnicorum Romanorum virtutes agnouimus; & Iustitiam eorundem potissimum propugnauimus. Examinemus hic propius, & excutiamus conscientias nostras. Cognoscamus nos, qui sacro Christi baptismate illuminati sumus, quoties praua voluntate nostra Barabbam præferamus Christo: quoties causam non bonam bonæ, iniustam iustæ, impiam piæ: quotiesque in iudicando plus demus sanguini, amicis, sponsionibus, minis, speratis opibus, & honoribus, quam veritati: quotiesque hinc prouocante, & alliciente ad se Deo; inde carne, mundo, dæmone; his obsequimur, illo neglecto: quoties ad magnorum preces, speratosque fauores adiudicamus reluctante iustitia rem diuiti, abiudicamus pauperi: quoties reum dimittimus; iniustam nimirum causam triumphare cogimus, & damnamus innocentem; iustam nimirum causam abiudicantes illi, qui illam fouebat; sed quod destitueretur opibus, amicis, fautoribus, quorum aut potentia metuenda, aut fauor sperandus; destituimus iustitiam, & quod iniustum, falsumque est, verum esse cogimus. Forsitan benè, si facta, dicta, cogitata nostra certiore D non venirent aliquando discutienda examine: si non ab illo quem nihil etiam reconditissimarum cogitationum nostrarum fugere potest, apud quem nulla est personarum acceptio; & in cuius oculis & sententia sceptra pariantur ligonibus, vilissima lacerna purpuræ; nec quidquam apud illum spectatur in homine quam homo ipse; caro inquam & sanguis par omnibus, & æqua omnibus animarum cura. *Mystica consideratio.*

At quoniam Ethnicos Romanos, qui in tenebris ambulabant; & nondum Christo per baptisma & Euangelium illuminatos iustitiam & alias Virtutes solo naturali lumine exercuisse iam vidimus. Nos autem hisce temporibus Gratiæ, & Christi sanguine redempti, cum eadem non sectemur; cauendum

dum ne idem incidat, quod ab Hebræorum populo ad gentes est collatum A
in his verbis Ecclesiastici cap. 49. *Dederunt Regnum suum alijs, & gloriam suam alienigenæ genti.* Atque hinc illud de Hebræorum Populo Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno Cælorum; filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores.* Felices, qui spernentibus Iudæis Christum Regem totis animis admiserunt, & secuti sunt, iustitiam, & cæteras sectando virtutes; siquidem, vt ex libro Daniel cap. 3. *Regnum eius Regnum sempiternum, & potestas eius in generationem, & generationem.* Quam prædictis commutabit ipse Deus nulla habita ratione personæ, sed meritorum tantum. Felices illi qui hæc cogitant, & incertum vitæ huius seriò factis, dictis, cogitationibusque inuigilant: nihil illis natet in pectore, quam vnus Deus, vna veritas, iustitiæque ac virtutum omnium amor.

Sub Romano Imperio felix vita & Christiana Religio propagata. Cap. XXX. B

QVAM vtile fuerit Gentibus sub tam magno illo Romanorum Imperio vixisse; fuit iam ab aliquibus controuersum propter nimiam & asperam illam seruitutem sine vindice & domino quem appellarent. Sed importuna & inepta propositio; etenim plura & grauiora erant, quæ gentes illas absoluere & alleuare poterant.

Ex pace securitas. In primis maximè perpendendum sub magno tali Imperio pacem & quietem gentium vbique fuisse: nusquam arma, hostis, nec prædo: arabant, serebant, metebant; conuiuia, coniugia inibant; liberos gignebant, educabant: omnia securè & absque rumore belli: nam si quod tale erat cum barbaris nempè, & longinquis; quod tuti limitibus, & præsidijs suis velut fabellam id audirent: pulchre Aristides: *Bella vero vix vnquam nunc creduntur extitisse, ac pro commentis habentur à plerisque; quod si alicubi ad limites conflictus fuerit (vt in magno & immenso Imperio facilè fit, ob Getarum insaniam, vel Asiorum miseriam, vel Rubri maris accolarum infelicitatem, qui commodis, bonisque suis nescierunt vti) mox illa tanquam fabulæ cum omni memoria euanuerunt. Tanta pax apud vos viget, ò Romani; & si militiam, bellumque habetis inter patria instituta.* Atque iterum eiusdem veteris scriptoris in eam laudem: *Vniuersus orbis sub vobis, tanquam diem festum agitans, quos olim gerere solebat gladios deposuit; ad conuiuia autem, & reliquam omnem lætitiam liberè se conuertit. Et aliæ quidem contentiones, aut certamina Vrbes reliquerunt; vnum omnes habet, vt earum quæque pulcherrima, & iucundissimo aspectu appareat. Itaque omnia plena gymnasijs, fontibus, siue aquæductibus, porticibus, templis, tabernis, scholis: vt aliquis verè dixerit, inclinantem & labantem mundum, restitutum à vobis esse. Nec Vrbes solum decore & splendore lucent; sed tota adeo terra, instar horti, aut paradisi conspicitur exculta. Vt miseratione planè digni videantur, si qui Imperio vestro non subiacēt (quipauci tamen sunt) vt qui tantis bonis careant.* Quæ omnia verè & floridè dicta vno ictu penetrat Taciti breuiloquium: *Quippe immota, aut modicè lacessita Pax.* Quod ante Romanum Imperium longè differebat, vt pulchre asseruit Plutarchus: *Illud velut Anchoram fuisse fluctuanti mundo.* Quod etiam de Gallia Cerealis apud Tacitum: *Regna, bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum ius concederetis.* Hoc potens, validum, & vnicum Pacis caput hisce nostris turbulentis temporibus, ad Catho- C D

licæ

A licæ Religionis vnitatem, ad ſubditorum omnium vſum, & denique contra communem Turcarum hoſtem maxime neceſſarium fore arbitrarer.

Alterum ex hac Pace bonum reſultat ex communicatione hominum & rerum inter ſe: vijs vndique liberis, commercijſque: ſiquidem tuto Byzantium, Perſarum, & Indorum regiones videre tunc licebat per tot terras, & maria oculos, pedeſque ferendo. Viſere illic licebat magna aut nobilia illa oppida, clara, & inclyta ingenia; Athenas, Alexandriam, Rhodum; diſertos aut ſapientes ibi viros; denique ad alia terrarum ſe conferre diſciplinæ, aut animi cauſa. At mercatores quibus aliarum opum cupiditas, ij per maria omnia nauigabant, ij per terras circuibant etiam abſque prædonum, aut piratarum metu; itaque res longinquæ aduehebãtur, ignotæ antea oſtendebantur, & totus orbis ea communione, quaſi vna Ciuitas fiebat. Artes etiam barbaris traditæ, aut inuectæ; ſicut etiam elegantia & cultus animorum. Vt etiam omnes linguis diuiſi vna Romana iungerentur, atque ea cum Imperio quaque verſum ſe propagaret. Plin. hæc merito attollit in Italia B dilaudanda lib.2.c.5. *Numine Deum electa, quæ cælum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret Imperia, rituſque molliret, & tot Populorum diſcordes, feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret: breuiterque vna cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Et idem de herbis & re medica loquens lib. 27. cap. 1. inquit: *Videmus alia aliunde, vltro citroque Romanæ ſaluti in toto orbe porari, immenſa Romanæ pacis maieſtate, non homines modo diuerſis in terris gentibuſque; verum etiam montes & excedentia in nubes iuga, partuſque eorum, & herbas quoque inuicem oſtentante.* Nec minus Strabo: *Romani multas gentes antea feras ob montes, aut locorum naturam aſperam, aut ob frigus aliamue cauſam, ſub Imperium aſſumentes, eas ipſas ex diſiunctis, & inſociabilibus, vna commercijs iunxerunt & pro agreſti vita, Ciuilem agere docuerunt.* Sed & Claudianus magnificè extollit.

Communicatio negotiorum.

Huius pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patrijs regionibus vtitur hoſpes,
C *Quod ſedem mutare licet; quod cernere Thulen,*
Rurſus & horrendos quondam penetrare receſſus.
Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod cuncti GENS VNA SVMVS.

Quibus nec maior poteſt eſſe voluptas, aut commoditas, nempè nullos homines benignius inter ſe viuere, quam Romanos: nec vllum Regem Romanis parem eſſe.

Huius felicis vitæ ſub Romano Imperio haud leue argumentum eſſe etiam poterit, quod Romana Reſpublica vitia hoſtium in gloriam exercitus ſui verterit: ac etiam politicos olim omnium gentium mores fuerit illa imitata; cum plures nouis inductis, iam tunc mutauerit: plures eorum difficultate deterrita abiecerit: plures alios oblita omnino ſit: hoc tamen retinuit & perpetuo ſeruauit, vt gentes mirabile dictu quos vna die tanquam hoſtes debellaret, eadem vt Ciues & filios in ſe arrogauerit: quoniam Fundator huius Vr- D bis Romulus fœdere Sabinorum etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc ciuitatem credidit oportere; cuius auctoritate, & exemplo nunquam deinde eſt intermiſſa largitio & communicatio Ciuitatis, vt ex omnibus generibus gentes vniuerſæ in Ciuitatem fuerint receptæ; adeo vt in hac Vrbe nihil offendere aut diſplicere valeat, quod Peregrinum ſonet vel oleat. Populo Romano iam à primordio inopi melius namque viſum eſt amicos, quam ſeruos quærere: ac tutius rati Romani volentibus, quam coactis imperare. Vbi omnis repentina atque ex virtute nobilitas ex exteris quoque atque Ciuitate donatis.

Libertas præterea animantium generi gratiſſima nuſquam ſimilis, vt in hac

hac Vrbe fuit reperta: tum ingenuè agendi; tum liberrime loquendi: & quamquam aliæ nationes seruitutem pati possint, populo Romano fuit semper propria Libertas: hinc Tiberius Cæsar delatoribus respondere solitus, ex Tacito: *In libera Ciuitate, liberas esse oportere hominum linguas.* A

Tali libertate potissimum ipsa Vrbs post Reges electos potita est Bruto auctore, quorum septem iam ab exordio regnauerant in ea; & hanc libertatem quamuis sub Imperatoribus eadem Vrbs amiserit, iterum in compedes coniecta; tamen Augustus Cæsar eandem restituere bis in animo habuit; at vero ne aliquis post ipsum eamdem occupasset, propterea abstinuit: cogitauit hoc idem L. Septimius, cogitauit & Decius: sub Probo autem Imp. omnia fuerunt quieta & tranquilla, cuius Imperio Oriens, Occidens, Meridies, Septemtrio, omnesque Orbis partes in totam securitatem redactæ sunt; vnde verè Probus appellatus, ex quo disciplinam militarem multi apprehenderunt, vt scribit Vopiscus.

Habet nunc Roma quod sua sponte gentes & nationes sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectæ sint; non vt olim armis coactæ, sed vera & Catholica nunc Christi Religione adunatæ: Religio namque facit homines inter se concordes, & vnanimes; & nationes, quamtumuis efferas & barbaras, reddit mitiores: etenim si ab omnibus mortalibus vnum & idem coleretur Numen, haudquaquam inter eos essent tot superstitiones & discordiæ. Retinet adhuc Roma quamdam priscæ Maiestatis vmbram, vt gentes ex toto Orbe tanquam membra ad caput recurrant. In eamdemque Vrbem ex omni Europa confluentes noui opifices & aduenæ; vbi in communi patria sedem elegerunt, domos sibi quoquomodo comparant, & pro facultatibus ædificant. Habet præterea Roma mansuetissimum Christi Imperium, & eius Vicarium Pontificem Maximum, præcipuam in toto Orbe dignitatem per successionem relictam à Piscatore idiota & inermi, qui superatis verbo & exemplo Regibus, extinctisque gentium simulacris Imperium Orbis occupauit. Habetque Senatum Apostolicum, & venerandos Cardinales & Clerum: vbi arx & domicilium Christianæ Religionis, & eius Reipublicæ caput: vbi sedes Apostolica & curia Romana omnium præstantissima. Nusquam tanta ædificiorum laxitas: tanta rerum pompa, tot loca sacra, tam solida peccatorum venia, tot Martyrum triumphi: quorum cruore aspersa, consecrata omnia habentur. B C

Propagatio christianæ religionis ad incognitas regiones.

Sub Christo Principe quoniam totus Orbis patefactus est; arma Populi Romani, quæ antea solummodo peruenerant vsque ad Oceanum Occiduum, Septemtrionalem, & Meredianum: ab Oriente autem non peruenerunt vsque ad Indos. At vero Euangelicæ tubæ sonus in omnem terram, & fines omnis terræ penetrauit; vt iam pridem Regius Propheta prædixerat: ac nostra quidem, auorumque memoria in regiones longissimè dissitas, & antea incognitas, Hispanorum nauigationibus Christi doctrina peruenit. Duæ namque vno propemodum eodemque tempore ex Hispania nauigationes magnis animis susceptæ fuerunt: quæ non modo Romanorum, sed cæterarum quoque omnium gentium rebus gestis merito comparari vel fortassis anteponi posse videantur. Vnam Ferdinandus Castellæ Rex Catholicus, Occidentem versus ad orbem nouum, & veteribus incognitum: alteram Emmanuel Lusitaniæ Rex Orientem versus in Indiam instituit. D

Nauigatio Lusitanorum ad Orientalia.

Lusitani vniuersa Africa circumnauigata, lustratisque regionibus, quæ Aequatori Tropicisque subiacent, primi in Indiam, & ad extrema Sinarum, Iaponumque regna Christi signa feliciter transuexerunt: atque in Africam quidem cæteris aperuit iter Ioannes eo nomine Primus Portugalliæ Rex.

Huius filius Henricus, primus Lusitanis longinquarum, peregrinarumque nauigationum auctor extitit; eiusdemq; auspicijs circa an. Christi 1420.

ad

A ad montem vsque *Leonam* peruentum est; Insula quoque *Madera*, & aliæ vasto in Oceano sunt detectæ. Ioanne mortuo Alfonsus Quintus filius in regno successit: quo regnante *Guinea* tota est lustrata. Ioannes Secundus Alfonsi filius sub annum Christi 1485. *Congi* regnum aperuit, & missa legatione honorifica cum tribus familiæ Dominicanæ sodalibus, ipsum Regem eiusque filium ad Christi sacra traduxit. Eiusdem æuo Astrolabium ad vsum nauticum cœpit accommodari, & promontorium *Bonæ Spei* exploratum est: quod illi nomen idem Rex indidit, quasi aduentus augurio commotus; fore vt illo superato aditus in Indiam mox pateret. Anno itaque 1493. Diaxius illud magno ausu superauit.

Ioannes moriens cum regni patrimonio glorioſam nauigationis explorandæ, Imperijque propagandi curam Emanuelli velut hæreditariam reliquit. Is classem Indicam primus cum instruxisset, eidemq; *Vascum Gamam* cum Imperio præfecisset; idem Vascus ex Europæis primus per Oceanum in Indiam

B vsque ad *Calecutum* anno 1497. penetrauit. Eiusdem Regis auspicijs *Goa* totius Indiæ metropolis anno 1511. in potestatem est redacta & Christiana Religio longè lateque per Orientem propagata. Extant de Emanuelis Regis rebus annorum sex & viginti spatio, domi forisque gestis libri 12. Hieronymi Osorij, Siluensis in Algarbijs Episcopi, vt de Ioanne Petro Maffæo, alijsque rerum Indicarum scriptoribus nihil dicam.

Transeo in Occidentem: versus quem primus vastum Oceanum ingressus fuit *Christophorus Columbus* Genuensis, qui oblata varijs Regibus ac Principibus ad nouas terras quærendas opera, sed ab omnibus (quod rem nimis difficilem, nec vllius fructus arbitrarentur) reiecta; profectus tandem ad Ferdinandum & Isabellam Castellæ Reges, accepta ab ijsdem paucarum nauium classe, anno 1492. *Hispaniolam*, *Cubam*, aliasque Orbis noui insulas detexit. *Nauigatio à Rege Castellæ versus Occidentem.*

Itinere sic patefacto *Americus Vespuccius* Florentinus anno 1497. idem iter versus Orbem nouum suscepit, tanta cum laude, vt terra ab ipso detecta

C *Americæ* nomen sit adepta; & si Columbina potius à primo inuentore Columbo, quarta illa Orbis vniuersi pars dicenda esse videatur.

Hinc dum inter Lusitanos in Orientem & Castellanos in Occidentem, pomœria suorum Regum proferre nitentes, orta esset contentio; ne alteri alteris essent impedimento: Orbis ille nouus Alexandri Sexti Pontificis Maximi auctoritate, in duas veluti partes est distributus scriptis legibus, ac conditionibus, vt quidquid instituta nauigatione ab Athlantici maris insulis, quæ Hesperides nuncupantur, Orientem versus reperirentur, Lusitanorum esset; quidquid versus Occidentem cederet Castellanis.

Subsecutus deinde *Ferdinandus Magellanus* natione Lusitanus, cum ab Emanuele Rege suo ob operam, quam illi nauarat, non rectè compensatam, ad Carolum Quintum defecisset, eiusque auspicijs anno 1520. *Fretum Magellanicum*, ab ipso primo lustratore sic dictum, traiecit, & vastissimo maris Pacifici tractu superato, in conspectu ferè Moluccarum insularum

D prælio contra barbaros cæsus: socijs suis præter Asiæ, Africæque littora in Hispaniam reuectis, causam dedit gloriandi (quod à nemine mortalium antea tentatum fuerat) terræ globum ab se circumnauigatum fuisse.

Annis proximè insequentibus duo potissimum Orbis noui imperia *Mexicanum* Ferdinandus Cortesius, & *Peruanum* Franciscus Pizarus eiusdem Caroli Quinti auspicijs subegerunt, & Christianam Religionem per vastissimas illas Regiones insulasque adiectas latissimè propagarunt. Adeo quidem vt in sola India Occidentali à Castellanis detecta, sex hodie Archiepiscopatus: Episcopatus autem illis suffraganei, opimeque dotati circiter quadraginta numerentur: præter Canonicos ac etiam Religiones Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Patrum Societatis Iesu, aliorumque Ordinum

Monasteria penè innumerabilia, præter Academias & Gymnasia in oppidis celebrioribus ob iuuentutis bonum, atque adeo rei Christianæ incrementum feliciter constituta; vt latè refert Miræus Bruxellensis in sua Politica Ecclesiastica lib. 4. A

Hæc de Regionibus, quarum apud veteres nulla fuerat iam ante notitia, earumque aditus à mercatoribus primum indicatus: & inde Christi fides in illis patribus patefacta: quamuis memorabiliores illi, si eos ad lustrandas ignotas illas oras, gentesque primum impulisset Romanæ Religionis Christianæ propagandæ zelus, non autem mercaturæ auiditas, lucri sitis, ac vanæ dominandi gloria.

Euangelium ante Columbū in Occidentalibus Indijs.

Lubet modo in hoc themate curiosè indagare. Vtrum ante patefactas Occidentales Indias à Columbo; fuerit ne in regionibus illis vnquam Christi Euangelium prædicatum? Stephanus Salazar Discursu 16. in Symbolum Apostolorum c. 3. refert: Quemdam Indianum terræ Cololiæ, virum bonis moribus præditum; hunc asseruisse in antiquis Mexici Annalibus fuisse relatum, Hominem quempiam albi coloris ab ignotis regionibus in Mexicum aduenisse; ibique nouam doctrinam & religionem prædicasse, ac simul nouos ritus & cærimonias docuisse; nec non idola ad terram prosternere fecisse; vt propterea fuerit iste ab Indiæ incolis occisus; supra cuius monumentum Incolæ Mexici magnificum & sumptuosum templum inde extruxere. B

Refertur quoque in vrbe Cuzchi primaria Regni Perù, Hispanos in eiusdem ingressu aureum simulacrum reperijsse, & hunc barbatum; de quo loci incolæ referebant traditionem fuisse pluribus iam ante sæculis illud scalptum; illudque imaginem fuisse hominis cuiusdam, qui in regiones illas eo habitu repræsentato aduenerat, & illuc miraculosè absque vllo nauigio illum fuisse delatum sed solo pallio supra aquas maris expanso adnauigasse: referebant de homine isto, doctrinam quamdam docuisse, æui diurnitate ab omnium memoria deperditam: illumque vaticinasse sæculis futuris è remotis regionibus homines albos aduenturos, qui vi armorum ea loca subiugarent, eamdemque doctrinam & religionem, quam prædicauerat ipse illos propalaturos & disseminaturos; vt propterea maxime Peruani simulacrum illud vna cum alijs loci idolis venerarentur. C

In insula Cozumelæ præterea propè Iucatam, referunt consuescere Incolas vna cum proprijs Idolis sanctissimam Crucem adorare: & in Prouincia Ciappæ nobiliores & primarij ex antiqua referunt traditione cognitionem se habere mysterij sanctissimæ Trinitatis; Incarnationis Verbi, Passionis, Resurrectionis & Ascensionis Christi ad Cælum. Attenditur quoque verbum *Mescicho*, quod est nomen primariæ ciuitatis in Occidentalibus Indijs, verbum Hebræorum esse: quoniam in psalm. 2. dum dicitur *Aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*. In Hebræo idem sonat, *Aduersus Mescicho*. Mirum quoque referunt de altissimo monte *Metztitlan*; hoc est mons Lunæ nuncupato: in cuius latere montis etiam hodie antiquam Crucem in lapide scalptam apparere, albis, & cæruleis lapillis ornatam; quam Salazar prædictus sæpius se vidisse testatur viuis coloribus quasi recenter expressam; nec non pluribus antecedentibus sæculis à temporum iniurijs benè seruatam: præterea eorundem locorum incolas solitos etiam capillos incidere & tonsurari, vt etiam hodie Monachi coronam deferunt circa aput. Scribit etiam Franciscus Gomara tom. primo de India cap. 53. in Insula Acazamil propè Iucatam, & in districtu etiã Iucatæ, quando illuc aduenerunt Hispani, plurimas Cruces ligneas, & æreas supra sepulcra fuisse repertas; vt inde indicium sumerent à tempore inuasæ Hispaniæ per Mauros: aliquos Hispanos ue inseruire coegerunt inimicis, se mari tradidisse, & à ventorum impetu in eas regiones translatos. Idem auctor cap. 121. refert solitos Peruanos capita eorundem Idolorum ornare mitra & baculo in manu instar Episcoporum D

A rum noſtrorum; de quo ritu Incolæ ignorabant originem. Huiuſmodi Idola ex India cum mitra, baculo, & habitu ferè Epiſcoporum, pictis & aurata ex pretioſa terra quæ dicitur vulgo *Porcellana*, plura in meo Muſæo hodiè aſſeruantur.

Pater Ioſeph Acoſta, qui pluribus annis in Occidentalibus Indijs moratus eſt lib. 5. ſuæ hiſtoriæ cap. 27. ſcribit, Peruanos ſolitos erigere tria ſimulacra, quorum vnum nominabant Patrem ſolis; alterum Filium ſolis; tertium Fratrem ſolis. Vlterius venerabantur Idolum ab ipſis nominatum *Tangatanga*, quod Trinum in vno, & Vnum in Trino dicebant. Idem auctor præterea lib. 5. capite 23. refert de quodam exemplo ſeù imitatione auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti: & cap. 24. De quadam proceſſione, vt mos Chriſtianorum eſt Corporis Chriſti; & cap. 25. de more Pœnitentiarum illorum, & Confeſſionibus peccatorum: de Aqua benedicta, Baptiſmo, Matrimonio, Indulgentijs & Iubileis de quibus loquitur cap. 26. Referunt etiam earundem Occidentalium Indiarum Scriptores, habuiſſe illos populos Noeti-
B ci vniuerſalis Diluuij ſcientiam, credidiſſe animarum immortalitatē; præmia & ſupplicia æterna poſt mortem, nec non ſeparata eiſdem loca iuxa merita ſeù demerita dum vixerint; oraſſe eoſdem, ac obtuliſſe ſacrificia pro Defunctis; habuiſſe eoſdem domos ſeù ſeceſſus tanquam monaſteria maſculorum & fœminarum; ieiuniorum vſum; Feſtorum dierum obſeruantiam; & alios ſimiles ritus Chriſtianæ Eccleſiæ. Pater Emanuel Nobrega Soc. Ieſu in ſua epiſtola ſcripta è Braſili Doctori Nauarro anno 1549. à ciuitate ſancti Salnatoris inquit, traditionem in his locis fuiſſe ibidem moraſſe ſanctum Thomam Apoſtolum; ac etiam Braſilis incolas oſtendere in quadam rupe veſtigia pedum eiuſdem Apoſtoli, quæ idem Pater Nobrega in epiſt. ſcripta an. 1552. ſe vidiſſe teſtatur. De his & plurimis ſimilibus alijs videat Lector librum Patris Acoſta, citatum ac etiam Thomam Bozium de ſignis Eccleſiæ libro 5. capite 12. Quibus clare dignoſcitur etiam ante aduentum Columbi in Occi-
C dentales Indias fuiſſe in regionibus illis ſacroſanctum Chriſti Euangelium prædicatum.

Occidentales India etiam ante Chriſtum natū patefactæ.

Non ſolum à Chriſto nato ante aduentum Columbi in Occidentales Indias, prædicatum ibi fuit Euangelium; verum a priſcis temporibus regiones illæ pluribus patefactæ: & de Carthaginenſibus præcipuè refert Ariſtoteles in lib. de Mirabilibus Auſcultationibus n. 82. hæc verba. *Extra columnas Herculis aiunt in mari à Carthaginenſibus inſulam fertilem deſertamq; inuentam vt quæ tam ſyluarum copia quam fluminibus nauigationi idoneis abundet, cum reliquis fructibus floreat vehementer, diſtans à continente plurium dierum itinere in qua cum Carthaginenſes quidam ob ſoli fertilitatem connubia agitare, ac habitare cœpiſſent; ferunt Præſides Carthaginis, ne quis deinceps inſulam ingrederetur, pœna capitis interdixiſſe, incolaſque eieciſſe, ne coitione (ſi habitari iſtic pergerent) facta, Inſulæ principatum conſequerentur, & Carthaginenſes ea felicitatis parte priuarent.* Hæc Ariſtoteles. De hoc mirando ſucceſſu quatenus notitiam habuerit Seneca Poeta, non illi difficile fuit, vaticinari de futura pateſactione harum Occidentalium Indiarum; vt in ſua Tragœdia titulo Medea
D per vnum ex choris refert his verbis.

——— Venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphuſque nouos
Detegat Orbes; nec ſit terris
Vltima Thule.

Quod vaticinium adimpletum felici nauigatione Columbi in Occidentales Indias, qui de prædictis forſan inſtructus; ſpatio dierum triginta trium menſis Octobris anno 1492. ab Inſulis Canarijs, primam Inſulam agno-

uit, *Guanahani* ab incolis illius nuncupatam. A

Hac & alijs subsecutis nauigationibus aurum & aliæ pretiosæ merces in Europa accumulatæ; & inæstimabili beneficio Gentilitatis patefactus ingressus Concionatoribus Euangelicis, & Christi ouile summopere auctum. De Columbo autem & socijs decantari iure potest, *sicut de primo, qui ausus est se tradere mari*, vt inquit Seneca in citato Choro Medeæ.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns,
Animam leuibus credidit auris,
Dubioque secans æquora cursu,
potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ, mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.

Nec prætereundum in hoc argumento: singulari Dei prouidetia, ac bonitate factum, vt Catholicam Religionem Romanam cum impij Nouatores B Europæi suis sedibus pellere inciperent; Orbis noui incolæ & alio sole calentes Antipodes tunc eam benignè exciperent, auideque amplecterentur. Eidem diuinæ benignitati Abassinorum, Maronitarum, Asyriorum, Chaldæorum, Babyloniorum, aliarumq; nationum Orientalium ad Ecclesiæ communionem eo ferè tempore felix reditus, quo Septentrionalis Europæ tractus (à quo pandetur omne malum) ab eadem turpiter defecit.

Ex quatuor igitur orbis partibus; sicut Europa excedit Asiam, Africam, & Orbem nouum, non quidem magnitudine, sed Religione Christiana, Regnorum potentia, incolarum virtute, ac moribus, Vrbium frequentia, rerum omnium abundantia, ac cælestique temperie multis partibus.

Ita inter Europæ Regiones omnium nobilissima est Italia: olim Imperatorum, nunc orbis vniuersi Pontificum sedes: olim Romanis paruit vniuersa, nunc in varias Dynastias est discerpta. Inter eos, sub quorum ditione nostro est æuo, principem locum obtinet Pontifex Romanus; Potentissimus ibi- C dem Rex Catholicus, qui præter Ducatum Mediolanensem, possidet Regnum Neapolitanum, Siciliam insuper ac Sardiniam, insulas regio pariter nomine; item Duces Pedemontanus, Etruscus, Mantuanus, Mutinensis, & Parmensis; Respublicæ item liberæ Veneta, Genuensis, & Lucensis.

Cæterum in Italia principatum habet ROMA, terrarum Domina, Vrbium Regina, Orbis compendium (vt eam Pælemon Sophista apud Athenæum ac Galenum appellat) quæ pro dignitate laudari non potest; sicuti de Carthagine C. Crispus ait: *Silere de ea præstat, quam pauca dicere.* Arx enim est omnium gentium, theatrum ingeniorum, domicilium virtutis, Imperij, dgnitatis ac fortunæ; patria legum, omniumque hominum, & (quod olim Athenæ Atticæ) disciplinarum fons, Sacerdotij, & Iustitiæ; Religionis denique caput ac norma est: fremant licet omnes Hæretici, qui Vrbem *Aeternam* extinctam funditus, vt veritatis sedem, cuperent.

Romanam porrò Ecclesiam à Petro & Paulo Apostolorum principibus fundatam Irenæus lib. Aduersus Hæreses cap. 3. disertè prædicat. Cui illud D Tertulliani lib. 4. contra Marcionem consonat: *Romanis Euangelium Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.* Scio non deesse ex Nouatoribus, qui Petrum Romæ fuisse negent: sed præter Irenæum & Tertullianum, illis oppono Lactantium hominem Africanum, & Prudentium Hispanici generis virum militarem: quos corrumpere Pontifices illius ætatis, valde ab ijs remoti, minimè potuerunt. Prior ex ijs Constantino Magno carus, acceptusque fuit: posterior Theodosio imperante floruit, & Petri martyrium versibus descripsit. Oppono item Dorotheum Tyrensem Episcopum, Petrum Alexandrinum, Maximum Taurinensem & alios, quos re-

censere

A censere non est huius instituti. Gratianus certè, Valentinianus, & Theodosius Cæsares Petrum Romæ fuisse publica lege testantur, ad Populum Constantinopolitanum, vt in Cod. tit. de summa Trinit. & fide Catholic. his verbis; *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, sub tali volumus Religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis Religio vsque adhuc insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandrinum Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis.* Eamdem quoque sententiam Hieronymus in Fidei suæ expositione ad Damasum inquit: *Petri fidem & sedem tenes.* Et de fundatione Romanæ Ecclesiæ per Apostolos Petrum & Paulum, sanctus Leo Papa in serm. 1. in Natali dictorum Apostolorum: de quibus sic inquit: *Isti sunt, qui te* (nempe Romam) *ad hanc gloriam prouexerunt; vt gens sancta, populus electus, Ciuitas sacerdotalis & regia per sacram Beati Petri sedem, caput Orbis effecta, latius præsideres religione diuina, quam dominatione terrena.*

B Cæterum vt omnium orbis Christiani Ecclesiarum caput est *Romana*, sic omnium Patriarcharum, atque Episcoporum Princeps est ROMANVS PONTIFEX: de cuius auctoritate plura qui volet, Theologos & Canonistas consulat. Pontifici Maximo in Romana Ecclesia proximi sunt CARDINALES, qui vnde dicti, & quando cœperint, docet Panuinus lib. de Cardinalibus; vt ego quoque plura retuli in libro De Veteribus Christianorum Ritibus cap. 82. Inter Cardinales sex hodie sunt Cardinales Episcopi, nempe Ostiensis, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, & Albanus, ex his Ostiensis habet vsum Pallij & Romanum Pontificem consecrare solet. Sunt præterea in Ecclesia Archiepiscopi & Episcopi subordinati: quorum Elenchum per totum Christianum Orbem disposuit Miræus in lib. Politiæ Ecclesiasticæ: ac etiam nuper de Italiæ Episcopis, rebusque ab ijs præclare gestis ad nostram vsque ætatem, ac etiam de Ecclesiarum origine, Vrbium conditione, & Principum donationibus eruditissime & copiosè scripsit D. Ferdinandus Vghellius Florentinus Abbas sanctorum Vin-
C centij, & Anastasij ad Aquas Saluias, Ordinis Cistercienſium, & sacræ Indicis Congregationis Consultor, cui antiquitatum, & eruditionum nostri æui studiosi plurimum debent; & à me magno honore dignus æstimatus.

Hæc omnia excelsa in prisca iam triumphanti ROMA: ac etiam modo disposita in militanti Romana Ecclesia, donec occurramus omnes ad cælestem & perpetuam in patria Gloriæ fruitionem.

Quare Roma, seu aliæ Vrbes floris sui maturitatem assecutæ, rarò maius sumant augumentum? Cap. XXXI.

D COgnitis causis quare Romana Vrbs tantum excreuerit: indaganda modo venit altera curiosa quæstio: quid causæ sit; quod Vrbs certam potentiæ metam assecuta, non altius fuerit progressa, maiorique Ciuium numero non accreuerit? In omnes casus satis est documenti ipsa Roma, quæ teste Dionysio Halicarnassæo; cum primum à Romulo conderetur 3300. viris bellicosis constabat, atque intra triginta septem illos annos, quibus Romulus regnauit, ita excreuit Ciuium numerus; vt adhuc eo viuo quadraginta millia septem virorum bellicosorum Romæ numerarentur. Centum & septem annis post obitum Romuli, regnante Seruio Tullio Roman. Rege; Ciuium qui arma ferre poterant, octuaginta millia Romæ numerarentur. Tandem crescens Vrbis potentia ad quadringenties quinquagies millia peruenit.

Quare

Quare autem Romana incunabula cum ad tam immensam potentiam excreuerint; multitudinem autem illam rarò transcenderint? Quod quidem de alijs pluribus Italiæ ciuitatibus Venetijs, Mediolano, &c. quæri eadem prorsus ratione potest; quippè quæ & ipsæ ante annos quadringentos tanta ciuium multitudine, quanta hodie constiterunt. A

Sunt qui pestem, bella, annonæ caritatem, aliaque accusent. At certè friuola hæc querela. Quælibet hominum ætas sensit grassantem pestem: plures olim in prælijs excidere quam nunc; quando aperto Marte veteres tunc confligebant, vbi tribus horis maior expirantium erat numerus, quam aliquot annis iam nunc hostis obtruncat. Hodie aperto Marte nunquam ferè pugnatur. Muri hodie loco clypeorum obiectantur, intra quos delitescitur, è quorum angulis plerique insidiosè conficiuntur. Annonæ & caritas; tam sanus quam infectus aer semper fuit: mundo suæ semper fuerunt rerum vicissitudines: quod cum ex historiarum monumentis satis constet, longius non progrediar.

Adferunt huc nonnulli Dei immotam voluntatem, fatalemque ordinationem, cur auctæ vrbes, vt ab initio, hodiè non itidem augeantur. Verum hoc nemini dubium: quoniam illa sunt media quibus vsa diuina prouidentia, pauca multiplicat & auget; aucta vero intra certas metas cohibet, vlterius vt progredi non queant: in gubernando tamen naturæ cursu causas secundas non reijcit. B

Pro quæstionis solutione, ita responsioni satisfaciam; vt non tam ad ciuitates, quæ numero Ciuium non amplius augentur, sed etiam ad vniuersum hoc mundi theatrum applicari hæc responsio possit. Multitudinem ciuitatis aut à virtute generatiua, aut à nutritiua proficisci. Virtus generatiua vsque huc sui similis; aut saltem ita comparata, qualis fuit ante tria millia annorum. Æquè enim homines vitam protrahunt præsenti tempore & ad suscipiendam prolem modo apti sunt, atq; tempore Dauidis, Moysis, vt habemus in psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis: si autem in potentatibus,* (ideſt robustioribus) *octoginta annis & amplius, eorum labor & dolor.* C

Quando igitur virtus generatiua non obstaret, tunc vrbium incrementa essent infinita; postquam vero in infinitum non augentur, necesse est fateri rem omnem imputandam inopiæ alimentorum, seù nutritiuæ virtuti.

Ex inopia Alimentorum non augentur ciuitates.

Alimenta aut ex nostra tellure aut peregrina petuntur: omnisque vrbis incrementa victualibus aliunde inuectis iuuantur. Vt autem obtineamus frumentum ex longè remotis terris nobis aduehi, est vt virtus attractiua tantarum sit virium, quæ vincant salebras & asperitates regionum, vallium profunditates, impetus torrentium, pericula maris, insidias piratarum, instabilitatem ventorum, magnitudinem sumptuum, incommoditates viarum, inuidiam vicinorum, inimicitias hostium, tempus vecturæ, annonæ caritatem in ijs locis vnde merces asportantur, dissidia nationum, disparitatem religionis, &c. Hæc omnia pariter cum incremento, & decremento vrbis accrescunt, & decrescunt: donec eò deueniant potentiæ, vt humanæ inuidiæ, & odio nullus amplius detur locus? D

Quis enim vnquam persuaserit mercatori, vt frumenta ex India Romam mittat: aut vt Romanus ea inde expectet? Pac autem vtrimque mitti & expectari, quis in regionibus illis pollicebitur lætos & vberrimos frugum prouentus, populorum amicitias, & pacem? commeatus & itinera tuta? Aut quo pacto Romam inuehentur frumenta illæsis aurigis, aut baiulis ne labori succumbant, & sine fortunarum dispendio eant.

Vel vnicũ de his impedimẽtis sufficit ad disijciendũ vrbium ciues externo auxilio destitutos; tot vero & tantis incommoditatibus immersos, etiã dispergendum. Vel vnica caritas famis, bellique violentia, impedimenta negotiationum, aliaque fat virium habent ad commouendos ciues, vt velut hirundi-

nes

A nes aduentante hyeme aliò se recipiant. Ordinaria ciuitatum magnitudo consistit in his terminis, quibus vix contentæ esse possunt. Omnis vero ciuitas, quæ alimenta aliundè per prædictas incommoditates contrahit, diu durare nequit. Sic enim affectus est quisque, vt omnes opportunitates, quæ obuiæ patent, diligentissimè captet.

Accedit huc, quod vrbes maiores caritatibus facilius subiaceant, quam minores; quod pluribus alimentis egent. Grauius enim pestis illis immorari solet, quia lues illa vrbes hominibus pluribus abundantes vehementiore cõtagio afficit, quam pagos vbi minor est hominum frequentia. A magnis vrbibus nihil illorum abest, quæ supra recensuimus; cum quoque pluribus indigeant, quæ ex se mutuari nequeunt. Hinc effectum est vt quamuis eadem vis generandæ prolis; & in primis Romæ auspicijs, & in eiusdem flore permanserit in ciuibus; nihilominus vt quasi pede fixo vis illa substiterit; satis difficile fuit; quia virtus nutritiua altius ascendere nequiuit. Subsequentibus temporibus, cum victualia magis magisque deficerent, aut nulla iuncta sunt
B matrimonia, aut quando iuncta sint, liberi tamen egestate pressi, animo ab educanda prole abiecto, ex patria meliorem fortunam periclitaturi migrarunt. Huic malo Romani vt tempestiuè occurrerent, colonias deduxerunt; vt quasi plantæ alibi translatæ latior illis ansa præberetur ad commodiorem vitæ sustentationem.

Sic quoque genus humanum certum numerum attingit; vnquam cancellos quibus se ipsum quasi circumdedit, transgressum. Abierunt supra tria millia annorum; cum non minor atque nunc est in mundo viueret hominum copia. Fructus enim terræ non sufficiunt pluribus alendis. In Mesopotamia primũ genus humanum augescere cœpit: inde progressu temporis in omnes terræ fines est diffusum. Tandem repleta continente Insulæ habitare cœptæ: donec tandem multis vertentibus annis etiam illas regiones, quas hodie Nouum mundum appellant, occuparunt.

In Guinea adeo pauperes, & egeni plerique viuunt, vt suos filios admodum vili pretio Mauris vendat in Barbariam adducturis: aut Lusitanis vendunt in nouas Insulas adducendos, aut Castilianis in nouas insulas ablegandos. Idem quoque accidit in Perù, cuius incolæ liberos suos nullo ferè pretio vendunt proximo cuique obuio. Ad hanc calamitatem cogit egestas, quæ ferè impossibilem reddit sobolis educationem. Tartari & Arabes ex solo raptu viuunt. Nasaceni & Cafri planè feri in Aetiopia, similiter ex raptu vitam ducunt, naufragos deprædantes: id quod sæpius experti sunt Lusitani.

Neque obscurum cuiquam puto, Gallos, Teutones, Gothos, Vngaros, Tartaros, alioſque populos, cum patria angustior esset, quam vt omnes caperet, & aleret; haud semel in exteras regiones eiectis incolis migrasse. Hinc intra aliquot sæcula tot mutationes passim in Europa atque Asia, quarum regiones atque vrbes aduentitia gens pulsis primis colonis occupauit. Ratio in promptu est: aut enim nimiam incolarum multitudinem patria non ferebat: aut melioris vitæ alibi ducendæ desiderio illi tenebantur.

Inde etiam ex paupertatis miseria subortæ prædationes, & latrocinia:
D inde etiam ex ditionis incapacitate tot contentiones & controuersiæ finium hercisscundorum: limites, fossæ, sepes, maceriæ, &c. quibus prædia circumdamus, custodes vuarum & frugum, fores ædium, seræ, & pessuli, canes appositi, satis arguunt mundi angustiam, quæ tenuius necessaria suppeditat, minusque desideria explet. Quid commemorem cruenta arma, in quæ inuicẽ procumbimus? quid sæua, & diuturna bella omnia proruentia? quid commeatus, munitiones, præsidia, expeditiones, quid muros?

Neque hæc solum malorum scaturigo omnia continet. Accedunt enim præterea soli sterilitates, annonæ caritates, occultæ & pestiferæ cœli influentiæ, morbi contagiosi, pestis, terræmotus, inundationes maris, aliarumque aqua-

aquarum, & innumera alia. An non his omnibus & singulis satis efficax vis ineſt euertendi vrbes, transferendi regna, nunc hos nunc illos incolas eijciendi? Quæ cum ita ſint, nemo eſt, qui iam non videt cauſam, quare Vrbs noſtra Roma, & humani generis originalis ſtatus hodie ſubſiſtat, nec vlterius dilatetur: quoniam habitus & natura ſitus illius non amplius ferre nec propagare valet. A

Quare autem noſtris hiſce temporibus hæc noſtra Vrbs Roma ad tot centena hominum millia iterum non accreſcat, vt iam tum ſub primis Imperatoribus permanſerunt? Et facilis in hoc ſolutio: ſiquidem priſci illi Romani toti ferè orbi tunc dominabantur; & vndique ad Vrbem omnia ad victum tantæ multitudinis neceſſaria confluebant; quorum Imperium cum iam defecerit, & diminuta etiam ad Vrbem commercia eorum, quæ ad victum ſunt neceſſaria: nec mirum defecerint etiam illa centena hominum millia, nec amplius accreſcere valeant.

Imperia vbi ad ſummum peruenerunt non augentur amplius.

Quod ex alimentorum inopia, ſeu alio educationis defectu proceſſerit, vt hæc noſtra Vrbs, ſeù alia Orbis pars in maiorem hominum copiam non augeatur iam vidimus. Quibus non piget alteram adnectere cauſam; vt Imperia, vbi ad ſumma cacumina peruenerunt, rurſus deorſum ferantur, promptiſſima cauſa eſt. Hoc namque naturale habent omnia viuentia corpora, vt ſupra conſtitutum terminum amplius tranſcendere non valeant; hoc idem teſtatur Philoſophus lib. 4. de Generat. animal. cap. 4. *Perficiendi cuiuſque animalis certa eſt magnitudo, tum admaius, tum ad minus, quem terminum non ſupergrediuntur, vt vel maiora vel minora euadant.* Et idem libro 1. Phyſic. cap. 4. inquit: *Quod impoſſibile eſt carnem, aut os, aut aliquid aliud, quãtumque magnitudine, aut in maius aut in minus.* Cum vero Reſpublica non aliud ſit quam corpus ex corporibus pluribus conſtitutum ad benè viuendum, certam propterea dimenſionem ad eius conſeruationem neceſſariam reſpexit Liuius Decad. prima lib. 1. ibi. *Donec ad ea tempora peruenerunt, vt magnitudine propria laborarent.* Quos certos terminos Vrbs Roma egreſſa, facilè in Regum Imperium eſt deuoluta: quod benè Tacitus intellexit in perſona Galbæ hiſt. 1. *Si immenſum Imperij corpus ſtare, ac librari ſine Rectore poſſet, dignus eram, à quo Reſpublica inciperet.* Immenſum ſiquidem Imperiũ libertatem ferre non poterat; & quamuis magna poſſidere exoptandum videatur, non propterea id ſemper, & omnibus corporibus bonum eſt: inde Auguſtus ex Tacito Ann. lib. 1. *Addideratque conſilium coercendi intra terminos Imperium.* Id etiam demonſtratur in ſtatua Danielis c. 2. quæ Imperiorum, quæ à Deo comminuta & conſumpta ſunt, eſt typus apud interpretes: cuius pedes ex limo terræ dum caput aureum vix aſſumpſerunt: abſciſſus eſt lapis de monte, percuſſit ſtatuam in pedibus, comminuit teſtam & ferrum, & æs, & argentum, & aurum; quia ſapientia & fortitudo Dei ſunt, & ipſe mutat tempora & ætates, transfert Regna atque conſtituit, vt dict. cap. 7. cum ex Philoſopho in aſcenſu & deſcenſu mundi circuitus conſiſtit: cuius humana potentia ex Iob. 14. *Fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.* Et in pſalm. 72. *Deieciſti eos dum alleuarentur.* Vnde D. Gregor. lib. 17. Moral. in ea verba Iob cap. 5. *Omnis caro fœnum*, inquit: *Carnalis gloria dum nitet cadit; dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus extollitur, ſed repente in nihilum tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula deſcendendo ſe erigit; ſed exortus hanc ſolis radius, ac ſi non fuerit, abſtergit. Sic ſpumoſæ aquarum bullæ inchoantibus fluuijs excitatæ, ab intimis certatim prodeunt, ſed eo celerius diruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur. Cumque excreſcunt vt appareant, creſcendo peragunt ne ſubſiſtant.* B C D

Quanta enim virium potentiæque Imperio eſt acceſſio, tanta virtutis di-

mi-

A minutio succedit: & quo regnorum opes sunt accumulatiores, tanto minor virtutis cultura. Sub Augusto Cæsare in summo gradu potentiæ & authoritatis Romana politia stabat: sed sub Tiberio voluptates virtutem premere, idque in dies magis magisque sub Caligula, alijsque cœperunt. Fortitudine sua Vespasianus rem Romanam ferè restituerat, quam Domitianus vitijs suis denuo protriuit. Nec minor erat virtus Traiani, qui Rempublicam ad pristinum statum quasi postliminio reducebat: sed retro statim sublapsa fertur, vsque dum planè subuersa fuit.

Quamuis autem sæpius deinde instauratum Romanum Imperium aliquandiu conseruaretur, peregrinæ tamen illud virtuti, non domesticæ fert acceptum. Etenim Imperator Traianus Hispania: Antoninus Pius Gallia: Septimius Seuerus Africa: Alexander Mammæa: Claudius Dardania: Aurelianus Mysia: Paulus Smyrnia: Galerius Dacia: Constantinus Costantini Magni F. Dardania: Theodosius postea instaurator Imperij vocatus, Hispania
B oriundi erant. Idem in Duces exteros quosdam, quorum virtus & fortitudo non minus nota est, conuenit. Ex quibus facile est videre Romanorum fortitudinem voluptatibus primò labefactatam, adeo tandem incisam esse, vt absque auxilio aliunde accersito subsistere, nedum ex se vires resumere haud potuerit.

Tametsi verò Barbarorum, exterorumque opera Romanis sæpè prodesset, labascere tamen & conuelli in dies visa est, ab eo tempore quando priuatum quisque spectare emolumentum, & non etiam publicum in rebus gerendis cœpit: vt alibi prolixius retuli.

Neque verò hoc mirum: Imperium enim internis destitutum viribus, exiguum tempus inuidis & hostibus reluctari potest: Imperium Hispaniæ intestina clade attritum intra triginta menses in Maurorum potestatem deuenit. Constantinopolitanum eodem morbo laborans intra paucos annos crudelissimam Turcæ dominationem sensit. Quæ pestes dissidiorum, luxuum, aliorumq; vitiorum cum in Imperio Romano in sui sublimitate aliquando viguerint;
C ex his primum à libertate in Regum potestatem; dein vero dum totius ferè Orbis dominium teneret, ab exteris & Barbaris Nationibus subactum, deuastatum, & quasi attritum illud fuerit: adeo verum est illud Galeni axioma, dum loquitur de optima corporis symmetria: *Neque in melius verti, neque diu sistere valet: necesse est, vt in deterius dilabatur.*

Altius prouectus sum Romani Imperij, & nostræ Vrbis cunctarum vrbium compendium, maiestatem, & sublimitatem enarrans; adeo vt robore & Ciuium numero quidquid vbique regnorum est, eadem Vrbs vicerit.

Sed quamuis contra ipsam omnium Barbarorum Europæ, Africæ, Asiæq; vires & ferrum deprædando, & dauastando insanierint. Quis credet certare tamen etiam nunc ipsam Vrbem cum florentissimis & æterna pace fruentibus regnis & Imperijs posse? ita vt si quis illius maiestatem, & splendorem modo intueatur; nulla ferè vnquam sensisse arma, nullaque vidisse vix credet?
D & quod magis forsan mirandum nil ferè amœnitatum diminuerit: atque hoc post tot sanguinum flumina; & Gothorum, Ostrogothorum, Vandalorum, & Longobardorum, & aliorum Barbarorum incursiones & vastationes.

Nec aliunde hæc Romanis contigisse, quam recta ipsorum mente, & optimis moribus ac institutis in eorundem Republica firmatis; (de quibus etiam in sequenti libro secundo dicemus) vt propterea ex ipsis Imperium iam fundatum tamdiu permansisse, & adhuc latius præsidere, religione diuina quam dominatione terrena illud videamus.

De Romæ, Romanique Imperij felicitate talia delibasse sufficiant; sicut enim Ethnici Scriptores erga priscam illius potentiã ad adulationem proni

AETERNVM fore Imperium & Vrbem dixerunt : certiùs autem, & indubitanter CHRISTVS Redemptor noſter de Catholica Romana Eccleſia teſtatus eſt ; ex quo ſupra firmam Petram ſit illa fundata ; vt contra illam non ſint portæ Inferi præualituræ ; ac etiam vſque ad mundi finem ſit eadem permanſura. A

FINIS PRIMÆ PARTIS.



PARS

A

PARS SECVNDA.

VRbis & Romani Imperij exordium, progreſſum, ſublimitatem; necnon declinationem & iterum reſtaurationem eorundem perſtrinximus: quibus moribus & inſtitutis Romana maieſtas tam potens deuenerit, modo indagabimus. Hic quoque profana iungemus ſacris, & ſacra profanis; & paſsim externorum ope noſtris lucubrationibus lucem feremus; vt nexu profana reddantur ſacra, ſacra fiant illuſtriora. Apoſtolus namque cum Gentilium produxiſſet ſententiam, Eccleſiaſticam eo ipſo redditam dixit ſanctus Hieronymus in epiſtola, quam ad Demetriadam ſcripſit, ait enim: *Matronarum maritis à ſæculo ſeruientium, tibi conſortia declinentur*: & infra: *Venenatæ ſunt huiuſmodi confabulationes: ſuper quarum damnatione SECVLAREM VERSVM aſſumens Apoſtolus, FECIT ECCLESIASTICVM. Corrumpunt mores bonos confabulationes malæ.* Hoc exemplo nos quoque à Gentilibus ſumimus, vt quæ noſtra profana ſunt, ad ſacra transferamus. Et primo de Romanorum Triumphis plura cognoſcemus.

B

De Triumphis Romanorum. Cap. I.

C QVoniam res nulla adeo virtutem excitat, quam ſpes ipſa præmij, quod eſt honor; hinc mos vbique omnium penè gentium fuit, vt bellicæ gloriæ memoriam illæ ad poſteros tranſmitterent; inde arma hoſtibus directa domi ad poſtes affigebant, aut templis è tholo ſuſpendebant, arcus, trophæa, aras, ſtatuas erigebant; necnon triumphos ducebant: cuius veſtigia in ære, & marmore defixa litteriſue, ac monumentis prodita in omnem conſequentis temporis ætatem perdurarent. Nam & in hiſtoria ſacra Regum lib. 1. cap. 21. Enſis Goliath pallio inuolutus apud Abimelech ſacerdotem Deo conſecratus & valuis affixus eſt. Hinc etiam Virg. Aeneid. lib. 7.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Silius lib. 6.

Affixi clypei, curruſque & ſpicula nota,
Aedibus in paruis, magni monumenta triumphi.

D

In Arcubus maximè priſcorum Imperatorum memoria ſeruabatur: nquidem cum in ijs ſpolia hoſtibus directa, trophæa, oppida capta, hoſtium arma, captiuorum greges, res ab Imperatoribus geſtæ exculperentur. Claudian. lib. 3. Stilicon. *De arcu triumphali.*

Indutoſque arcus ſpolijs, æquataque templa Nubibus.

Idem Panegyr. 4.

Aeraque veſtitis numeroſa puppe columnis,
——— ſpolijſque micantes
Innumeros arcus.

Iuuenal. Satyr. 10. A

Summo triſtis captiuus in arcu.

Prudent. lib. 2. in Symmach.

Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadrijugos, ſtanteſque duces in curribus altis,
Sub pedibuſque ducum captiuos poplite flexo
Ad iuga depreſſos, manibuſque in terga retortis.
Et ſuſpenſa graui telorum fragmina trunco.

Romæ in arcu Titi marmoreo exculptus adhuc apparet Imperator in curru ſedens ab alata victoria coronatur: currui præfertur Arca fœderis inter Iudaica ſpolia. Altera parte Tabulæ Moſaycæ, Menſa aurea, Candelabrum aureum, & varia templi Moſayci vaſa. In quibuſdam arcubus expreſſæ pugnæ nauales & terreſtres cum varijs machinis bellicis & armis, quod in arcu Septimij videre eſt ad radices Capitolij. In arcu Magni Conſtantini exculptum eſt bellum in Maxentium, cui etiam iacenti Conſtantinus equo admiſſo inſultans minatur. B

Trophæa. Trophæa ex ſpolijs cæſorum hoſtium fiebant. Conſtruebantur è lapide, marmore, trunco arboris, ære. Pauſanias in Atticis: *Lapidem parium ducebant ad ponendum trophæum.* Cicero 2. de Finibus: *Thebani æneum in finibus ſtatuerunt trophæum.* Veteres arborum truncis vſi. 10. Aeneid.

Exuuiaſque viri tua pinus habebit.

Claud. lib. 1. in Ruffin.

Et hoſtiles ſuſpendit in arbore criſtas.

Et ad ſepulcra fortium trophæum appoſitum, Virg. 11. Aeneid.

Ingentem quercum, deciſis vndique ramis,
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti Ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumque locis. C

Prudentius lib. 2. in Symmachum.

Vis decorare tuum ditiſſima Roma Senatum?
Suſpende exuuias armis, & ſanguine captas,
Congere cæſorum victrix diademata Regum.

Præferebant Trophæa ſpeciem quandam Crucis, vt docet Cyprianus in Symbolum, & Octauius in Minutio: *Trophæa veſtra victricia non tantum ſimplicis Crucis faciem, verum & affixi imitantur.* Et Iuſtinus in Apolog. 2. *Signa veſtra militaria figuræ huius Crucis poteſtatem declarant: ipſa enim Trophæa, per quæ progreſſus veſtri vbique fiunt, Imperij, & poteſtatis huius, quæ in Cruce eſt, ſigna oſtendunt.* Interdum columnæ, aræ, & turres pro trophæis fuere. Quod Herodotus de Seſoſtri lib. 2. *Antiquiores columnæ ſtatuis, qualis C. Menio victis Latinis, C. Duilio Pœnis in foro poſita eſt.* De Ariſ. Tullius l. 15. ad familiares: *In Amano monte aræ ſunt Alexandri.* Tertull. de Paliio: *Poſt trinas Pompeij aras.* De Turribus Florus lib. 3. cap. 2. inquit: *Victis Allobrogibus Domitius Aenobarbus, & Fabius Maximus ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus trophæa.* D

Triumphus. Triumphum ab exultatione dictum eſſe vult Iſidorus. Zoneras vero & alij quaſi quod plebs, equites, ſenatus ter Io triumphe canerent. Tibull. lib. 2. Eleg. 5.

Ipſe gerens laurum, lauro diuictus agreſti,
Miles io magna voce triumphe canam.

Ouid. lib. 4. Triſtium eleg. 2.

——— *Ioque*
Miles, io magna voce triumphe canet.

Idem

A Idem eleg. 2. Amor.

Vulgus io magna voce triumphe canet.

Bacchus primus omnium India subacta triumphum duxisse dicitur, Diodor. Siculus lib. 4. Plinius lib. 8. cap. 56. Aegypti Rex Sesostris triumphi speciem quamdam exhibuit, qui è victis Regibus sorte singulos ad currum iugebat, Plinius lib. 33. cap. 3. & dum templa & vrbes inibat, quatuor Reges subiugabat, Diodorus lib. 2. de Alexandri triumpho Babylonem ineunte victo Dario, Q. Curtius lib. 5. & aliis plurimis omissis Heraclius victor è Perside venerabilem Christi Domini Crucem è Perside referens, triumphum duxit, refert Zoneras, ac etiam Cedrenus sic inquit: *Cum acclamationibus & plausu exceptus splendidè à Senatu & Populo. Crux in curru cælo aureo tecta præibat: sequebatur ipse laurum tenens: Populus Vrbis cum Imperatore Constantino Heraclij filio, & Patriarcha Sergio oleæ ramos manibus gestantes & lampades, Heraclium exceperunt, & Deo gratias, hymnosque canentes in Regiam deduxerunt.*

Apud quos triũphus in vsu?

B Romæ primum triumphi auctorem Romulum fuisse constat. Is enim Acrone occiso, exercitu victore reducto, spolia ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens, in Capitolium ascendit; ibique ea cum ad quercum Pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designauit, templo Iouis fines, cognomenq; addidit Deo Feretrio; legẽdus ea de re Liuius l. 1. Plutarch. his verbis: *Quercum excidit proceram, & trophæi more formauit, singulaque Acronis arma ordine circumstruxit: ipse autem veste succinctus, caput comatum laurea coronauit.* Hoc initium triumphi fuit humile sine curru, sine equo, speciem verius trophæi, quam triumphi. Iterum Romulum triumphasse Veijs captis scribit Dionys. lib. 2.

A quo triũphus decretus?

Romulus auctoritate Regia quamquam sibi triumphum primum adornauerit: deinde Senatus, aut Populi decreto, vel vtriusque consensu opus fuit. Ipsa etiam ornamenta triumphalia sub Imperatoribus S.C. data. Tacitus in Agricola inquit: *Igitur triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decerni Agricolæ in Senatu iubet Domitianus.* C Vespasiano & Tito à Senatu decretus triumphus, Ioseph. lib. 7. c. 16. olim auctoritas Senatus necessaria fuit, Liuius lib. 3. Tum primum sine auctoritate Senatus populi iussu triumphatum est à M. Valerio & Horatio. Zoneras tom. 2. Tribuni vt plurimum petentibus triumphum aduersabantur. Liuius lib. 38. & Sallustius, Plutarchus, & Valerius lib. 5. capit. 4.

Quibus de causis decretus triũphus?

Non propter solam victoriam decretus est triumphus, sed solum ei qui Imperium auxit, aut quinque hostium millia interemit. Valerius Max. lib. 2. cap. 3. Pro aucto Imperio non pro recuperatis, quæ Populi Romani fuissent, triumphus decernitur. Scipioni ob recuperatas Hispanias triumphus non datus. Ammianus Marc. lib. 16. exagitat triumphum Constantij, quod eius idonea causa nulla fuerit. L. Marius & M. Cato Trib. Pleb. tulerunt legem, qua Imperatoribus minatur pœna, qui hostium occisorum in prælio, aut amissorum Ciuium falsum numerum litteris Senatu ausi essent referre. Valer. D Max. dicto cap. 3.

Quibus decretus.

Triumphi petendi ius tantum habuerunt Consules & Prætores, qui suis auspicijs bellum gererent. Plutarch. in Pompeio, quod non modo in maiori Triumpho, sed & in ouatione seruatum. Liuius lib. 26. Scipio tamen maior, & Pompeius sine magistratu re gesta triumpharunt, Lentulus etiam ouauit, Cicero: *Quid tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare? at Pompeius triumphauit.* Liuius lib. 28. *Nemo, qui sine Magistratu rem gessit, ad eam diem triumphauit: Pompeius 24. annos natus adhuc eques Romanus, quod nemini contigerat; ex Africa triumphauit.* Prætores triumphasse nemo est, qui dubitet, Liuius lib. 49. Prætores triumphasse ex Hispania scribit. Capta

autem & oppreſſa ab Imperatoribus Republica pro eorum libidine decreti triumphi. Sueton. in Auguſt. cap. 38. *Nec parcior in bellica virtute honoranda, ſuper* 30. *ducibus iuſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit.* Apud Valer. Max. lib. 4. *Summa moderatio C. Claudij Neronis fuit, qui cum Liuij Salinatoris in opprimendo Aſdrubale gloriæ particeps fuiſſet; tamen eum triumphantem equo ſequi, quam triumpho, quem ei Senatus æque decreuerat, vti maluit; quare ſine curru triumphauit.* A

Vbi petitus triũphus. Triumphum petentes extra Vrbem morari ſoliti, Liuius lib. 42. *Ad ædem Bellonæ Senatus ei datus eſt, poſtulatoque fruſtra triumpho; in monte Albano, quod iam in morem venerat, vt ſine publica auctoritate fieret, triumphauit.* Dionyſ. lib. 11. *Ipſi Imperatores in Campo Martio caſtra metabantur, & à Populo apparatum, ſumptuſque in triumpho accipiebant.* Et infra: *Apparatus omnis in ſuburbijs fuit: neque interim in Vrbem inibant Imperatores; quod & nomine Imperatoris, & iure triumphi excciderent, qui Vrbem ingreſſi eſſent.*

De ouatione. Duo genera triumphorum fuere: maior qui propriè Triumphus, & minor qui Ouatio, quem Dionyſ. lib 6. *Peditum triumphum*, à clamore ò ò dictum, vt putat Feſtus. Poſthumio Tuberto omnium primo decreta ouatio, qui pedes pompam victoriæ duxit, narrante Plinio lib. 15. c. 29. Ita & Maſſurius Sabinus apud Gellium lib. 5. capit. 6. Poſtea equis ouantes ingreſſi ſunt. Sueton. tamen Tiberium cum curru vectum ſcribit lib. 3. cap. 9. ibi: *Triumphalibus ornamentis honoratus, nouo nec antea cuiquam genere honoris tributo:* Caſſiodor. ad pſalm. 19. *Duo apud antiquos erant genera triumphorum, vnum maius in curribus, quod laureatum dicebatur; aliud minus in equis, quod ouatio nuncupabatur.* Symmach. lib. 10. ep. 22. *Vt ouantes equorum dorſa geſtarent; vt triumphantes currus inueheret.* B

De donis militaribus. De Imperatore cum per Vrbem in Capitolium curru inueheretur, refert Zoneras: *Triumphali habitu ornatus, armillis ſumptis, laurea redimitus, & ramum dextera tenens, populum conuocabat; & militibus publicè, quibuſdam etiam ſeorſim laudatis, pecuniam donabant, & ornamenta, armillas, haſtas ſine ferro, & coronas alijs aureas, alijs argenteas, expreſſo in ijs nomine, & facinore viri.* Liuius lib. 39. *Fuluius multos eo die priuſquam in Vrbem inueheretur in Circo Flaminio, Præfectos, Equites, Centuriones Romanos, ſocioſque donis militaribus donauit: militibus ex præda 25. denarios diuiſit, duplex Centurioni, triplex Equiti.* & idem lib. 40. *Q. Fuluius Flaccus Celtiberis victis, militibus de præda quinquagenos denarios dedit, duplex Centurionibus, triplex equiti, tantundem ſocijs Latini nominis, & ſtipendium omnibus duplex.* Et idem de P. Aemilio lib. 45. *Pediti in ſingulas dati centeni æris, duplex Centurioni, triplex equiti: tantum pediti daturum fuiſſe credunt, ſi aut non refragati honori eius fuiſſent, aut benignè hac ipſa ſumma nunciata acclamaſſent.* Dona, quibus donati erant milites in triumpho & ludis præferebant. Liuius lib. 39. de Triumpho Manlij: *Multi omnium ordinum donati militaribus donis, currum ſecuti ſunt.* & idem lib. 10. *Pedites, Equites inſignes donis tranſiere, ac tranſuecti ſunt: multæ ciuicæ Coronæ, Vallares, & Murales conſpectæ.* Milites etiam prædicta dona in larario aſſeruabant tanquam ornamenta generis, vt Magiſtratus ornamenta magiſtratuum, quos geſſerant. Cicero Philip 3. *Inſignia, & ornamenta generis, nominis, honoris.* & idem in Catilinam: *In animis ergo noſtris omnes triumphos noſtros, ornamenta omnia honoris, monumenta gloriæ, inſignia condi volo.* C D

De coronis. De Coronis militaribus ſingulare eſt illud, quod refert Zoneras in Camillo ibi, coronas Imperator alijs aureas, alijs dabat argenteas. Si quis enim primum mœnia hoſtium inſcendiſſet, coronæ muri forma impreſſa: ſi oppidum, aut caſtellum expugnaſſet, eius imago inſculpta: ſi nauali prælio vicerat, nauis: ſi equo, equi aut alicuius rei equeſtris: qui ciuem è pugna, obſidione, alioue periculo ſeruarat, maxima laude, tum vero querna corona,

quæ

A quæ aureis & argēteis dignior fuit, & honoratior, donatus est. Hæc Zoneras. Voluit Gellius Muralem quasi quibusdā muri pinnis decoratam. Festus Vallarem aureo vallo distinctam, Triumphalem rebus ab Imperatore gestis exculptam, Rostratam aureo rostro ornatam volunt. Quamquam Coronæ aliquot frondeæ, gramineæ, laureæ, quernæ fuerunt, in quibus illæ imagines excudi non potuerunt. Dionys. lib. 6. de P. Valerio Consule. De corona Graminea inquit Plinius lib. 16. cap. 4. nullam fuisse illa nobiliorem: *Gemmatæ, aureæ, vallares, murales, ciuicæ, triumphales post hanc fuere.* Graminea nulli nisi ab vniuerso exercitu seruato decreta; cæteras Imperatores dedere, hanc solum miles Imperatori: eadem vocatur Obsidionalis. Myrtea corona vtebantur Imperatores, qui ouantes Vrbem introibant. Ouandi autem, & non triumphandi causa est, cum aut bella non ritè indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt, vt seruorum, piratarumque, aut deditione repentè facta, incruentaque victoria obuenit. Cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt; quod non Martius sed quasi Venerius quidam triumphus fo-
B ret. Hanc Myrteam coronam M. Crassus cum bello fugitiuorum confecto ouans rediret, insolenter est aspernatus; Quintus Cons. per gratiam faciundum curauit, vt lauro non myrto coronaretur. Cicero orat. in Pisonem. Gellius lib. 5. cap. 6. Plinius lib. 15. cap. 29.

De laurea corona.

Lauream ab Apolline esse docet Aelianus lib. 3. cap. 1. Sacra semper habita, cuius ramum tenere soliti, qui Deorum laudes canunt, Hesychius. Id causæ fuit, cur laurea triumphis amica, ianitrix Cæsarum, Pontificumque. Plinius lib. 15. cap. 30. Hæc eadem Imperium portendere visa; quod in Alexandro Seuero factum, quo nascente domi laurus iuxta Persici arborem nata est, quam intra annum vicit, refert Lampridius. Hæc suffimentum cædis hostium & purgatio. Plutarch. in Marcello inquit: *Qui triumphant, vt in lustrationibus exercitus solent, arma viroſque coronantes, &c.* Ex illa arbore coronam sibi pangebant Imperatores, aut suebant, qui mos à Romulo profectus, vt Dionys. & Plutarch. volunt, hinc Tacitus lib. 1. Annal. *Vt assequi nomen Im-*
C *peratorium, & deportare lauream posset.*

De corona triumphali.

Laureæ olim fuere triumphantium coronæ, postea prælatæ sunt aureæ, vt Gellius lib. 5. cap. 6. Ita enim aureæ esse cœperunt, vt laureis locum suum non ademerint: quemadmodum enim in triumpho milites laureati fuerunt, vt participes triumphi essent; & tamen vallares, murales, nauales, aureas aut ipsi gesserunt aut præferri sibi curarunt: ita & Imperatores laurea redimiti, & aurea corona ornati, Liuius lib. 10. *Tunica palmata, corona triumphalis laureaque.* In ea insculptæ erant res ab eo gestæ, sicuti in muralibus aureæ pinnæ, in rostratis aureum rostrum, in vallaribus ex auro vallum erat expressum. Ingentem fuisse oportet hanc coronam, quæ vix ab homine feriato & forti ferri posset, Iuuenal. Satyr. 10.

——— *Magnæque coronæ*
Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vna.
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru seruus portatur eodem.

D Interim seruus is, qui à tergo coronam auream portabat, suggerebat triumphanti, Respice post te; Hominem memento te. Tertull. in Apolog. *Hominem se esse triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: suggeritur enim ei à tergo, Respice post te; Hominem memento te.*

De habitu triumphantis.

Habitus triumphantis describitur à Iuuenal. Satyr. 10.

In tunica Iouis, & pictæ serrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ. ———
Da nunc & volucrem sceptro, quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, niueosque ad frena Quirites.

Regum Hetruscorum insignia sunt Imperij. Florus lib. 1. capit. 5. inquit:

Et Iu-

E Tuscia fasces trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, currus, quatuor equi triumphantium, togæ pictæ, tunicæ palmatæ, omnia denique insignia Imperij. Dionys. lib. 5. *Victi Etrusci ad Tarquinium Priscum attulerunt auream coronam, sellam curulem, sceptrum, in cuius vertice aquila, tunicam purpuream auro insignitam, & togam purpuream pictam, qualem amictum Lidorum, & Persarum Reges gestarunt: inde etiam decem secures ad eum attulerunt, singulas ex singulis vrbibus accipientes.* De quibus Liuius lib. 1. Me haud poenitet eorum sententiæ esse, quibus & apparitores, & hoc genus ab Hetruscis finitimis; vnde sella curulis, vnde toga prætexta sumpta est, &c. Et huiusmodi insignibus vsos viros triumphales sub Consulibus, referunt Liuius & alij. A

De curru. Triumphalis currus rotundus fuit non absimilis ijs, quorum vsus aut in circo, aut in bellis, Zoneras in Camillo. Aureus erat, aut eburneus, inauratus, gemmis sæpè ornatus. Eutropius lib. 4. *Paulus Aemilius triumphauit victo Perseo in curru aureo.* Ammian. Marcellin. lib. 16. *Constantius insidebat aureo solus carpento, fulgenti claritudine lapidum.* Ouid. lib. 1. Amor. eleg. 2. B

Ibis inauratis aureus ipse rotis.

In Aureliani triumpho currus vnus fuit Odenati, argento, auro, gemmis operosus atque distinctus: alter quem Rex Persarum Aureliano dedit, ipse quoque pari opere fabricatus. De eburneo curru Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 2. *Currus spectat eburneos.* Tibull. lib. 1. eleg. 8. *Portabit nitidis currus eburnus equis.* Sunt scribæ, administri, apparitores, lictores triumphantis. Iuuenal. Satyr. 10. *Niuei ad frena Quirites.* Pueri igitur Prætextati eodem curru cum patre ferebantur, adolescentes in equis circumstabant, Eutropius lib. 4. de Paulo Aemilio: *In aureo curru triumphante cum duobus filijs vtroque latere astantibus.* Sed Imperator, antequam currum inscenderet, è suggestu apud milites vota precesque concipiebat, vt Iosephus lib. 7. his verbis: *Dij nutu & Imperio, quorum nata & aucta res Romana, eandem placati, propitiatique seruate.*

De equis. Curru vecti sunt bijugo, quadrijugo, seiugo: nonnulli elephantis, leonibus, ceruis. Nam de Sesostri, cuius currum quatuor Reges traherent, supra diximus. Romæ primus equis triumphauit Romulus, referunt Dionys. Plutarchus. De Quadrigis albis Ouid. 1. de Arte: *Quattuor in niueis aureus ibis equis.* Liuius lib. 5. de Camillo: *Maxime conspectus ipse est curru equis albis iuncto, Vrbem inuectus, &c.* Triumphauit elephantis Iulius Cæsar apud Sueton. cap. 37. *Ascenditque Capitolium ad lumina, quatuor elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Elephanti Romæ iuncti primum subiere currum Pompeij Africano triumpho, quod prius India victa triumphante Libero Patre memoratur: ait Plinius lib 8 cap. 2 Leones M. Antonius ad currum primus fabiunxit, Plinius lib. 8. cap. 6. Plutarch. in Antonio. Currus Regij tres fuerunt in triumpho Aureliani apud Vopiscum ibi: *Fuit alius currus quatuor Ceruis iunctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum, quo Capitolium Aurelianus inuectus est, &c.* Domitianus non quadrijugo curru, sed humeris hominum inuehebatur, ait Plin. in Panegyr. Alexander pedes Palatium conscendit apud Lamprid. C

De annulo ferreo & reliquo ornatu. Plinius lib 33. cap. 1. Parem triumphantis & serui publici fortunam dicit, quod triumpharent in annulo ferreo, qui æque in digito triumphantis erat, & serui fortasse coronam sustinentis: sic triumphauit de Iugurtha C. Marius, &c. Minio illinebantur triumphantium corpora; ita Camillus triumphauit, cum esset minium sacræ auctoritatis, Plin. lib. 33. cap. 7. Isidor. lib. 18. cap. 2. inquit: *Inde & rubro colore perlinebantur, quasi imitarentur diuini ignis effigiem, aut ætheris, ideſt Iouis similitudinem.* Bullam insuper gestabant è collo triumphantes inclusis intra eam remedijs, quæ crederent aduersus inuidiam validissima. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6. *Sicut prætexta Magistratuum,* D

ita

A *ita bulla gestamen erat triumphantium, inclusis intra eam remedijs, quæ crederent aduersus inuidiam validissima.*

Cum extra Vrbem triumphi apparatus factus esset, & dona militibus à triumphante data, triumphali habitu in currum Imperator conscendebat, & in Vrbem porta triumphali ferebatur. Cicero in Pisonem: *Quasi vero ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali, &c.* Hæc porta erat in ea murorum parte, quæ ab Adriani sepulcro ad sancti Spiritus portam producitur, qua iter est ad Septimiam, de qua Iosephus lib. 7. Triumphalis portæ meminerunt Tacitus lib. 5. Sueton. in August. cap. vlt. ait: *Vt inter alia plura censuerint quidam funus triumphali porta ducendum.* Dio lib. 56. Interdum per Capenam portam, quæ nunc sancti Sebastiani, ducebatur triumphus, quo respexit Propert. lib. 4. *De porta triumphali.*

Armaque cum tulero portæ votiua Capenæ.

Fuit & Via triumphalis, quæ à Campo Vaticano continuabatur in Capitolium è lapide Tiburtino: fuit & Romæ in Tiberi Pons triumphalis, cuius
B pilæ hodieque ex aqua eminent inter Aelium & Aurelium pontes. Nero muris effractis more Olympionicarum in Vrbem introiuit, Xiphilin. in Nerone: *Athenis cum Olympionicæ Vrbem inirēt, muri deijciebantur.* Aelian. lib. 12. c. 58.

Cum dies triumphi aduenisset, infinita multitudo Romæ triumphantem cum Magistratibus præstolabatur per ea vbique loca, quæ spectando essent idonea; refert Iosephus lib. 7. cap. 16. ibi: Cum dies ante indicta esset, qua pompa futura erat triumphalis, nemo Romæ abfuit ex immensa multitudine: omnes autem quasi præuenientes loca vbi vel consistere possent, capiebant, tãtum relinquentes dumtaxat, quod pompæ traducendæ satis esset. Populus tabulatis in Circis, & circa forum defixis, & alias Vrbis partes, quæ spectando commodæ erant occupantes, spectabant vestibus candidis amicti: omnia tẽpla aperta, & coronis plena, & suffitibus: multi administri, alijque virgam ferentes, qui cohiberent eos, qui in medium temerè confluebant, discurrebantque, vias apertas præbebant. Hæc Iosephus. Imperatores vbi
C acclamassent milites silentio indicto vota faciebant conceptis ita verbis apud Liuium: *Dij nutu & imperio quorum nata, & aucta est Res Romana, eandem placati, propitiatique seruate.* Post Vota paucis milites allocutus Imperator, ornamentis triumphalibus amictus sacrificio Dijs facto, per templa, delubra, & theatra, quibus facile Populus spectare posset, procedebat. Tacitus lib. 14. *Extructi, qua incederent spectaculorum gradus, quomodo triũphi visuntur.* Vnde cum se vertisset ad Plebem Imperator, stupebat, qua celeritate omne, quod vbique est hominum genus, confluxerit Romam. *Quæ antepompam.*

De huiusmodi pompa inquit Cicero in Pisonem: Differis de triumpho, quid tandem sit iste currus? quid victi ante currum Duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per Vrbem. Appian. de bello Mithridat. loquitur de Pompeio: Præibat pompæ Senatus in Capitolium. Dio lib. 51. scribit Consules præire solitos triumphanti, Senatum sequi: secuti etiam qui triumphalia ornamenta adepti erant. Zoneras inquit:
D *Amicti ornamentis triumphalibus inibant Vrbem, spolijs, & trophæis antecedentibus, in quibus expressa erant Castella expugnata, vrbes, montes, fluuij, paludes, maria & omnia, quæ ceperant: quod si pompa vno die peragi non poterat, secũdus, & tertius addebatur.* Cæsaris triumpho pompa quatuor diebus ducta est, Dio l. 43. Pompeius duobus diebus duxit triumphum. Appian. in Mithridat. Primo loco ante triumphantis currum præferebantur imagines, simulacra Deorũ erepta victis, colossi ex hostiũ præda. Plutarch. in P. Aemilij triumpho, ex quo cæteros æstimare licet, sic ait: *Prima dies, vix simulacris captiuis, picturis, colossis transuehendis in 250. Bouũ iugis, hoc spectaculum habuit.* Appian. in triumpho Scipionis inquit. Tibicines, & spolijs onusta plaustra. *De pompa triũphali.*

Secun-

Secundo loco in pompa triumphi fuere ſpolia, & arma, trophæa, fercula, A
Plutarch. *Altera die pulcherrima, & magnificentiſſima Macedonum arma multis plauſtris traducebantur: ipſa quidem fulgentia ære, ac ferro recens terſo, ſed ea arte poſita, vt cum ſimul veherentur, temerè & ſponte locata eſſe putares: galeæ ſuper clypeos, loricæ ſuper ocreas, & peltæ Creticæ, & trecidica gerra, & pharetræ admixtæ frænis equorum, & enſes tralucentes inter hæc, & extantes; & ſariſſæ affixæ, cum arma proportione laxarentur, & modico interuallo diſſita eſſent, vt inter ſe agitata dum feruntur, ſonitum horridum darent, & eorum, qui victi eſſent aſpectus formidoloſus eſſet.* Liuius lib. 39. & arma, ſpoliaque multa Gallica carpentis tranſuecta. Duces hoſtium 250. ducti ante currum Cn. Manlij. In M. Fuluij triumpho ſigna ænea 285. ſigna marmorea 130. arma, tela, cæteraque ſpolia hoſtium, magnus numerus; ad hæc catapultæ, baliſtæ, tormenta omnis generis, Ouid. lib. 3. de Pont. eleg. 4.

Scuta ſed & galeæ gemmis radientur & auro,
Stentque ſuper victos trunca trophæa viros.
Oppida turritis cingantur eburnea muris. B

Quæ ſpolia in Capitolio locabantur interdum. Lamprid. in Alexandro: *Tunicis Perſicis in Capitolio locatis.* Appianus in Triumpho Pompeij. Plutarchus de Romulo, & alij.

Tertio loco fuerunt pegmata & fercula pompæ, de quibus Appianus in triumpho Scipionis inquit: *Turres præteruehuntur, ſimulacra captarum vrbium, & picturæ, & ſpecies rerum, quæ geſta ſunt.* Et præter relata per Zoneram in Camillo, legendus quoque Ioſephus, dum inter alia ſic inquit: *Fuit monſtri loco apparatus pegmatum, quæ geſtabantur, etenim metus erat, ne baiuli oneri impares eſſent: multa enim ex ijs erant tribus, & quatuor tectis.* Et infra: *Multis autem ſimulacris bellum in alia variè diuiſum, clariſſimam ſui ſpeciem præbebat: videre erat regionem fructiferam ad vaſtitatem vocari, phalanges totas hoſtium concidi, alios fugientes, alios captos trahi: mœnia ſublimia machinis ſubiecta, caſtella munitiſſima capta, vrbium populoſarum ambitus occupatos repente.* Ouid lib. 2. de Ponto eleg. 1. C

Protinus argento vexos imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris.
Fulminaque in montes, & in altas proſlua ſyluas,
Armaque cum telis in ſtrue iuncta ſuis.
Deque trophæorum, quod Sol incenderat auro,
Aurea Romani tecta fuiſſe fori.

Fercula erant ex ebore, aut materia aliqua precioſa, Velleius lib. 2. de Cæſare. Quinque egit triumphos, Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit: & qui lignea materia vteretur, de ridiculo Romæ fuit. Cuiuſmodi fuere Fabius, & Quintus Cæſaris legati, qui riſum fecerunt in Vrbe, quod ligneis non eburneis operum ſimulacris & ferculis vſi eſſent. Claudianus lib. 2. Stilicon.

Hi famulos traherent Reges, hi facta metallis
Oppida vel montes, captiuaque flumina ferrent. D

Præibant & in pompa elephanti: apud Eutrop. C. Dentatus an. V.C. 477. primus elephantos de Pyrrho triumphans duxit quatuor. L. Metellus in triumpho de victis in Sicilia Pœnis anno V.C. 503. elephantos duxit 120. vt Liuius in Epitom. l. 19. Titulus interdum Captiuis, vt dignoſcerentur aſcriptus. Vopiſcus in Aureliano. Mulieres, quas de Amazonum genere titulus indicabat: Prælati ſunt tituli Gentium nomina continentes, vt ex Suida. Sueton. in Iulio inter pompæ fercula Pontico triumpho trium verborum prætulit titulum, VENI, VIDI, VICI. In ferculis enim ferebantur & ſpolia. Statius lib. 12.

Cumu-

A ——— *Cumulataque fercula criſtis.*

Item quarto loco fuere argentum, vaſa, pecuniæ, veſtes, & ſimilia. Plutarchus: *Plauſtra plena armis, proxime ſequebantur tria hominum millia nummos argenteos ferentium in vaſis 750. quorum ſingula trium talentorum erant, & à quatuor ferebantur: alij autem crateras argenteos, & cornua, & phialas, & calices.* Appianus lib. 2. Ciuil. de Triumpho Pompeij: *In triumphi pompam traduxit vehicula, & ſercula onuſta auro, & ſignati argenti 70. millia, & 510. drachmas.* De Pecunijs præter cæteros Ioſephus in triumpho Veſpaſiani: *Argenti, auri, eboris in operibus omnis generis numerum videre erat, non quaſi traductum in pompam, ſed vt aliquis dixerit fluuium exundantem.* Liuius lib. 34. in triumpho Flaminij: Secundo die aurum argentumque factum, infectumque, & ſignatum: infecti argenti fuit 18. millia pondo, & 270. facti: vaſa multa omnis generis, cælata pleraque, quædam eximiæ artis, & ex ære multa fabrefacta: & alibi in hoc legendus Liuius maxime in triumpho M. Porcij Catonis, & lib. 31. in L. Furij triumpho: & in Ouatione
B L. Lentuli, & lib. 40. in triumpho L. Fuluij Flacci, & lib. 26. de M. Marcelli triumpho. De Veſtibus precioſis eodem loco Liuius. Appianus in Pompeij triumpho, Ioſeph. lib. 7. *Erant & è purpura lectiſſima, & variſſima texta alia opere Babylonico belluato variè & accuratè picta. Hæc eiuſmodi, qui ferebant magno numero auro intextis veſtibus ornati, ad id ex omnibus electi cultu ſplendido, & opulento.*

Sequebantur quinto loco Tubicines, quos ex Appiano præiuiſſe toti pompæ diximus: Plutarch. *Tertia die primo diluculo tubicines, non modo Lydios, aut quibus in pompa Circi vtuntur, ſed bellicum canentes.* Onuphrius tribus locis tubicines fuiſſe ſcribit; in fronte, poſt aurea vaſa & proximè triumphantem. Poſt tubicines ſequebantur Boues auricornes 120. vittis & infulis coronati: qui ducebant eos iuuenes velati lino, & cincticulis bellè prætextis amicti ad ſacrificium procedentes, & pueri argenteas pateras, & aureos ferentes cululos. Plutarch. & Liuius lib. 34. in triumpho Flaminij, &
C idem lib. 45. *Pars non minima triumphi eſt, victima præcedentes.* Vopiſcus in Aureliani triumpho: Præceſſerunt elephanti 20. feræ manſuetæ Libycæ, Palæſtinæ diuerſæ 200. Tygrides quatuor, Camelopardali, Alces, cætera talia per ordinem ducta; Gladiatorum paria 800. quod poſtremum alibi nuſquam in triumpho reperio. Ludis triumphi Actiaci Rhinocerotem dedit Auguſtus, quem lib. 51. deſcribit Dio his verbis: *Rhinoceros cætera ſimilis elephanti, cornu autem eminulum habet in nare.*

Sexto, aut ſeptimo loco in pompa triumphi fuerunt, qui ferebant aureos nummos, & aurea vaſa, Plutarch. *Deinde poſt victimarios, & popas, ſequebantur, qui aureos nummos ferebant in vaſa trium talentorum diuiſos vna cum argento. Vaſa erant 77. Hos ſequebantur, qui ſuſtinebant ſacram phialam, quam P. Aemilius auri decem talentis, & gemmis inſtruxit: quique ferebant Antigonidas, & Seleucidas, & Thericleas, & cætera Perſei vaſa eſcaria, ex auro & pocula.*

Octauo loco erant currus è præda, Plutarchus, ſic in Pompeij triumpho
D Lectus Eupatoris, & ſceptrum apud Appianum & Solium. In triumpho Aureliani tres currus regios fuiſſe ſcribit Vopiſcus, Primum Odenati, alterum Regis Perſarum, tertium Zenobiæ.

Nono loco ſequebantur Captiui veſtibus amicti inſignibus, ſed catenis onuſti, Reges quidem aureis, alij pro genere & fortuna. Plutarch. in P. Aemil. *Deinde poſt currum, & arma Perſei modico interuallo filij Regis captiui ducebantur, & turba ſimul nutritiorum, præceptorum, inſtitutorum, qui manus cum lacrymis ad inſpectantes tendebant, & pueros vt populum obſecrarent admonebant.* Erant mares duo, puella vna, de quibus Eutrop. lib. 4. inquit. Ducti ſunt ante currum duo Regis filij, qui per ætatem infortunij ſui modicum

aut nullum sensum habebant, vnde & maior misericordia populi super mutata eorum fortuna, vt penè ad Perseum transeuntem oculos non adiecerint, vsque adeo ad pueros attenti erant: & multis lacrymari contigit misericordia ductis, omnibusque mixtum dolore, ac voluptate spectaculum fuit, donec illi præterierunt. Ipse Perseus filios, eorumque comitatum sequebatur pullatus & crepidatus more gentis præ magnitudine malorum stupenti, & attonito similis. Hunc sequebatur familiarium cohors deiecto vultu, in Perseum oculos cum lacrymis coniectantium, quasi sortem eius deplorarent, suæ immemores. Virg. 8. Aeneid. A

Incedunt victæ longo ordine gentes.

Ouid. lib. 4. Trist. eleg. 2.

Vinctaque captiua Reges ceruice ferentes,
Ante coronatos ire videbit equos.

Trebellius de Zenobia inquit: Iampridem ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret: vincti erant pedes auro, manus etiam catenis aureis, nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. Florus lib. 3. cap. 2. de Allobrogibus à Domitio Aenobarbo, & Fabio Maximo victis. Rex in carpento argenteo, quo in bellis vsus in triumphum ductus. *Non tamen perpetuum fuit, vt vincti in triumphum ducerentur:* Pompeij enim triumpho nemo vinctus fuit. Appian. de bello Mithrid. Raro mulieres ductæ, sed tamen ductæ. Dio lib. 43. in triumpho Iulij. Imperatores cum de foro in Capitolium currum flectere inciperent, captiuos in carcerem duci iubebant, idemque dies & victoribus Imperij, & victis finem facit, ait Cicero 7. in Verrem. Quod neque perpetuum fuit. Zenobiæ enim ab Aureliano viuere concessum: ferturque vixisse cum liberis matronæ iam more Romanæ, data sibi possessione Tiburti, non longe ab Adriani palatio, ait Trebellius. Sed neque Pompeius vllum è captiuis necauit, sed publicis impensis remisit quemque domum, exceptis Regibus & Regijs, è quibus solus Aristobulus mox interemptus est, & post eum Tigranes Tigranis Regis filius. Appianus in triumpho Pompeij: Moris tamen fuit, vt iuberentur occidi, neque ante Imperator Capitolio exibat, quam captiuos occisos nunciatum esset. Iosephus lib. 7, inquit: *Iniectus est Simoni Gioræ laqueus, isque in forum tractus, pessimeque habitus à trahentibus, vbi moris fuit noxios capitis damnatos occidi.* Orosius lib. 5. cap. 14. Iugurtha ante currum ductus, mox in carcere strangulatus est. B C

Decimo loco prælatæ Coronæ, quas socij Imperatori dederant. Plutarch. *Deinceps ferebantur coronæ aureæ* 400. *numero, quas socij victoriæ præmia cum legationibus ad P. Aemilium miserant.* Liuius lib. 39. Coronas aureas dona ciuitatum 45. in triumpho prælatas scribit, & lib. 34. Coronæ aureæ dona ciuitatum in triumpho translatæ, & idem Liuius lib. 7. Samnitibus victis Carthaginenses quoque Legatos gratulatum misere, cum coronæ aureæ dono; quæ in Capitolio in Iouis Cella poneretur; fuit pondo 25. & lib. 34. In Scipionis Asiatici aureæ coronæ 234. & Appian. in Cæsaris triumpho coronæ aureæ 2822. eædem pondo 2414. de quibus iam diximus supra cap. 3.

Vndecimo loco triumphans aureo curru laureatus fuit, qualem supra descripsimus, Liuius lib. 45. de P. Aemilio: *Ipse postremo Paulus in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa maiestatem præseferens: post currum inter alios illustres viros filij duo Q. Maximus & P. Scipio.* Præibant Imp. Lictores tunicis puniceis amicti, qui pariter incedunt ordine cum cantu, & tripudio, vt ex Plutarch. in Romulo, & alij; Consuli enim 12. fasces, Prætori, & Proconsuli sex, Dictatori 24. fasces. Dio lib. 54. Appian. lib. 1. Ciuilium, Plutarch. in Fabio. Refert Zoneras in Camillo; vt seruus publicus eodem curru veheretur cum Imperatore coronam gemmis auro vinctis supra caput eius tenens, & ad eum dicebat, *Respice*; quo monebat, vt reliquæ D

vitæ

A vitæ curſum prouideret, neque præſentibus elatus ſuperbiret: & ex curru tintinnabulum, flagellumque ſuſpendebatur; vt ea res indicio eſſet, eum tam aduerſa fortuna vti poſſe, vt vel flagris cæderetur, aut capite damnaretur: qui enim extremo ſupplicio afficiebantur, tintinnabula geſtare ſolebant, ne quis inter eundum contactu illorum ſe obſtringeret: ſic autem exornati Vrbem inibant. Zoneras.

Poſt currum proximè filij adoleſcentes, aut viri, inter alios viros illuſtres ſequebãtur: deinde equites turmatim, & cohortes peditum ſuis quæque ordinibus, ait Liuius lib.45. Plutarch. in P. Aemilio: *Lauro coronatus erat vniuerſus exercitus, currum Imperatoris per cohortes, & ordines ſecutus: canens autem partim quædam carmina vernacula riſu admixta; tum vero pœanas victoriæ, & præconia Aemilij.* Liuius lib.7. *Sequente Decio inſigni cum laude, doniſque cum incondito militari ioco; haud minus Tribuni celebre nomen quam Conſulum eſſet.* Sueton. in Iulio cap.49. *Inter cætera carmina, qualia currum proſequentes ioculariter canunt, &c. Vrbani ſeruate vxores, mœchum caluum adducimus,* B *&c. Auro in Gallia ſuprum emiſtis.* Liuius lib.31. *Maiores inſtituiſſe vt legati, tribuni militum, centuriones, milites denique triumpho adeſſent, vt veritas rerum geſtarum eius publicè videretur.* De Carminibus militum Martialis lib.7. epigram. 6.

Feſta coronatus ludet conuicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos

Idem lib.4. epig.33.

Conſueuere iocos veſtri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet eſſe Ducem.

Signiferos ſigna tuliſſe indicat Claudian. Panegyr.6.

Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla leuant.

De quibus Ammian. lib.16. de Conſtantio. Alios purpureis ſubtegminibus tecti circumdedere Dracones, haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus C illigati, hiatu vaſto perflatiles; & ideo velut ira perciti ſibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum. Altrinſecus præuntibus ſignis inſidebat aureo ſolus ipſe carpento, &c. Interim & clamor Populi militum carmen adiuuabat. vt Liuius lib.4. in triumpho C. Valerij. Ammian. lib.16. de Conſtantio: *Auguſtus itaque fauſtis vocibus appellatus, vocum, lituorumque intonante fragore cohorruit, &c.* Omnes enim Imperatori acclamabant, Ouid. lib.2. de Ponto eleg. 1. *Quaque ierat felix adiectum plauſibus omen.* & lib.4. Triſt. eleg. 2. *Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum.*

Interim roſæ, & alij flores ſpargebantur per vias Vrbis, lib.2. de Ponto el.1,

Saxaque iactatis erubuiſſe roſis.

Et lib.4. Triſt. eleg.2.

Vndique iactato flore tegente vias.

Et lib.1. Amor. eleg.2.

Læta triumphanti de ſummo mater Olympo
Plaudet, & appoſitas ſparget in ora roſas.

D Sueton. in Nerone cap.25. Triumphanti paſſim victimæ cæſæ ſparſo per vias identidem croco, ingeſtæque aues, lemniſci, & bellaria. Horat. l.4. Ode 2.

Dabimuſque Diuis thura benignis.

Mulſum etiam militibus datum ſcribit Liuius lib.30. Dio lib.2. de Romuli triumpho. Plautus Bacchid.

——— *Accipientur mulſo milites.*

Denique multi omnium ordinum donati militaribus donis, currum perſecuti ſunt, carminaque à militibus ea in Imperatorem dicta, vt facilè appareat in ducem indulgentem ambitioſumque ea dici, Liuius lib.39. & Appian. in Libyco: *Et triumphantium alios laudant, alios dictis mordent.*

A porta triumphali (nempè Capena, seu Appia: hodie sancti Sebastiani nuncupata) Imperator in Vrbem ingressus per circos, forum, sacram viam in Capitolium ferebatur: qua triumphus procederet extructi spectaculorum gradus, refert Tacitus lib. 14. Xiphilin. in Nerone. Propertius lib. 3. Eleg. 3. A

Me sat erit sacra plaudere posse via.

De itinere in Capitolium. Interim Pileati currum triumphantis sequebantur ij, qui seruitute exempti essent. Liuius lib. 33. *Pileati currum Cornelij sequebantur Cremonenses.* lib. 34 de triumpho Flaminij: *Præbuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui seruitute exempti fuerant.* Plutarch. in Flaminio. Terentius Comicus pileatus currum Scipionis maioris secutus est, cui libertas data, vt scribit Orosius lib. 4. cap. 19. In Capitolium cum deuenissent genibus erepentes gradus & scalaria templum inibant. Dio lib. 43. de Iulio Cæsare, & lib. 48. de Claudio victis Britannis. Labor fuit non modicus in ea geniculatione, cum in Capitolium non nisi per gradus 365. ascenderetur, ait Cedrenus; quamquam referat Tacitus lib. 19. B

Qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur.

In Capitolio preces concipiebant, vota soluebant, Dijs operabantur, vbi in Captiuos lege actum audissent, Iosephus lib. 7. cap. 18. Et Lampridius in Alexandro: Dimisso Senatu in Capitolium *ascendit, & tunicis Persicis* in Capitolio locatis, concionem huiusmodi habuit, &c. Post hoc cum ingenti gloria, & comitante Senatu, equestri ordine, atque omni Populo, circumfusisque vndique mulieribus & infantibus, maxime militum coniugibus, pedes palatium conscendit; cum retro currus triumphantis à quatuor elephantis traheretur.

De epulo triumphali. Addit Iosephus Vespasianum & Titum Impp. simul ac è Capitolio in Palatium transierunt, protinus aliquos ex viris principibus conuiuio excepisse, alijs autem omnibus magnificum epulum apparasse his verbis: *Vbi in Capitolio donaria dicasset, & spolia, in porticibus templi cænatus: vespere cum tibijs & fistulis abscedebat.* Idque veteri consuetudine ostendit Zonaras in Camillo; ac etiam apud Dionem lib. 45. de Iulio Cæsare inquit: *Cum autem in Capitolium venisset, finita est pompa, conuiuioque amicos excepit in porticibus templi.* Et idem Dio lib. 55. inquit: *Et equo vectus triumphum Tiberius duxit, & è populo alios in Capitolio, alios alibi multis locis prandio excepit, & eodem tempore Liuia & Iulia fœminis epulum præbuerunt.* Post Actiacam pugnam, quibus diebus Octauius triumphum duxit, singuli Senatores in ædium suarum vestibulis epulati sunt, Dio lib. 51. his verbis: *Illis triumphi diebus singuli Senatores vna die in ædium suarum vestibulis epulati sunt, nescio vnde ad id impulsi; neque enim vetus institutum fuit.* C

De ludis. Moris etiam fuit post triumphum dari ludos, & spectacula. Vopiscus in Aureliano: *Sequentibus diebus datæ sunt populo voluptates ludorum scenicorum, ludorum Circensium, Venationum, Gladiatorum, Monomachiæ:* ideo feræ in triumphum deductæ. Ludos autem spectabant ob triumphum decretos triumphali habitu: narrante Capitolino in M. Philosopho. & Lamprid. de Alexand. Seueri triumpho: *Alia die actis Circensibus, item ludis scenicis Congiarium populo dedit.* Sueton. in Tiberio capit. 20. Triumpho acto dari ludos Romæ solitos. Liuius lib. 39. ann. V.C. 568. Polybius in Epitom. l. 16. victo Siphace, ait: *Qui Romæ erant, ludos ediderunt, & celebritates, Scipione sumptus sufficiente, qua erat animi magnitudine.* Liuius lib. 40. Vouisse quo die postremum cum Celtiberis pugnasset, ludos Ioui opt. max. & ædem equestri fortunæ sese facturum, &c. D

De spoliis opimis. Spolia opima dicuntur quasi opulenta, quæ duci à Duce derepta sunt. Festus nomen factum autumat ab Ope Consiua Saturni vxore, quæ in Regia colitur à Populo Romano, quia omnes opes humano generi terra tribuit &

opima,

A opima, magnifica, & ampla; hinc Plutarch. in Romulo ex Varrone inquit: *Ei duci, qui generosum aliquod facinus manu ediderit, & ducem hostium occiderit, datur, vt opima spolia dedicet.* Quorum Romæ tanta raritas fuit, vt intra annos paulo minus 700. trina tantum contigerit nomini Romano; vna quæ Romulus de Acrone, altera quæ Consul Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia quæ M. Marcellus Ioui Feretrio de Viridomaro fixerunt, quæ numerantur à Propertio lib.4. eleg.10.

Armaque de Ducibus trina recepta tribus.
Tempore, quo portas Cænium Acrona petentem
Victor in euersum cuspide fundis equum
Nunc spolia in templo tria condita.

Valerius Max. lib.3. cap.2. Opima totidem numerat, Romuli, Cossi, Marcelli in æde Iouis Feretrij, vt & Plutarch. in Marcello 6. Aeneid.

——— *Insignis spolijs Marcellus Opimis*
Tertiaque arma Patri suspendet capta Quirino.

B Eodem virtutis & pugnæ genere vsi sunt T. Mallius Torquatus, & Valerius Coruinus, & Aemilianus Scipio. Hi etiam vltro prouocatos hostium duces interemerunt; sed quia sub alienis auspicijs rem gesserant, spolia Ioui Feretrio non posuerunt consecranda, V. Max. dicto cap.2. lib.3.

Dicta hæc de Triumphis Principum & Regũ terræ post perpessos labores & sanguinem effusum, vt bellicæ memoriæ gloriam ad posteros transmitterent: at summo equidem iure, qui Christiano nomine est insignitus, nisi prius opera charitatis, afflictiones, & ærumnas propter Christum fuerit perpessus, non merebitur triumphum gloriæ Dei. Lacessit etenim iudicem homo ille, qui postposita satisfactione delicti, quærit præmijs honorari. Vnde D. August. Meditat. cap.3. inquit: *Dulcem affectum Patris stultus exacerbat filius, qui post illatas contumelias ante pœnitudinem, hereditatis vsurpat celsitudinem.* Insolens est enim post debitam sibi mortem vitam quærere. Si- *Quomodo christianus triumphũ assequatur?*
C quidem si Christus ipse Dei Filius, qui peccatum non fecit; nisi post ærumnas perpessas, effuso sanguine, & spiritu supra Crucem emisso non est ingressus in gloriam suam: quinimo, vt inquit D. Ambros. lib.10. Comment. in Lucam: *Vulnera suscepta pro nobis cælo inferre maluit, abolere noluit; vt Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet. Talem sibi Pater ad dexteram locat trophæum nostræ salutis amplectens.* Quomodo ergo peccator inter sæculi delicias præsumet illam consequi gloriam? vt propterea exclamet. D. August. *Imitari non pudeat eum à quo præmiari desideras, & speras.* Et sicuti in eorum triumphis inambulabant & curribus procedebant Romani, & alij superbi Reges erecta ceruice, pulso metu, honoribus, opibus, voluptatibus innatantes, tanquam æternaturi in illis; & in medio cogitationum harum rapiebantur improuidi ad tenebrarum diem: faxit Deus ne pariter nos inter peccata, dum momentanea voluptate proposita ad gloriam ipsi aspiramus, miserè idem nobis contingat.

Lubet in hoc themate *nobis hic* perpendere quomodo Christus Rex no- *De triumpho Christi cũ triũphis Regum terræ comparatio.*
D ster & Deus humana carne assumpta morti proximus voluerit etiam ipse instar Regum terræ, quamuis in humilitate sua celebrem sibi parare triumphum.

Namque de Camillo, P. Aemilio referunt Zoneras & Plutarchus, illos triumphali habitu ornatos, armillis sumptis, laurea redimitos, & ramum dextera tenentes supra speciosos quatuor & sex equorum currus triumphasse. Quid aliud est Christum Dominum ante sex dies Paschæ Hierosolymam ingredi asello, & asina inequitantem, quam currum humilem sibi parasse ad triumphum; vt Regni sui speciem, quod in humilitate consistebat, ante oculos nobis proponeret; sicuti iam præcedentibus sæculis per Zachariam

cap.9.

cap.9. fuerat vaticinatum his verbis: *Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ: & loquetur pacem gentibus; & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ.* Verè iuſtus, qui quod iuſtitiæ ratione ſcelerum noſtrorum debebatur, in ſe exſoluit: vere Saluator, à quo vno ſalutem habemus: hic ille qui pacem ab Iſraele tranſtulit inter gentes, quique ſolus orbi dominatur, cuiuſque Imperium nulla claudunt maria, nulla flumina. A

Laurea redimiti & aurea corona ornati triumphabant Imperatores & Reges. In hoc autem triumpho Chriſtus Rex noſter non gloria & honore coronatus, ſed terra proferens ſpinas & tribulos, ſpineam coronam capiti eius ſubminiſtrauit: hinc nos pro ſpinea corona in qua Chriſtus mundi delicta portauit, ſerta ærumnarum & paſſionum pro illo nobis componamus, vt communicantes paſſionibus in reuelatione gloriæ eiuſdem exultantes gaudeamus.

Præcedebant, & ſequebantur in Romanorum & aliorum Regum triumphis varia militum genera, Ciuium, & Magiſtratuum qui ſuperbiam & humanum faſtum pro deuictis hoſtibus indicabant. In Chriſti autem triumpho Apoſtoli, Diſcipuli, & Turbæ, præeuntes & inſequentes humiliantem ſe Chriſtum Deum ſuper aſinam, ſequebantur ſimul pompam ouantis Ducis & de peccato triumphantis. B

Et quatenus in Romanorum & aliarum gentium triumphis fuerint in antecedentibus ſpolijs, & victoriæ inſignibus expreſſa caſtella, vrbes, montes, fluuij, paludes, maria, denique omnia, quæ capta erant: at vero in Chriſti triumpho; ex quo ipſemet Deus & Rex manſuetus procedebat, vt nos à peccatis redimeret, apparebant non pennicillo, vel aliter expreſſa, ſed mentis oculis clare perſpiciebantur ſpolia ſua, quæ deuictis Diabolo, mundo, & carne ex tali triumpho reportabantur; cum ad hoc in mundum veniſſet; vt propterea Apoſtolus ad Coloſſ.2. *Expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* C

Mos fuit etiam apud priſcos, vt qui Imperatores in triumpho proſequebantur, ſternerent ipſi propria veſtimenta per vias; vt in vita Minoris Catonis refert Plutarchus his verbis: *Finito tempore prouincia abeuntem non votis, ſed lacrymis, & inſatiabili amplexu milites proſequebantur; ſternentes veſtes per ea loca, quibus ipſe pedibus iturus erat; quod genus honoris non niſi Imperatoribus idque perpaucis eo tempore tribuebatur.* Et in Chriſti triumpho dicit Euangeliſta: *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via.* Subſtrauerant illæ veſtes ſuas aſinæ, cui inſederat Chriſtus in Regiæ maieſtatis teſtationem; ſic olim Principes exercitus Iſrael victo per Eliſeum puero Iehu in Regem Iſrael 4. Reg. capit.9. *Vnuſquiſque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus eius in ſimilitudinem tribunalis, atque dixerunt: Regnauit Iehu.*

Ferebant apud priſcos Romanos præ manibus milites lauri & olearum ramos, tanquam victoriæ ſymbolum, ſequentes in triumpho currum ſecundum legiones, cohortes, & manipulos, refert Plutarchus in P. Aemilio, vt mos erat apud cæteras nationes triumphantes in præliorum lætitiam ramos palmarum deferre, vt legitur 1. Machab. cap. 13. verſ. 51. & in triumpho Druſi deuicta Germania flores per vias ſpargerentur. Ouid. lib.4. de Triſtibus eleg.2. ſic inquit. D

Hos ſuper curru Cæſar victore veheris
Purpureus populi ritè per ora tui.
Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum,
Vndique iactato flore tegente vias.

At vero cum Chriſtus Hieroſolymam triumphans intrauit, refert Euangeliſta

A lista Matthæus: *Alij cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*. Non aliud denotantes isti palmarum & oliuarum rami nisi pacem & misericordiam post victoriam, vt indicat sanctus Chrysostomus homil. de non contemnend. Eccles. Dei ibi: *Quemadmodum homines ramos olearum recisos regibus protendunt, vt symbolum misericordiæ, & humanitatis, &c.* Et homil. 3. de Incomprens. Dei natur. ibi: *Vt homines ramos olearum gerentes mouere Reges consueuerunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant, & humanitatem, &c.*

Milites sequentes Imperantium currus partim carmina patria salibus permixta, & risu, partim laudes Imperatoris canebant; vt in dicto P. Aemilij triumpho; & nouis Regibus Regnum, aut vrbem Regiam ineuntibus fausta precantes, solebant acclamare, *Viuat Rex*: similiter & Iudæos solitos facere multis exemplis compertum est, 1. Reg. cap. 10. vers. 24. & 3. Reg. capit. 1. vers. 25. & 34. Quod ergo Turba clamet *Hosanna* in Christi triumpho, perinde est ac si dicat, Viuat Rex.

B Imperatorem in triumpho intuebantur & admirabantur stupentes omnes, nec quicquam ex his, quæ homini optanda forent, illi deesse arbitrabantur; vt in dicta P. Aemilij vita: & cum triumphans intrasset Iesus Hierosolymam commota est vniuersitas dicens: *Quis est hic? Populi autem dicebant, Hic est Iesus à Nazareth Galilææ.*

Triumphantium Imperatorum felicitas ad summum peruenisse credebatur, nisi fortè (vt refert Zoneras de triumpho P. Aemilij) Dæmon aliquis magnificis & ampliſſimis rebus fortem habuisset detrahendi, ac ita miscendi humanam vitam, vt malorum omnium nullo modo esset expers; etenim duo filij, quos P. Aemilius habebat, in ijsdem triumphi diebus obiere: at quæ maior humanæ conditionis varietas, seu vicissitudo; vt ipsæmet Turbæ, quæ hic in triumpho Christi paulo ante substernebant arborum ramos in via, & propria vestimenta substrauerant, clamabant Hosanna, nempè Viuat Rex: eædemmet turbæ quatuor vix tantum diebus elapsis vociferant: *Tolle, tolle,*
C *crucifige eum*. Disce sæculi mores, inconstantiam, fide iudicijs popularibus, fide fauoribus: & parem exitum expecta. O quot omnium sæculorum, quot omnium gentium in hoc docemur exemplis? Nulla propè arundo tam varijs agitatur ventis, quam hominis animus, omni flexibilior arundine: ex minima causa, ex amore exurgit ad odia; immo ex nulla causa è benefica manu in ferrum, sanguinem, & necem.

Et de Romanorum triumphis etiam refert Zoneras 2. annal. In forum Romanum Imperator delatus, in templa Deorum, in Capitolium inuehebatur; ibique aliquot cæremonijs peractis, & donarijs dicatis: vesperi tibijs, ac fistulis antecedentibus domum redibat. Nec ante Imperator Capitolio exibat, quam Captiuos triumpho ductos occisos nunciatum esset. At Christus Dominus post triumphum ingressus in templum, non inde prius egressus, quam facto flagello de funiculis eiecerit omnes vendentes & ementes, mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas euerterit; ibique in templo cum cœcos & claudos sanasset; deinde abijt foras extra ciuitatem
D in Bethaniam; ibique mansit.

Denique ad Christi præsentiam, vt omne quod triste, omne sordidum sit auferendum, Regis prodeuntis exemplo, sic monebat sanctus Petrus Chrysologus serm. 149. ibi: *Sicut procedente Rege, & platea mundatur, & omnis ciuitas diuersis floribus, & ornatibus coronatur; vt nihil sit quod minus dignum vultui Regis appareat: ita & nunc procedente Christo rege facis omne, quod triste est auferatur è medio.*

Hæc dixi vt cognoscamus, Christum in terris cum ritibus aliarum gentium se conformasse, & Iudæorum potissimè, quos iam per Magnum Pompeium debellatos iuxta ritus & leges Romanorū etiam vixisse probabile est.

Sed

Sed quamuis prædicti ritus satis inter se differant; siquidem Romani Imperatores, & alij Principes in superbia & fastu triumpharunt: Christus vero in humilitate & mansuetudine; non aliter hoc prouenisse credendum, quam vt cognoscamus quantis inter se humana & diuina iudicia discriminibus disiungantur. A

Iam cum omnis Christi actio sit nostra instructio, omne opus documentum, omne exemplum prouocamentum: perfacile videmus, quid nobis incumbat; si discipuli & filij illius audire velimus, quem nos par est vigilijs, & passionibus humiliter imitari. Quoniam Dominus noster Christus ea quæ in humilitate ipse faciebat corporaliter, etiam spiritualiter volebat intelligi; & vt illa quæ faciebat, mira essent videntibus, vt quoque essent vera intelligentibus. Audiamus Paulum 1. Corinth. 15. *Deogratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Christi regnum in cælo & in terra.

Vidimus pauperem & humilem Christi triumphum. Quare enim hoc? indagandum nobis. Quale autem eius Regnum fuerit? perscrutemur. Regem hunc iam pridem à Zacharia cap. 9. prænunciatum: *Exulta filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam.* Vt omnibus pateret, pauper venit. Quis illum adire posset, si veniret stipatus millibus legionum cælestium? Quis intueretur, & viueret? Nec Moyses quidem. B

Agnouit hunc Regem Isaias cap. 9. *Factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis: multiplicabitur eius Imperium, & Pacis non erit finis, super solium Dauid sedebit vsque in sempiternum.* Regno huic consequendo omne studium impendamus, leuis est labor omnis, qui æternitate coronatur. Et quid Regna huius sæculi ad illud? meminit huius Isaias c. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri.* Et tamen cum omnium Regum primus & maximus Christus esset, serui nomen & personam induit, exuit Regis; vt quod non erat, haberetur seruus; & quod erat non haberetur Rex. Passus est sibi illudi vt Regi spinea corona, scepro arundineo, purpura corrosa, & supra Crucem titulus eius Rex Iudæorum; & hoc vt simul fastui nostro ipse mederetur. Rideri vt Rex, quasi non esset quod erat, voluit. Nos quod non sumus, videri volumus; nos de inanibus laudem captamus, nec ferimus contemni, non negligi, vtrumque licet promeriti. Iactamus non raro opes, honores, nobilitatem, eruditionem, prudentiam, virtutes, quibus destituimur; & nisi laudemur ab ijs, quibus caremus, exurgimus in iras. C

Verissimus Rex erat Christus, & cum omnium, tum Iudaici populi Rex maximus. Hinc apud Dauidem psalm. 2. *Ego constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De nullo alio hoc dici Regum potest, quam de Christo, genuit Pater *Hodie*: in omni æternitate, cui omnis æternitas tanquam dies vna, & vnum Hodie: hinc in psalm. 144. *Regnum tuum Regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Et in psalm. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.* De nullo hoc Regum Israel intelligi potest; neque enim vlli Regum Israel Gentes seruierunt. D

Confirmat Gabriel prædictionem Prophetæ apud Lucam cap. 1. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Hunc Regem recēs natum terris Orientis Magi ab Herode & Principibus Sacerdotum quærebant dicentes: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* quē etiā *procidentes adorauerunt*, muneribusq; auro, thure, myrrha in testimonium Regis, & Regni honorarunt. Atque hinc forsan illud Dauidis in psalm. 95. *Dicite in gentibus quia Dominus regnauit*: à Ligno, nimirum à Cruce.

Nobis

A Nobis verò seriò perpendẽdum. Quomodo data Christo potestas in cælo, & in terra, & regnum eius omnium sæculorum, & dominatio in omni generatione, & generatione? & nihilominus vtipse dixit apud Io. cap. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Quod intelligendum, se non regnare, nec imperare more Regum mundi; licet verissimus Rex esset mundi huius, Dominusque omnium; & verior longe Rex, Dominusque, quam quotquot essent Reges, quotquot Domini. Discrimen tamen fateor inter Regnum Christi, & Regnum reliquorum Regum terræ, eorumdemque imperia præmiaque longo inter se interuallo disiuncta. Intuere externam formam, læta tibi videbuntur mundi huius regna, delicijs referta, voluptatibus plena, honoribus opibusque grauida, plana, amœna, floribus vndique insperſa, gaudijs seminata, milleque modis expetenda: rosa arbitreris quicquid calcatur; quicquid tangitur, gemma: risus, ludi, ioci, conuiuia in alterum solem producta: vestium, ædium, supellectilis splendor ad admirationem & oculorum stuporem: horti, montes, fontes, nemora, valles, pascua, vineta, B oliueta in æmulam vbique oblectationem variegantia: ab vltimis terrarum adducta marmora, nec raro in his arte superante naturam. Contra, tristia proponuntur oculis nostris Christi regna, seria, matura, seuera, delicijs vacua; absque voluptatibus, honoribus, opibus: & amaritudinibus temperata, in quibus nil videas expetendum: Risus hic, ioci, ludi, conuiuia ignorantur. Vestium splendor nullus, ædium & supellectilis tenuis munditia. Horti victus necessitati, non voluptatibus obsequuntur: inter saxa sua natura dedit fontes siti leuandæ, nec alteri admouentur: Marmora tam exulant, quam gemmæ, & aurum: amica paupertas, quæ nullorum oculos rapiat; nihil ad oblectationem oculorum aut palati reperies, nihil in voluptatem natura; nihil artifice manu, mente repertum.

Quare regnum Christi non sit de hoc mundo.

Verum si propius vtraque discutiamus; si incerta mundi, si paucorum non rarò annorum, mensium, horarum; si permistas honoribus, opibus, voluptatibus solicitudines, metus, pericula, damna, amaritudines, odia; si C infelices exitus, dubios successus, frustratoria vota; si magnis arduisque conatibus, & diuite spe sua natantibus inanes ferè infortunatosque euentus adhærere; si è multis millibus amatorum mundi, vix vnum alterumque ad sperata & optata euenire, pauciores etiam diu frui consecutis; si mentes semper anxias, semper æmulationibus & inuidia grauidas; si ipsam sibi magnitudinem sui suspectam, ipsamque felicitatem timoribus innatantem, animumque mutuo sibi succedentibus curis delassatum, ac super delicijs suis fastidientem; si perpetua interna bella, pugnantiaque secum vota mutuoque interimentia; denique si quæ non multo post secutura considerauerimus, alterius nimirum vitæ bona & mala, præmia & pœnas, aliud cogitabimus.

Regnorum sæculi varietas, breuitas, anxietas.

Quod si etiam propius Christi Regnum discusserimus, si mentium tranquillitatem, illud sequentium, si perpetuam internam pacem, si cordis gaudium, ac quoddam iubilum, si vitam pulso metu securam; si nihil ambientes, nihil extra vnum Deum amantes, si extra timorem, spemque omnem humanarum rerum positos, si perituraram rerum contemptores, si nil nisi æternarum anidos, si solius conscientiæ regula singula metientes, si nulli extra D Deum supplices; si in magna spontanea paupertate ingentes animorum diuitias; si in vltroneo honorum omnium neglectu clarissima apud Deum decora, & nomen immortale; si in fœdarum voluptatum calcata diuini amoris sinceriſſima gaudia nullo æuo terminanda considerauerimus; perfacile intelligemus quod Regnum præferendum, quod amplectendum sit nobis? maximè si non multo post secutura excusserimus; si æterna Paradisi exilia, pœnasque inferorum æquè æternas, dedecus æternum, ludibria æterna, contemptum in ignibus æternis æternum, egestatem æternam: nisi quod solis tormentis diuites, miseram in omne æuum trahant vitam. Contra si cælis re-

Regni Christi pax, gaudium, securitas & oratio.

poſita præmia æterna ijs, qui Chriſti hic Regnum ſecuti, opes iuxta, ac ho- A
nores æternos, gaudia æterna nullo mœrore permiſta, decus æternum, triumphos æternos nullis timoribus concutiendos, diademata æterna nullo fine ponenda, ſinceriſſimas animorum voluptates nulla pœnitudine, amaritudine nulla inſperſas; quis erit qui Chriſti regnum non præferat omnibus mundi regnis?

In ijs autem cum differant Regna Chriſti à regnis ſæculi; nil mirum quod idem Chriſtus quantumuis veriſſimus & abſolutus Rex, & non in cælo ſolum ſed & in terra; noluerit tamen regnare more Regum terræ. Nihilque ipſi ad adipiſcendam gloriam & triumphos fuiſſe aduerſata ea, quæ ad ſæculi ignominiam tendebant vniuerſa; quinimò gradum feciſſe ad virtutem. Tu igitur Homo vide, quos & cuius Regni fructus proferas; non potes ſeruiendo regno ſæculi, huius fructus referre regni Chriſti, nec ſperare regni huius præmia, & triumphos, ſi illud ſequeris: alterutrum vniuerſim ſequendum, aut deſtituendũ vniuerſim eſt etiam in pœnis & præmijs. Vide quid expediat animæ B
tuæ: tuta prudens elige, & æternatura perituris antepone, momentaneis æterna & vbi vtriuſq; regni conſideraueris præmia, delige alterutrum imitandum, ſequendum: neq; enim ſeruire vtriq; potes iuxta illud Matth. 6. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* Et illud eiuſdem Matth. cap. 11. *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.* Delectus in manu tua eſt: præmia & tormenta æterna.

De Ludis, ſeu Spectaculis Romanorum. Cap. II.

QVoniam priſci Romani vt ludos & ſpectacula diuerſi generis repræſẽtarent (quæ deſita & ignota ſunt noſtro æuo) maximè ſtuduerunt e- C
tiam effuſioni theſaurorum: ex ijs aliqua retrahemus, & proponemus non auribus ſolum ſed oculis; neque vt legi ſed penè dicam ſpectari poſſint: de quibus vniuersè ſic Lactantius lib. 16. Inſtitut: *Quid dicendum de ijs, qui populari leuitate ducti, vel magnis vrbibus ſuffecturas opes, exhibendis muneribus impendunt.* Item D. Ambroſ. ſerm. 81. *Magiſtratus in theatris, mimis, & Athletis, gladiatoribus, aliiſque huiuſmodi generibus hominum totum patrimonium ſuum largitur, & prodigit; vt vnius horæ fauorem vulgi acquirat.* Quæ inſania & priuatos homines bonis per ludum exuit; & Principes ipſos attenuauit, & delibauit, vt ex Suetonio dicit Auguſtus: *Feciſſe ſe ludos ſuo nomine quater & vicies: pro alijs magiſtratibus, qui aut abeſſent, aut non ſufficerent, ter & vicies.* Nam in adornandis theatris & Circis cum ſemper nouitas in ipſa forma quæreretur, refert Dio lib. 3. in Nerone: *Theatrum totum, non ſcenam eius tantum auro obtexit; ſed & quidquid illatum fuit & omne inſtrumentum, ac choragium, aureum, itemque vela, quæ ſupernè contra ſolem obumbrabant, purpurea tota, & aureis ſtellis interſtincta: ex quo & dies ille au-* D
reus appellatus. Et Plinius id ipſum adſignificauit lib. 33. cap. 3. *Nero Pompeij theatrum operuit auro in vnum diem, quo Theridati Regi Armeniæ oſtenderet.* Et Iulius Cæſar ante Neronẽ, ex Plinio adducto: *Is primus in Aedilitate, munere Patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo vſus eſt: feraſque argenteis haſtis laceſſere, tum primum viſum: mox quod etiam in Municipijs æmulantur. C. Antonius ludos ſcena argentea fecit.* At vnum & extremum furorem de Heliogabalo Imp. refert Lamprid. *In Euripis vino plenis nauales Circenſes exhibuiſſe.* Hinc fas cogitare, quãtum vini profuſum, foſſis illis & Euripis in Circo; ita eo plenis, vt naues inter ſe concurrere, ac certare de velocitate poſſent.

Nec

A Nec Principum hæc fuiſſe ſolum: nam de Milone refert Cicero: *Tria patrimonia in has res effudiſſe*. De Meſſalla quodam inquit Vopiſcus in Carino: *Ille enim patrimonium ſuum ſcenicis dedit, hæredibus abrogauit: matris tunicam dedit Mimæ, lacernam patris Mimo: iam quid lineas petitas Aegypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles? Donati ſunt ab Atrebaticis birri, petiti, donati birri Canuſini, Africanæ opes in ſcena non prius viſæ. Et hæc quidem idcirco ego in litteris miſi, vt futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia ſua proſcriptis legitimis hæredibus, mimis & balatronibus deputarent*. Et Olympiodorus refert: *Quod Probus filius Alypij, cum ipſe Præturam gereret, duodecim centena pondo auri abſumpſit. Symmachus vero ille Orator, Senator vnus è mediocribus in filij Symmachi Præturam quadraginta*. Hinc factum vt inferiore æuo quoniam ipſi Conſules in huiuſmodi ludos largiſſimè impenderent: in Cod. Iuſtiniani titulo de Conſulibus lib. 12. fuerit edita lex, quæ *Spargendi vilitate ſublata, eius loco ad reparationem Aquæductuum centena pondo auri præſtari*
B *per ſingulos conſulatus*, decernit.

Vt igitur de ludis ſingulatim aliqua proſequamur, nempè in Theatro, Amphitheatro, aut Circo. Et primum de Molibus theatralibus, quæ fæpe in paucos dies ſtructæ & penè, vt deijcerentur: duo admiranda exempla, quæ Plinius aſpexit; idem lib. 36. cap. 15. inquit: *M. Scaurus fecit in Aedilitate ſua opus omnium maximum, quæ vnquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verumtamen æternitatis deſtinatione. Theatrum hoc fuit: ſcena triplex in altitudinem CCCLX. columnarum: ima pars ſcenæ è marmore fuit; media è vitro, inaudito etiam poſtea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, vt diximus, imæ duo de quadragenum pedum: ſigna ærea inter columnas, vt indicauimus, fuerunt tria millia numero: Cauea ipſa cepit hominum LXXX millia, cum Pompeiani theatri, toties multiplicata Vrbe, tantoque maiore populo, ſufficiat large XL. millibus. Sed & reliquus apparatus tantus, Attalica veſte, tabulis pictis, cæteroque choragio fuit, vt in Tuſculanam villam reportatis, quæ ſuperfuerant quotidiani vſus delitijs, incenſa villa ab iratis*
C *ſeruis concremaretur ad H.S. millies*.

Alterum exemplum ex eodem Plinio lib. 36. cap. 15. qui dictis ſic ſubnectit: *Aufert animum, & à deſtinato itinere digredi cogit contemplatio tam prodigæ mentis, aliamque connecti inſaniam è ligno. C. Curio funebri Patris munere, cum opibus apparatuque non poſſet ſuperare Scaurum; cum iam nec ipſe quidem Scaurus ſibi comparari poſſet, quando hoc certe incendij illius præmium habuit, conuectis ex orbe terrarum rebus, vt nemo poſtea par eſſet inſaniæ illi. Ingenio ergo vtendum fuit. Theatra duo iuxta fecit ampliſſima e ligno, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſa libramento, in quibus vtriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito inter ſeſe auerſis, ne inuicem obſtreperent ſcenæ, repente circumactis, vt contraſtarent; poſtremò iam die deſcendentibus tabulis & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat, ipſum magis auctoratum populum circumferens. Quid enim miretur quiſque in*
D *hoc primum? inuentorem an inuentum? artificem an auctorem? auſum aliquem hoc excogitare an ſuſcipere? parere an iubere? ſuper omnia erit Populi furor ſedere auſi tam infida inſtabilique ſede. Quæ vilitas animarum iſta? aut quæ querela de Cannis quantum mali potuit accidere. Ecce Populus Romanus vniuerſus, velut duobus nauigijs impoſitus binis cardinibus ſuſtinetur, & ſe ipſum depugnantem ſpectat, perituros momento aliquo laxatis machinis*. Qui quantiq; illi cardines ſinguli, qui tota theatra ſuſtinerẽt, verterent, iungerent, diſiũgerentque? Plura huius generis paſſim, ſed in circumfuſa rerum copia excerpimus & eligimus pauca; & prædictis etiam adnectam ex eodem Plinio lib. 33. cap. 3. *C. Antonius ludos ſcena argentea fecit. Item L. Murena in circo pegma duxit in quo fuere argenti pondo CXXVIII.*

Ex huiusmodis spectaculis ab Imperatoribus Romæ repræsentari solitis celeberrima illa fuere, quæ duobus Philippis patre & filio Augustis anno à Christo nato 249. *qui millesimus annus ab Vrbe condita* numeratur, quem Philippus insignibus editis muneribus celebrauit, diuersis bestiarum generibus ex varijs mundi partibus conquisitis, nondum ante in Vrbem aduectis, vt ex Iulio Capitolino in Gordiano ad finem: & de his etiam infra dicemus. Felix vero prædictus annus ob conuersionem ad veram Christi religionem primi Imperatoris Christiani Philippi Arabis cum filio Philippo Augg. sic fortasse à Seuera matre Augusta Christiana fœmina moribus informato; vt ex Card. Baron. ad dictum annum num. 1. Nec toleraſſe prædictos Impp. vt præfati seculares ludi more maiorum immolatis sacrificijs, alijsque superstitionis Gentilitiæ officijs celebrarentur: nam cum se accingeret Philippus pater ad sacrificandum Dijs hortatione, & instructione Pontij Præfecti, à proposito destitisse, ac fidem Christianam cum filio suscepisse, eolque à Fabiano Papa baptizatos esse (eiusdem Pontij acta narrant apud Surium die 14. Maij) sed editione tantum munerum celebrati fuerunt; cætera vero Idolatriæ Pontificibus agenda ipse reliquerit. vt in Epitom. Spondani num. 3. dicto anno. A B

At vero Magnus Constantinus Imperator ab ijs, quæ essent Gentilitiæ superstitionis officijs procul abhorrens, *Sæculares, ludos*, qui in tertium ipsius Consulatum incidissent (vt tradit Zosimus lib. 2.) ipse celebrare contempsit, magno Gentilium mœrore, qui eos dicerent ad pestes, morbosque sanandos & bella auertenda, fuisse diuinitus institutos, essequecarminibus Sibyllinis, veluti fatales Vrbi præscriptos. Quapropter cum alijs eorum neglectus visus est omen casuri Imperij, tum hoc ipsum Zosimus petulantius iactauit; dum testatur non aliam scribendæ historiæ rationem initam quam vt doceret culpa Christianorum Romanum Imperium esse collapsam; & præcipuè à prætermissis per Constantinum sæcularibus ludis id auspicatur, & in ipsum Constantinum calumnias exaggerat: cum tamen constet sæcula illa, quibus sunt celebrati, nec peste vel lue, aut alijs casibus aduersis caruisse; & è contra præsens sæculum quod his caruit, fuisse Vrbi & Orbi felicissimum, tot Tyrannis extinctis & Barbaris debellatis. Vt refert Baron. anno 313. vbi Spond. num. 3. C

Anno autem 315. idem Constantinus auspicatus Imperij sui annum Decimum Decennalia celebrauit; non quidem ritu Gentilium; sed vt Christianum decebat, pro sacrificijs animalium, Deo puras gratiarum actiones, precesque solemniter fundens, vt tradit Eusebius lib. 1. de Vita Constantini, ac etiam latè Baron. dicto ann. 315. vbi Spond. num. 1.

Idem Imp. Constantinus anno 325. Vicennalia Imperij sui magnificè celebrauit, ijsdemque filium suum Constantium secundogenitum Cæsarem creauit, pluraque etiam ad fauorem Catholicæ Religionis eodem tempore decreuit, & præcipuè lata l. 4. C. Th. Gladiator. tolli iussit cruenta Gladiatorum spectacula, & quos solitum esset in punitionem scelerum eiusmodi pœnis subijcere, ad metalla magis damnari voluit: quamuis talis Gladiatorum ludus non nisi post longa tempora abolitus fuerit, vt ex Baron. dicto an. 325. vbi Spond. num. 50. & 52. D

Ac etiam idem Constantinus anno 335. Tricennalia eodem modo celebrari permisit & Constans tertius eius filius Cæsar est creatus. vt per Baron. dicto an. 335. vbi Spond. num. 1.

Similiter à Constatio Imp. prohibita Gladiatorum munera, vt in l. 2. C. Th. de Gladiat. & per Baron. anno 357. vbi Spond. num. 23. Vt quoque Imp. Valentinianus per legem 8. C. Th. de pœnis, prohibuit ne Christiani delinquentes damnarentur ad ludum; quod iam diu ante abolitum impius Iulianus in odium Christianorum reuocauerat in pristinum vsum, vt idem Baron.

anno

A anno 365. vbi Spond.num.5. quæ à ſucceſſoribus deinde Impp. in totum fuere prohibita: etenim præter Theodoſium iuniorem etiam Leo Imp. ad conciliandam ſibi Diuinitatem, ſanctionem edidit, prohibens Circenſes, & alia ſpectacula diebus feſtiuis, vt in l. vlt. Cod. de Ferijs, & refert Baron. an. 469. vbi Spond. num. 2.

Porrò, vt iuxta noſtrum inſtitutum, aliquod proficuum deducamus, Cum vulgus ſua natura mobile ſit, & inconſtans, nouitatiſque auidiſſimum; plerumque niſi prudenti quadam ratione à Magiſtratu coerceatur, nouationes imperiorum, & ordinum mutationes molitur. Hoc malum cauti, & ſapientes Principes publicis ludis, & exercitijs vtplurimum præcauerunt; vt hominum genijs ipſi inclinarent: ex Iuuenal. in Satyr. *Conſideratio.*

Cererem & Circenſes anxius optat,

Eiuſmodi exercitationes quo magis animi, & corporis vires excitant, eo ſunt inſtituto noſtro accõmodatiores. Inſtituebant Græci maiore acumine & delectu ſuos ludos, quos Olympia, Pythia, Numea, Iſthmia vocarunt: B Romani vero in ſuis Apollinaribus, Secularibus, Gladiatorijs, Comœdis, Venationibus, & alijs ludicris quæ oſtenderunt, neque aliquando excitati animi, neque debito modo agitata fuerunt corpora; ſolum temporis tædium ſubleuatum. Græcorum autem theatra optimæ fuerunt exercitationes corporis & animi. Sed miſſa hæc facio. Auguſtus Imp. ſapientiſſimus ipſemet ſemper publicis illis ludis interfuit; tum vt maior eorum eſſet dignitas, & celebritas; tum vt commonſtraret curam ſe non paruam pro populo recreando gerere. Verumtamen multis annis intermiſſi ludi ob aquarum inundationes, & bella aſſidua contra barbaros, poſtea verò rurſus à Theodorico Gothorum Rege, ſed Arriano laudabiliter inſtaurati fuerunt. Hic theatra, amphitheatra, circulos, pugnas nauales, variaque exercitia, & ludos veterum denuò in nouam ſcenam produxit: vt propter tanta populi oblectamenta, ſibi vnicè perpetuò hunc Imperatorem Romani exoptarent. Imitabantur hoc Matthæus, & Galeatius Vicecomites Mediolani: Laurentius, & Petrus de Medices Florentiæ decurſionibus, ſtadijs, & ſimilibus, C quo nomine ab omnibus diligebantur. *Ludi quales inſtituendi?*

Procul autem ab his ſpectaculis diſcrimen vitæ abſit: ſecus enim ſi peragantur, non ludicrorum proprium retinent. Ludorum enim natura eſt, in euidens periculum, aut damnum præcipitare neminem, multo minus interimere. Zizimus frater Baiazetis percontantibus olim, quid de noſtris decurſionibus ſentiret: *Infra ſerium*, reſpondit, *longè ſunt poſita, iocandi autem modum excedunt ob euidens vitæ periculum*.

Quid quod ſpectatorum animi, ex cruentis eiuſmodi theatris, & ludicris cædibus extimulantur ad furorem, tyrannidem, ſanguinolentiam, &c. Quæ nil niſi diſſidia, contentiones, cædes, aliaque delicta pariunt. His rationibus accenſus Honorius, vt quidam volunt, pugiles Vrbe remouit. Monachum enim in impiam illam conſuetudinem, execrabileſque ritus aſperius inuehentem: Populus, qui die illo in cruentis illis theatris ſpectator fuerat, in rabiem actus de medio ſuſtulit.

D Inſit etiam grauitas & honeſtas hiſce ludis: quo enim propius ad naturam honeſtatis & dignitatis accedunt, hoc magis valent ad inuitandum populum, & oblectandum. Felicitas enim, quam theatra tanquam in ſpeculo nobis exhibent, duo in ſe complectitur, voluptatem & honeſtatem. Pluribus itaque tragœdiarum vſus, quam comœdiarum probatur. Comœdiæ enim de rebus ab honeſtate remotioribus agunt, & actores earum potius agunt hiſtriones, ſiue lenones, quam ludorum artifices.

Hinc non ſine cauſa Ius Canonicum illos à baptiſmo arcet, neque ad Euchariſtiæ ſacramentum admittit, niſi turpi illo lucro manus abſtineant. Sed quid ius Canonicum & Eccleſiaſticas conſtitutiones commemoramus? Scipio

pio Naſica metuens, ne Populus Romanus frequens comœdiarum & ludo- A
rum ſpectator & auditor, ſeductus vitijs & ſceleribus ſe inquinaret; ſena-
tui vt theatrum nuper extructum demoliretur, grauiter ſuaſit.

Sacris comœdijs plus admirationis & maieſtatis in theatris ineſt, quam
profanis: argumentum enim ſacrum & diuinum tractant. Hinc Ariſtoteles
principi conſulit; vt ſacrificia ſolemni pompa peragat. Oculati enim ſumus
teſtes hic Romæ talia ſacra in theatris repræſentata, Romanum Populum ſu-
pra modum oblectaſſe: vt quoque peculiaribus feſtis, quæ religiosè non
vulgaribus cæremonijs atque incredibili concurſu in Eccleſijs celebrantur;
tum temporis à ſummo mane ad veſperam vſque templa hominibus referta;
Populoſque tam hilares conſpici, vt ſimiliter apud vllam gentem profanos
ludos celebratos vix credam.

Cæterum quoniam ſpectaculorum apud priſcos Romanos fuerunt præſer-
tim in vſu Circenſes, Gladiatores, Venationes, & Scena; de quibus Ter-
tull. contra Marcionem inquit: *Quid non in omnem libidinem ebullis? non* B
frequentas ſolemnes voluptates Circi furentis, & Caueæ ſæuientis, & ſcenæ
laſciuientis. De prædictis nos Deo dante plura proponemus.

De Ludis Circenſibus. Cap. III.

VEteres Patres ludos Circenſes ob inſaniam, Theatrales ob impudicitiam, Amphitheatrales ob ſæuitiam grauiſſimè infectati ſunt. Omnium innocentiſſimi Circenſes fuere, ex quibus nihil detrimenti moribus eſſe potuit, cum neq; verba obſcena, vt in Theatris, iacerentur, neq; impudicæ hiſtoriæ exhiberentur, neque laſciui, fractique mores eſſent, neq; in mutuam cædem ſæuirent, neque feris ſe lacerandos obijcerent, ſed ſolam induſtriam equis agitandis probarent: quare & ludi Circenſes Conſtantinopoli ad Imperium vſque Alexij Comneni viguerunt, vt ex Cedreno & Zonera; cum iam olim & Gladiatores & venationes, & Pãtomimi dari deſijſſent. Imperatores cer- C
tè iam inde à Conſtantini Magni temporibus eos ludos certis diebus ob Chriſtiani nominis reuerentiam exhiberi prohibuerunt, vt in Cod. Theodos. De Spectac. l. Dominico.

Verum eſt autem Synodo Carthaginen. 1. cap. 13. quod Chriſtiani ſpectaculis iſtis prophanis arcentur. Et in Circi inſaniam inuehitur Lactantius l. 6. c. 20. his verbis; *Circenſium quoq; ludorum ratio, quid aliud habet, niſi vanitatem, nouitatem, inſaniam: tunc namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur: vt iam plus ſpectaculi exhibeant, qui ſpectandi gratia veniunt, cum clamore efferri, & exilire cœperint.* Siquidem mentes ſpectantium feruntur inſania, vt non modo in conuicia, ſed etiam in rixas, necnon in prælia & contentiones ſæpè conſurgant. Hinc Tertull. lib. 1. in Marcionem: voluptates vocat Circi furentis, Caueæ ſæuientis, ſcenæ laſciuientis, & lib. de Pudicitia inquit: In ſpectaculum quadrigarij furoris, & gladiatorij cruoris, & ſcenicæ fœditatis. Vnde ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Symbolo cap. 2. *Amator eſt quiſpiam Circi? quid delectat in Circo? aurigas* D
videre certantes, populos inſana furia anhelantes, quemlibet celerem præcedentem, aduerſarij ſui equum frangentem. Iſta eſt omnis delectatio, clamare, quia vicit, quem Diabolus vicit; exultare, & inſultare quod aduerſa pars perdiderit equum; cum is qui tali ſpectaculo delectatur, iam perdiderit animum, &c. Idem Auguſt. lib. 6. Confeſſ. c. 6. Circenſium ſubſannat inſaniam. Et Iſidorus lib. 18. Etymolog. cap. 27. inquit: *Ludi Circenſes ſacrorum cauſa Deorum, & Gentilium celebrationibus inſtituti ſunt: vnde & qui eos ſpectant, Dæmonum cultibus inſeruire videntur. Nam res equeſtris antea ſimplex & vtique communis, vſus huius reatus non erat: ſed cum ad ludos coactus eſt naturalis vſus,*

ad

A *ad Dæmoniorum cultum translatus est. Itaque Castori & Polluci deputantur hæ species, quibus equos à Mercurio distributos historiæ docent, sed & Neptuni equestris ludus est: sed & Marti & Ioui in ludis equi sunt consecrati, & ipsi Quadrigis præsunt.* Ob impudentiam & factionum certamina ludos Circi, Theatrique improbauit Cyrillus Catechesi 1. *Pompa est Diaboli Theatri insania, Circi cursus, venationes: ne studio tibi sit furor theatri, vbi conspicuas mimorum petulantias omni contumelia, & impudicitia refertas, & virorum effœminatorum choreas sectaris: Nec illos admireris, qui vt ventri seruiant efferatis bestijs se exponunt.* Et infra: *Fuge & equorum curricula, spectaculum furiosum quod animas quasi ruptis ceruicibus perdit.* Ad Circenses tamen ludos quanto studio etiam ipsi Christiani ferrerentur, vide apud sanctum Basilium in Gordio: *Omnis ciuitas festum celebrans Marti bellatori, conuenerat spectatura curule certamen. Iudæus non aberat, non Græcus, & multi erant Christiani; sed & Domini seruos remiserant, & pueri ex ludis litterarijs currebant ad spectaculum.*

B Nullum splendidius, oculisue gratius spectaculum in Italia, Græcia, reliquoque Romano Imperio dari potuit celebritate Circi. Romæ quidem ab ipsis incunabulis Vrbis magna hominum frequentia decursio Circensium habita est, Equiria tunc dicta. Ausonius in eclogis. *Origo circensiũ.*

Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi:
Prima hæc Romanus nomina Circus habet.

Romulus primum in Italia Circenses instituit. Cassiodorus: *Primus hoc apud Elidem Asiæ ciuitatem Oenomaus fertur edidisse, quod postea Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis ædificijs ruraliter ostentauit Italiæ.* Argiui Heroes Thebani belli temporibus & Græci Troicis hoc eodem ludicro certauisse constat; eodemque modo Romulum huiusmodi ludos in campis patentibus nondum ædificatis Circis, quomodo & Græci antiquitus factitarunt, vt ex Homero, & alijs discere est. Ea Marti sacra fuere, & tertio Kalen. Martias celebrata sunt, Ouid. lib. 2. Fastor.

C *Iamque duæ restant noctes de mense secundo,*
Marsque citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quo Deus in campo prospicit ipse suo.

Agitabantur enim in Campo Martio, vel si aquis occupatus esset, in Cœlio monte auctore Varrone lib. 5. de ling. Latin. Ouid. 3. fastor.

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen ejecta si forte tenebitur vnda,
Cœlius accipiet puluerulentus equos.

Circense ludicrum primum in insula Tiberina datum est; ab altera parte Tiberis erat pro meta, & in altero latere positis gladijs, vt ab vtraque parte esset ignauiæ præsens periculum: vnde & Circenses dicti sunt, qui exhibentur in circuitu ex ensibus positis. Cassiodor. lib. 3. Variar. cum Seruio ponit Circenses quasi circuenses inter enses & flumina locis virentibus age- *Circus vnde dictus?*
D bantur. Isidor. lib. 17. Etymolog. inquit. Vbi nunc metæ, olim gladij ponebantur, quos quadrigæ circuibant in littore: gladios ordine in ripæ littore ponebant, & erat artis equum circa pericula torquere.

Alij Circum à Circe dici volunt. Tertull. de spectaculis, & Soli patri suo editum, nempè vt cursum Solis, quem quadrigis ferri volunt, designaret, vt idem refert Isidorus lib. 18. cap. 25.

Circus longiori facie fuit, & in orbem aliquo modo ducta, quæ ab oui specie non longe abesset, atque ad Amphitheatri formam accederet: quare à Virg. l. 5. Aeneid. ita describitur, vt spatium interceptum inter duos montes acuruos, aut geminum veluti Theatrum esse putes, sic ille. *Deforma circi.*

Grami-

Gramineum in Campum, quem vallibus vndique curuis A
Cingebant syluæ, mediaque in parte Theatri
Circus erat.

Geminum autem Theatrum, quod & Amphitheatrum dicitur, rotundum esse in oui speciem, nemo dubitat, Calpurnio canente.

Et geminis medium se mollibus alligat ouum.

Vnde & Circum quasi Circulum appellatum notat Corippus lib. prim. his verbis:

Ipse ingens Circus plenus, ceu circulus anni,
Clauditur in teretem longis anfractibus orbem.

Fuit igitur Circus longior quam latior, vt ex Dio Chrysostom. lib. 4. ibi: *Extruxit autem maximum Circum Tarquinius Priscus, qui medius est inter Auentinum & Palatium, longitudine trium cum semisse stadiorum, latitudine quatuor iugerum.* Plinius lib. 36. qui Circo Maximo longitudinem tribuit trium stadiorum, latitudinem vnius, cum ædificijs iugerum quaternum ad sedem 260. millium. Certè Circus latior fuit ad carceres, vnde in spatium exibant B equi, & quo longius procederet, eo angustior fiebat, vt Obelisci iacentis figuram redderet. Eius longitudo pariete interiecto in æqua vtrinque latera diuidebatur, hinc dextrum, illinc læuum; dextris & læuis ostijs oppositis: paries hic à prima ad vltimam metam pertinebat.

Circus maximus. Plures fuere Romæ Circi: at Circus Maximus omnium primus & nobilissimus, Tarquinij Prisci opus, ait Dionysius lib. 4. situs erat Romæ inter Auentinum & Palatinum colles, vbi Tarquinius 30. tribubus sedes diuisit; vt iam non stantes, sed sedentes spectarent; & de vicinitate eiusdem colli Auentino Martialis lib. 6. epigr. 64.

Quique videt propius magni certamina Circi,
Laudat Auentinæ vicinus iura Dianæ.

Tarquinius Euripo Circum hunc circumcinxit, tres addidit porticus lapideas, cum subsellijs & foris, sic vt ex tribus vna fieret in ambitu Circi, quæ 150. caperet hominum millia, vt ex Dionysio. Varro lib 4. de lingua latina Circum dictum esse ait, quod *Circum metas fertur pompa, & equi currunt.* C Maximum vero, quod Deorum Maximo Vortumno sacer est; aut quod in eo magni Circenses aguntur; aut quod inter Circos maximus est. Is igitur à Tarquinio extructus, à Iulio Cæsare sic restitutus, vt Plin. lib. 36. totam ædificij eius fabricam ei ascribat, vt refert etiam Suetonius in Iulio. Quale opus dein Augustus & Traianus auxerunt, ornaruntque, refert Cassiod. l. 3. ep. 51. Caligula quoq; Circum Maximum ornauit & chrysocolla minioque strauit, ex Sueton. sed & opera Domitiani ad ornatum Circi aliquid attulere teste Sueton. in Domitiano. Nero nihil addidit, sed potius detraxit, ex eodem Sueton. in Nerone c. 25. At vero Traianus immensum latus Circi extruxit; visenda sedes, quæ æquatis sit plebis, ac Principis locis: siquidem per omne spatium vna facies, omnia continua & paria; nec magis proprius spectandi Cæsaris suggestus, quam propria quæ spectat: *Locorum quinque millia adiecisti*, ait Plinius in Panegyr. ad Traian. Demum Heliogabalus columnas addidit auro insignes, & pauimenta ipsa scrobe auri & argenti strauit, dolens quod D non posset electri, teste Lamprid. Plinius lib. 36. ramentis lapidis candidi Circus Maximus sterni solitus. Nero chrysocolla sparsit arenam Circi, cum ipse concolori panno aurigatus esset. Caligula minio & chrysocolla teste Sueton. cap. 18. Videntur olim soli victores Principes Circum augendi, & pomerij proferendi ius habuisse, quod de Iulio, Augusto, Traiano supra ostendimus.

Alij etiam circi in Vrbe. Alij plures etiam in Vrbe fuere Circi; Circus Flaminius, de quo Varro l. 4. de lingua Latina inquit: *Circus Flaminius dictus est, quod ædificatus est circum Flaminium Campum, & quod ibi quoque ludis tauricis equi circum metas currunt.*

A *runt.* Atqui Circi Flaminij nomen fuit penè ſub primis Conſulibus, vt ex l. 3. Liuij conſtat. Florus tamen lib. 20. Epitom. à Caio Flaminio Cenſore extructum, & appellatum eſſe vult.

In prima regione Circus Antonini Caracallæ fuit cum Obeliſco: dictus hic eſt Circus Prætorianus, quod ibi cohortis prætoriæ ſtatio fuerit, extra portam Capenam: extant hodie eius veſtigia propè templum ſancti Sebaſtiani; cuius Obeliſcus iuſſu Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ X. in Agonalem plateam hoc anno 1649. eſt translatus, magnoque ſumptu & labore erectus.

Circus Vaticanus, qui & Circus Neronis dicitur, in valle inter Ianiculum & Vaticanum, de quo Sueton. in Claudio cap. 21. & apud Lampridium Heliogabalus quadrigas in Vaticano agitauit, dirutis ſepulcris, quæ obſiſtebant. Plinius lib. 36. cap. 11. Tertius Obeliſcus Romæ in Vaticano Caij & Neronis Principum Circo, de quo etiam Tacitus lib. 4. & alij.

Fuit etiam Circus Salluſtianus in hortis Salluſtij propè portam Collinam
B vbi magnus Obeliſcus litteris Aegyptijs inſignis, de quo Ammianus lib. 17. ibi Obeliſcus vnus in Vaticano in hortis Salluſtij, duo in Auguſti monumento erecti ſunt.

Alius etiam Circus extra portas Lauicanam, & Prænestinam ſimul iunctas, non procul ab Amphitheatro Caſtrenſi & templo ſanctæ Crucis in Hieruſalem, militari voluptati extructus.

Præter alios Romæ, etiam in Italia per vrbes & pagos paſſim Circi olim erant, quorum veſtigia multis in locis comparent.

In Circo Naumachiæ, venationes, equorum & curruum agitationes editæ ſunt, qui omnes ludi & à Dijs profecti & in Deorum honorem inſtituti ſunt: nonnulli funeribus adhibiti. Tertull. lib. de Spectaculis, ludos enumerans, primo loco Liberalia ponit; deinde Conſualia, quæ Romulus Conſo dicauit in Raptu Sabinarum; tum vero Equiria Marti. Reliqui ludorum de natalibus & ſolemnitatibus Regum & publicis proſperitatibus & municipalibus
C faſtis, ſuperſtitionis cauſa originem habent: inter quos etiam priuatorum memoriæ, legatariæ editiones parentant. Sanctus Cyprianus lib. de Spectac. Deos, aut funera ludos genuiſſe docet, his verbis: *Quod Spectaculum ſine idolo? quis ludus ſine ſacrificio? quod certamen non conſecratum mortuis? &c.* Lactantius lib. 6. cap. 20. ait: Ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt: ſiquidem ob natales eorum, vel templorum nouorum dedicationes ſunt conſtituti: & primitus quidem venationes, & quæ vocantur munera, Saturno attributa ſunt: ludi ſcenici Libero: Circenſes Neptuno: paulatim & cæteris Dijs idem honor tribui cœpit, ſingulique ludi Numinibus eorum conſecrati. Varro lib. 5. de lingua Latina Conſualia dicta à Conſo, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram eius à Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. Cyprianus de Spectaculis. Romulus Conſo quaſi conſilij Deo Circenſes: reliqui, dum Vrbem fames occupaſſet, ad aduocationem populi acquiſiti; ſic ludi ſcenici & Cereri, & Libero dicati.

Quibus Dijs ſacer circus fuerit?

Præterea quoniam Circus imaginem quamdam & anni & cæli præſefert,
D Solemque ducem & moderatorem cæleſtium orbium eſſe veteres exiſtimabant, ei ſpectaculum id dicarunt. Vetus Poeta:

Circus imago poli formam, cui docta vetuſtas
Condidit, & numeros limitis ætherei.
Namque duodenos oſtendunt oſtia menſes,
Quæque meat curſim aureus aſtra iubar.

Carceres primo loco fuerunt in Circo, nomenque repererunt, quod illis equi quaſi carcere clauſi tenerentur. Hanc vocem à *Coercendo* Varro ſumit: alij à *Cancere vel cancro*, quæ vox cancellum ſignificauit. Apuleius: *Inter Orci cancros iam ipſos adhæſiſti.* A Tarquinio Priſco Romæ primum facti vi-

De circi carceribus.

dentur ad Olympiæ exemplum. Dionys. lib. 3. *Reliqua pars laterum Circi minorum sub dio posita, arcuatos carceres habet, qui per vnam transennam simul aperiuntur.* Cassiodorus lib. 3. Variar. Omnia ostia simul vna machinatione aperiri dixit. Erant igitur fornicati carceres & vna tantum transenna non multis funibus aperti sunt. Romæ carceres per initia ex ropho, lignoque fuerunt, quos marmoreis Claudius permutauit, ex Suetonio in Claudio capit. 21. A

De equis ad repagula. Repagula transuersa opposita erant ostijs, quibus equi frænarentur in ipsis carceribus: quos tamen ad cursum frementes describit Lucretius libro secundo.

Non ne vides etiam patefactis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum
vim cupidam tam de subito, quam mens auet ipsa?

Repagulis laxatis puncto temporis fores aperiuntur, Lucianus: *Bonus cursor, repagulis & tabulatis subito ad terram lapsis & complanatis.* Foribus apertis quadrigæ addunt se in spatia, Virg. lib. 5. Aeneid. B

Non sic effusi bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus.

De ordine cursorum. Foribus apertis ad missum mappæ, Quadrigarij & cursores è carceribus erumpebant, & in spatium se dabant: certum est tamen non simul omnes emissos esse, verum sortem primum, ac secundum locum, & ita deinceps adiudicasse, 5. Aeneid. ibi.

Tum loca sorte legunt.

Et quoniam loca quæ ceperant, alia alijs remotiora fuere, ordine emittebantur trans limen, vt refert vetus Poeta.

Ast vbi panduntur, funduntque repagula cursus,
Vnus & ante omnes cogitur ire prior.

Quia scilicet sorte, & ordine exibant. Statius lib. 6.

Iamque locus cuique est, & liminis ordo.

Loca in Circo erant ostia ipsa: primus & secundus locus, primum & secundum ostium. A primo ostio rectum & breuissimum iter ad metam, ab vltimo longissimum, Vetus inscriptio: *Diocles summa Quadriga, & octio Quarto missus vicit.* C

De mappa. In accipiendo signo magna populi, maior agitatorum expectatio fuit. Quintilianus Mappam Circo vsitatam esse dicit. Romæ mappa dejiciebatur in Circum è sella editoris, cuius originem à Nerone Cassiodorus ducit lib. 3. Variar. Mappa, inquit, signum dat Circensibus, tali casu fluxit in morem. Nero prandens flagitante Populo missus, mappam abijci iussit per fenestram. Ante mappæ missionem Magistratus super fornices carcerum, eo loco vnde spectabant, conuiuium agitasse auguror, mappamque in tempore mappario mittendam dedisse. Hoc idem refert Cedrenus his verbis: *Moris erat Consulibus in Theatris ipsis conuiuari: sublatis epulis mantile, quæ mappa dicitur, iaciebant; quam excipiens, qui dicebatur Mapparius, certamen adornabat.* De mappa fuerit ne mos ille Nerone antiquior, haud liquido constat: hoc certum, signum mitti solitum aliquot ante sæcula, Ennius. D

Expectant veluti Consul cum mittere signum
Vult, omnes auidi spectant ad carceris oras.

Expectatione signi huius sic Populus erigebatur, vt à carcerum fornicibus oculos non abducerent. Virgil. lib. 5. Aeneid.

Intenti expectant signum, exultantiaque haurit
Corda pauor.

Tertull. lib. de Spectac. Dehinc ad signum anxij pendent, vnius dementiæ vna vox est; Misit, dicunt, & nuntiant inuicem, quod simul ab omnibus visum est. Non visum est: missum quid sit, mappam putant.

Non

A Non mappa modo dabatur signum, sed & Tuba, quæ ludis omnibus præcinere erat solita. Plinius lib. 2. epist. Qui nunquam castra viderunt, numquam tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt. Seneca epist. 65. Caucæneatoribus cincta est, Ouidius 10. Metamorph. *De signo tub.*

Signa tuba dederant, cum carcere pronus vterque
Emicat.

Nec solum ante certamen tuba canebat, vt equi è carceribus prosilirent; verum etiam in ipsa decursione, vt animi equis, viresque accenderentur. Pausanias pag. 191. *Circa metam se circumagebat, & vt audiuit tubam, cursum accelerauit.* Athenis antequam à Tyrrenis tuba reperta esset, signum cursui lampade dabatur: exclamabant enim spectatores, vt dimitterentur ad cursum. Aristoph. in Ranis.

Oua quidem Polluci & Castori consecrata, quod eos ouo editos fabulentur Poetæ. Oua igitur in Circo fuerunt Polluci & Castori sacra, metis ipsis imposita, ex Varrone lib 1. de Re Rustica cap. 2. Delphinos Romæ & oua B non ita fuisse antiqua nonnulli putant; sed Agrippæ eius rei originem tribuũt, auctore Dione lib. 49. his verbis: *In Circo cum videret homines decipi in numero cursuum ac recursuum, Delphinos & opera ouata constituit, vt per ea circuitus flexuum indicarentur.* Circus enim cum longè lateque pateret, Delphinis varijsque columnis distinctus fuit, quibus spatia notarentur, & iter ad metas dirigeretur, Liuius lib. 41. ait: *Oua ad notas curriculis numerandas posita.* Dum ergo Agitatores metam circumflecterent Circensium ministri singula oua erigebant, & septem spatia septem ouis erectis annotabant. Cassiodorus lib. 3. ep. 51. refert quod *Metarum circuitus ouorum erectionibus exprimatur.* Tertull. lib. de Spectacul. erudite in Circo ponit Solis ædem, Oua Castorum, Delphinos Neptuni, Columnas Sessias à sementationibus, Messias à messibus, Tutelinas à tutelis fructuum. Delphini positi sunt in Circo, docet Pausanias in Eliacis, tamquam Neptuni famulos Domino suo, ac Deo attributos. *De ouis & delphinis.*

C Erant & Obelisci in Circo, quorum duos numerat Cassiodorus lib. 3. ibi Obeliscorum prolixitates ad cælum subleuantes, sed potior Soli; inferior Lunæ dicatus est: vbi sacra priscorum Chaldaicis signis, quasi litteris indicantur. Quid autem sit Obeliscis, plura diximus supra cap. 10. In medio Circi inter vtrasque metas fuit Obeliscus longitudine cum basi sua pedum 132. sacris Aegyptiorum litteris inscriptus. Eius vertici Pyropus orbiculatus impositus ignes vomens, argumento Solis ignes vomentis. Alter prope metas Obeliscus minor pedum 88. Lunæ dicatus, & ipse notis hieroglyphicis insculptus. Apud Dionem: Nero coronas, quas in Græcia curru victor obtinuerat, Obelisco in Circo imposuit. Tacitus lib. 15. *Tum decreta dona & grates Dijs decernuntur, propriusque honor Soli, cui est vetus ædes apud Circum: ab alio Obelisci latere erat Isidis, siue Cybiles simulacrum diademate turrito leoni insidens, altera manu sistrum, altera orbem tenens.* Erant & in Circo Pollentiæ & Victoriæ simulacra; auctore Liuio lib. 49. supra Spinam Circi erant signa, aræ, tripodes, columellæ, vt videre est in antiquis monumentis, ac D etiam refert Ammianus lib. 17. *De obeliscis.*

Euripus in Circo veteri Romano appellabatur aqua ingenti fossa in ludis circumdata pro septis, quorum loco temporaria prius claustra fuerunt; vt voluit Plinius. M. Scaurus Aedilis in temporario euripo Crocodilos primus Romæ ostendit, id autem non in Circo, sed in Theatro. Dio in Augusto: *In Campum Flaminium aquas emisit, vbi Crocodili 36. occisi.* Is Euripus erat subitarius. Seneca epist. 9. *Euripos subito aquarum impetu implet, & siccat.* Apud Spartianum Heliogabalus Euripis vino plenis nauales Circenses exhibuit. Euripus autem propriè dicitur pars illa maris Euboici, quæ, Plinio & Strabone, sexies reciprocat aquarum æstum; & ab hoc Euripo reciprocante *De euripo.*

septies, lacunæ aquarum inertium, ac concluſarum in Circo, Euripi dicti A
ſunt. Euripum Circo addidit in gyrum, ait Sueton. de Iulio cap. 39. Plinius
lib. 8. cap. 7. clatris ferreis Circum ait circumdatum, ne feræ eruptionem
tentarent; vt euenit altero Pompeij conſulatu in Dedicatione templi Vene-
ris; cum in Circo 20. elephanti pugnauere. Ideo Cæſar Dictator ſimilem
venationem in Circo daturus, Euripis arenam circumdedit, quos Nero Prin-
ceps ſuſtulit, equiti loca addens, vt refert etiam Sueton. in Cæſare.

De metis. Fuerunt duæ Metæ in Circo; altera ad carceres, altera ad calcem Circi,
quibus ortus Solis & occaſus ſignaretur. Vetus Poeta.

Metarum cogunt circumdare curſibus orbes,
Namque axes gemini ortum, obitumque docent.

Cedrenus pag. 121. *Romulus per eam metam, quæ eſt ad carceres, ortum deſi-*
gnauit, per eam quæ eſt in funda occaſum: per ſeptem ſpatia curſum ſeptem
planetarum, aerem in quo curritur, cælum eſſe voluit. Metæ fuerunt orbicula-
tæ adinſtar Coni, & rotundæ ad Cupreſſi formam. Ouid. 10. Metamorph.

——— *Metaſque imitata Cupreſſus.* B

Ipſæ vero metæ ternas obtinent ſummitates quaſi Obeliſcos, quas adinſtar
Solis celeres Quadrigæ peruagantur: tres autem illæ ſummitates metarum
erant tria ouorum ſimulacra metis impoſita. vt ſupra dixi, metæ ſæpe confe-
cto curriculo ſublatæ ſunt, vt venatio facilius ederetur, ex Suetonio in Cæ-
ſare cap. 39. ibi: *Venationes in Circo editæ per dies quinque, &c. quo latius di-*
micaretur, ſublatæ metæ, inque earum locum bina caſtra exaduerſo conſtitu-
ta ſunt,

De ſpina circi. Totum illud ſpatium quod à primis metis ad vltimas fuit, Intermedium
dicitur; vt voluit Corippus: à Latinis Spina nuncupatur, quod inſtar ſpi-
næ dorſi produceretur per campum Circi, qui per initia latior, ſub finem
anguſtior fuit: vt Sidon. in Narbone. Caſſiodor. l. 3. epiſt. 51. inquit: *Spina*
infelicium captiuorum ſortem deſignat, vbi Duces Romanorum ſupra dorſum ho-
ſtium ambulantes, laborum ſuorum gaudia perceperunt. Hoc dictum forſi-
tan, quod expreſſæ eſſent in ſpina Circi tabulis & picturis Populi Romani
victoriæ: aut certè quia deſinente Republica hoſtes victi in Circo trium- C
pharentur; vt è Zonera in Iuſtiniano, vbi Beliſarij triumphum in Circo de-
ſcribit; idem in Heraclio.

De forma decurſionis. Forma decurſionis Romæ hæc fuit: cum pompa ducta eſſet, primum
certamen Quadrigarum fuit, & Bigarum, & Singulatarum, quod & Olym-
piæ factum. Romæ item Trigæ actæ ſunt; vt è Dionyſ. lib. 7. ſub finem, cum
autem curſus equitum finem ceperit, in Circum curſores & athletæ indu-
cuntur, Plin. lib. 7. cap. 20. Sueton. cap. 43. in Auguſt.

De agitatorum induſtria. Bonis equis vti, peritis, exercitatis, & docibilibus plurimum intererat; ſed
præterea ait Philoſtrat. lib. Apollonij: Boni agitatoris fuit non effuſo im-
petu temerè per Circum ferri, ſed vim equorum diſpenſare, & in fructum,
ac commodum impendere: vbi flagello & incitatione opus erat, incita-
re; vbi moderandum, moderatione vti, ad metam flectere, nec offende-
re, naufragium ab aduerſarijs, aut à ſe cauere. Cum enim in omnibus certa- D
minibus arti locus eſſet, maxime tamen in Circo. Euſtath. in Iliad. Virgil. 3.
Georg. inquit.

Iamque humiles, iamque elati ſublime videntur
Aera per medium ferri, atque aſſurgere in auras,
Nec mora, nec requies ———

Statius lib. 6.

——— *Nunc auidi prono iuga pectore tangunt,*
Nunc pugnantes genu preſſis duplicantur habenis.

Qui ſine flagello agerent equos, & vincerent, eorum illuſtrior victoria fuit, in
veteri lapide: *Diocles cum ſine flagello vicisſet, inter milliarios agitatores pri-*

mum

A *mum locum obtinuit*. Aurigæ ita victoriæ ſtudioſi fuere, vt ſæpè magicas artes aduocarent. Ammian. Marcell. lib. 26. Ab Aproniano Præfecto capite damnatum Hilarium aurigam, ſcribit, conuictum, ac confeſſum, filium ſuum venefico tradidiſſe docendum artium nefariarum ſecreta, legibus interdicta. Caſſiod. lib. 3. epiſt. 51. inquit: *Frequentia palmarum eum dici faciebat maleficum*. Arnob. lib. 1. aduerſus Gentes: *Magicis artibus in curriculis equos debilitare, incitare, tardare*. Quod etiam refert D. Hieronymus in vita Hilarionis.

In Græcia plures forte Metæ fuere, Romæ vnam ſepteno circuitu flectendam conſtat: quamquam flexionem illam ſpatium vocari à Seneca ep. 30. ibi: *Quomodo manifeſtior notari ſolet agitatorum lætitia, cum ſeptimo ſpatio metæ appropinquant*. Cum eo ſentit Iſidor. lib. 18. *Septem ſpatia currunt quadrigæ ob ſeptem planetas*. Lactantius lib. 7. Inſtitut. ait: *Quoniam decurſis propoſiti operis ſeptem ſpatijs, ad metam prouecti ſumus*. Et euoluto ad metam ſexto ſpatio, palmam victori Populus efflagitabat. Sidon. in Narbone. *De ſepteno circuitu metæ.*

B *Iam ſexto reditu perexplicato,*
Iamque ad præmia efflagitante Vulgo.

Periti Aurigatores per initia ſtadij moderabantur equos ſuos, vt in ſeptimum gyrum vim equorum integram reſeruarent: ſuſtinebantque equos, cum ad finem venirent. Cicer. lib. 4. Academ. *Ego enim, vt agitator callidus, priuſquam veniam, equos ſiſtinebo*. Huc reſpexit idem Cicero pro Cœlio ibi: *In hoc flexu ætatis, fama adoleſcentis hæſit ad metas*. In flexione igitur metæ ſiniſterior equus fuit interior, qui breuiori gyro metam circumageret; dexterior laxioribus habenis, ſpatioque remotiori ferebatur. Silius l. 16. *De flexione metæ.*

Sed læuo interior ſtringebat tramite metam.

Vides interiorem, ſiniſteriorem, ac brenem in idem incidere. Ouidius 3. Amor.

Nunc ſtringam metam interiore rota.

In Circo nil gratius oculis fuit, quam cum equi, curruſque naufragium facerent. Demoſth. in Eroticо: *Multis dicentibus, quod in curulibus certaminibus pulcherrimum ſpectaculum præbent currus fracti & naufragi*. Silnius lib. 16. *De naufragio circi.*

C ——— *Perfracto voluitur axe*
Cernuus, ac pariter fuſti miſerabile campo
Diſcordes ſternuntur equi.

Plutarch. in Silla: *Cum euertiſſent currus, Romani cum riſu, alios petebant, vt ſolent curulibus ſpectaculis*. Chryſoſtom. ſerm. de humanitate, inquit Aurigæ prætercurſo totius populi theatro, contendunt eo loco aduerſariorum currus ſubuertere, vbi Regem viderint ſedentem, & vnum oculum tot vultibus digniorem putant.

Ad ornatum Circi pertinet ordo Pompæ, de qua Græcanica pompa Athenæus lib. 5. inquit. *Omnium quotquot apud homines, vel creduntur, vel dicuntur eſſe Dij, aut Dæmones, atque adeo heroum ſimulacra geſtabantur. In Bacchica pompa ante omnes prodierunt Sileni, quidam laneis purpureis induti,* D *alij phœniceis turbam arcentes: euectæ ſunt & in pompa ſellæ regiæ, multæ ex auro & ebore compactæ: ſuper vna harum iacebat aurea corona, &c.* Refert etiam de huiuſmodi pompæ ſerie Tertull. de Spectac. Primo Deorum ſimulacra: deinde agmen imaginum, quæ ad Deorum hiſtoriam pertinerent: tertio currus: quarto thenſæ loro trahuntur, tenduntur que ſine opera iumentorum: quinto armamaxæ manibus & humeris circumferuntur: ſexto ſedes in quibus ſimulacra interquieſcerent: ſeptimo coronæ victoriarum inſignia: octauo exuuiæ de hoſtibus, &c. Traducebantur per Circum magna pompa Deorum ſimulacra: miles Marti plaudebat, Cereri Agricola, Phœbo Vates & Augures, Veneri Amatores. Ouidius de Spectac. Circenſium. *De pompa circi.*

Plaudite

Plaudite Neptuno nimium, qui fiditis vndis. A
Hoc intelligit de Neptuni simulacro, quod in pompa per Circenses ludos circumferebatur: & mox.

Plaude tuo Marti miles.

Item.

Ruricolæ Cereri, tenoque assurgite Baccho.

De editoribus. Circenses autem dabantur natalibus Principum, quinquennijs, decennijs, vicennijs, vt & cætera lætitiæ documenta, Sueton. in Nerone c. 53. scribit etiam Dio in Domitiano, eum Titi fratris sui natalium Circenses substituisse. Refert idem Dio in Natali Cæsaris etiam in castris Circenses editos: ac etiam Augusti natalibus Circenses in perpetuum decretos. Habetur l. 1. & 2. Cod. Theodos. de Prætor. & Quæst. Si Prætores & Quæstores designati non adessent, quo tempore ludos populo exhibere tenebantur, condemnatione triticaria plectebantur. & lib. 6. ibidem Fiscus eorum nomine expẽdebat sumptus, quos absentes postea refundere cogebantur. Ab Imperatore adiuti editores apud Symmachum lib. 2. ep. 45. & lib. 4. ep. 12. cum B
priuatorum pecuniæ non sufficerent ad ludos edendos in Magistratu: prouinciæ aliquid pendebant; imo certum æs constitutum erat prouincijs. Cicero ep. ad Quintum fratrem. Ab amicis etiam in ludorum impensam, si oneri essent impares, pecuniam accipiebant. Seneca lib. 2. de Benefic. cap. 21. Multi etiam abstinebant consulatu ob sumptus Circensium. Dio pag. 469. Tacitus lib. 4. monet: *Tiberium caviſse ne quis gladiatorum munus ederet, cui minor quadringentorum millium res.* Antoninus Pius & M. Philosophus sumptibus munerariorum modum posuerunt. Martianus cauit, ne Consules missilia darent Dio lib. 54. Contra huiusmodi editores insurgit sanctus Basilius in Psalm. 116. ibi: *Iſte opes ſuas in beſtiarios expendens, & vanis Populi vocibus exultans, laudibus tumet.* Simile D. Ambros. serm. 81. *Magiſtratus in theatris, mimis, athletis, gladiatoribus, alijſque huiuſmodi generibus hominum, totum patrimonium ſuum largitur, & prodigit; vt vnius horæ fauorem vulgi acquirat.* Imperatores ludis præsidere erant soliti: Augustus sæpe totos dies C
liberat petita venia, commendatisque qui sua vice præsidendo fungerentur, ait Sueton. cap. 45. Neque Caligula Spectaculis semper ipse præsedit, sed interdum aut Magistratibus, aut amicis præsidendi munus iniunxit, ex eodem Suet. cap. 18. Claudius præsedit nonnumquam spectaculis in Caij vicem auctorante Populo, vt idem Suet. in Claud. cap. 7. Editores & ipsi etiam Imperatores, Circum aut alia etiam spectacula intrantes Populus adorabat; imo & principes eos, qui ludos ederent, voce & manu venerabantur. Sueton. in Claud. cap. 12. De Caracalla apud Dionem his verbis: *Caracalla editorem aliquem ex ſuis libertis, aut alijs, qui valde diuites eſſent, faciebat, vt hos ſumptus ſuſtinerent, & adorabat eos ex loco inferiori flagello ſuo, & aureos petebat pro brauio, vt aliquis infimæ ſortis, dicebatque ſe Solis exemplo aurigari.*

De habitu editoris. Curru Prętor in Circo vehebatur toga picta, & tunica palmata; eburneum sceptrum, in cuius vertice aquila, manu tenens. In eodem curru seruus publicus capiti editoris, quasi triumphantis coronam auream imponebat, aut D
suspensam potius tenebat. Iuuen. Satyr. 10.

Quid ſi vidiſſet Prætorem curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in puluere Circi
In tunica Iouis, & pictæ ſerrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ,
Tantum orbem quanto ceruix vix ſufficit vlla?
Quippe tenet ſudans hanc Publius, & ſibi Conſul
Ne placeat, curru ſeruus portatur eodem.
Da nunc & volucrem ſceptro, quæ ſurgit eburno,

Illinc

A *Illinc cornicines, hinc præcedentia longi*
Agminis officia, & niueos ad frena Quirites.

Hoc habitu cultuque curru insidens, siue is Prætor esset, siue Dictator mittendis Quadrigis, siue Aedilis, ad oppidum vsque ad metas primas perue-hebatur. Varro: Moris tamen fuit vt bigis ferretur per Circum editor, non quadrigis, aut seiugibus. Symmachus lib.6. ep.4. ait: *Natali Vrbis suffectum Consulem: currus quo vehebatur euoluit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant.* Editori currus negatus est sub Augusto. Tacitus lib.1. *Tribuni petiere, vt proprio sumptu ludos Augustales ederent, vtque per Circum triumphali veste vterentur: curru vehi haud permissum, decreta pecunia ex ærario.* Dio in fine lib.55. *Tribuni, qui præerant ludis Augustalibus, triumphali veste in Circo vsi sunt; non tamen currum inscenderunt.* Sub alijs Imperatoribus curru vecti sunt, Plin. in Panegyrico Traiani: *Nos augustior solito currus accipiet, &c.*

De factionibus.

B In Circo quatuor fuerunt Factiones iuxta colores, qui quatuor anni tempestates signarent. Quadrigarij ipsi in veteribus Inscriptionibus dicuntur Boni Factionarij. Gregor. Nazianz. inquit: *Videte eos qui student Circo, eos inquam, qui nominantur à coloribus, & à partibus, à quibus faciunt.* Ab illis partibus factiones, ac rixæ in Circo ad multum sanguinem non semel exortæ sunt, de quibus eruditè Lipsius in Amphitheatro, Cassiodor. lib.3. ep.51. inquit: *Stupendum est, quodillic supra cætera spectacula feruor animorum inconsulta grauitate rapiatur: transit Prasinus, pars Populi mœret: præcedit Venetus, & potior turba Ciuitatis affligitur; nihil proficientes feruenter insultant, nihil patientes grauiter vulnerantur & ad inanes contentiones sic descenditur, tamquam de statu periclitantis patriæ laboretur.* Per eas factionum commotiones sæpè accendebant ad cædem vsque Imperatores. Caligula enim Prasinæ factioni ita addictus erat, vt cænaret in stabulo assiduè, & maneret: Incitato equo equile marmoreum, præsepe eburneum instruxit. Sueton. in Caligula cap.55. Dio pag.446. sic habet: *Caligula vnum ex suis equis, quem Incitatum appellauit, ad prandium vocabat,*

C *& inaureatum ei hordeum apponebat, & vinum propinabat in aureis poculis, & pollicebatur Consulem se renunciaturum.* Vitellius Venetæ factioni sic addictus erat, vt eos qui partes alias fouerent, aut Venetis obtrectarent, occidi iuberet: Caligula & Nero dediti Prasinæ, de quibus Xiphilinus, & Dio lib.57.

De coloribus.

Colores Dijs, & elementis attributi sunt: Russei equi Soli, ideſt igni; Prasini terræ; Veneti mari; Albi aeri. Item Russeos æstati, Albos hiemi; veri Prasinos; albos aquis. Cedrenus paulo aliter colores interpretatur pag.121. ibi: *Romulus imposuit partibus ista nomina: terræ viride, & porraceum: mari Venetum, quia aquæ sunt cæruleæ: igni russeum, &c. Prasinum vocauit à metaphora porri: proprium enim est terræ, vt herbis vireat. Venetum dicitur à Venetia; & coniunxit album cum viridi, ideſt aerem cum terra, quia inter se miscri, & temperari vtraque debent: itidem russeum subiunxit cæruleo, quia igni aqua supposita est.*

De equis.

D Omnium equorum, qui in Circo committebantur, sua fuere nomina, quibus appellabantur, vel à colore vt Corax, Maurus: vel à celeritate Tigris, Incitatus, Volucris: vel à gente Cappadox, Parthus: vel ab insigni alio equo nempè Bucephalus, Samphora. Hinc Martialis.

Vtrum ne currat Passarinus, an Tigris.

Et alibi.

Tigrim vince, leuemque Passerinum:
Nulla est gloria præterire Asellos,

Sicuti etiam equus Corax à nigredine pili coruina sic dictus.

Disquisitione illud dignum est; cum quatuor equi essent in quadriga Circensium, cur vnius tantum equi nominatim fiat plurimum mentio, cui & titulum

tulum victoriæ & palmæ adscribatur? sed respondetur ex quatuor equis A
vnum veluti palmæ auctorem præcipuum numerare, & nominare consueuisse Agitatores; eum scilicet, ex quo victoria potissimum pendebat, vt apud Silium Italicum lib. 16.

Euolat ante omnes, rapidoque per aera cursu
Callaicus Lampson: fugit, atque ingentia tranat
Exultans spatia, & ventos post terga relinquit.

Solo Lampsone equo nominato totam Quadrigam designauit: & apud Liuium legitur his verbis: *Claudij Cæsaris secularium ludorum Circensibus excusso in carceribus auriga Albati equi palmam occupauere, primatum obtinuere, oppositaeffundentes, &c.* Non aliam ego rationem inuenio, quam equus ille, qui in flexu, seu circuitu cum esset magis proximus metæ, & sinisterior, ac interior reperiretur: sicuti breuiori gyro, & industria maiori metam circumferebat; ita & maiorem gloriam assequebatur.

De præmijs. Honor propositus Aurigarum industriæ, & fructus vulgaribus aurigis iussu Principis, vt refert Cassiodorus Variar. Virgilius in medio Circi proponi ait. B

Munera principio ante oculos, Circoque locantur
In medio, sacri tripodes, virideſque coronæ,
Et palmæ pretium victoribus.

Sanctus Chrysostom. homil. 55. in Matth. Imperatores in equorum certamine, & cursu coronas, vestes, cæteraq; munera in ipso agone ante oculos certantium ponunt. Olympiæ corona victori ornamento fuit, & honor renunciationis in consessu totius Græciæ, iusque solemne triumphi cuiusdam cum in suas vrbes victoria læti redirent: muri enim diiecti, qua curru vectus Hironica vrbem iniret, faculæ prælatæ tubicine præeunte. Clemens lib. 2. Pædag. *In certaminibus primum largitio erat in athletas, deinde plausus, tertio foliorum coniectus, postremo corona post Medos in acie victos.* Tacitus lib. 12. Annal. stipes vocat his verbis: *Dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria consumerent.* Strabo lib. 8. refert, quod statuæ cum ponerentur, erant æquales statu & proceritate Aurigis. Cleosthenes primus equestrem statuam Olympiæ posuit victor, ait Pausan. lib. 2. Eliac. In basi statuæ nomen victoris, & patria scribebantur, auctor Dionys. Halic. in Protrept. athlet. Non homines modo coronatos, sed & equos victores. Plutarch. Sympos. 2. quare Plato lib. 6. de Legibus: *Agnoscitenhominum & equorum esse*, ait. Imo & equis nimio cursu debilitatis assignata ex horreis fisci alimenta l. 1. Cod. Theodos. de Equis curulib. Refert Capitolinus in Vero Imp. Volucri equo Prasino mortuo sepulcrum in Vaticano fecit. Vopiscus in Carino, non tantum aurum, sed & vestes datas ostendit. Dabantur interdum aurigis equi ad cursum vtiles post alia præmia. Ouid. fast. C

Primaque ventosis palma petetur equis.

Coronæ ludis omnibus victori fuere, & palmæ, quarum mercede in Prætura aurigarios Domitius Neronis pater fraudauit, vt est apud Sueton. cap. 5. Tertull. de Spectac. inquit: *Auriga vt sacerdos coronatus, vel coloratus vt leno.* Victores aurigæ coronati manu editoris. Ammianus lib. 14. inquit: *Ingressus Constantinopolim Gallus, editis equestribus ludis capiti Coracis aurigæ imposuit coronam, vt victoris.* Sidonius ep. 9. lib. 8. Aurigam coronatum vocat. Et hæc satis dicta. D

Mystica consideratio. Ex prædictis Romanorum Circensibus ludis, humillimè nos fideles Christi intueamur; etiã in humanis vbi nulla lucta, nulla sit victoria: hanc qui sustulit, præmia sustulit: & vide quanti ferrum, ignem, bestias cõtempserint sub præmio laudis humanæ: intuere etiam milites, nonne omnia labore cõstant? non quanto plus laborauerint, tanto plus de victoria sperant? nulla ignauia coronatur:

A ronatur: nullum ſocordia florem, nullum vnquam palmitem eſt promerita: vigilijs, ſudoribus, incommodis, duriore tractatione, ſtrictiore diſciplina, triumphis præluditur; & Apoſtolo teſte 1. Corinth. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant.* Nos fideles Chriſti coronam & gloriam æternam cogitantes, non maiora meditabimur? non per duriora lubentes tranſcuremus? aut ignauiam cælo coronandam putabimus? delitias, voluptates, menſas nulla in terris ætas, gens nulla corona dignata eſt. Intueamur veteres eremi cultores, Virginum agmina, Martyrum integros exercitus; & nos, vitamque noſtram: aut illi aut nos fatui; nam ſi per conuiuia, purpuram, diuitias, honores, delicias omnis generis via ad cælum patet, quo Martyrum ſanguis, Virginum continentia, Confeſſorum labor, & vnum vita tota continuata ſerie martyrium? & multos in his reperies è Regio ſanguine, prima nobilitate, ſumma eruditione, maximis opibus. Et vt alios taceam, excutiamur Dauidem, vide illius poſt delictum pro potu lacrymas, pro pane cinerẽ, pro lecto puluerem,
B pro purpura ſaccum; & qui ſecutus es non ſemel errantem, ſequere pœnitentem, & delictorum veniam ſpera: nonne ad Crucem ſingulos inuitat Chriſtus? aut errat, qui per illam nos inuitat ad cælum, aut alia ad hoc via, quam illa, quam prior calcauit, & per quam præmia ſpopondit: memento verborum Chriſti: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Aliud qui cogitat, fallitur.

Vrgere nobis ſaltem ad perfectionis curſum aliorum debent exempla; præſertim cum vno Religionis vinculo ligemur: equos ſiquidem ipſos mutua contentione & ambitione ad curſum impelli, docet Plutarch. in Pelopido ibi: *Equi pernicius ruunt iuncti ad currum, quam ſeorſim acti*, & reddit rationem, quia, *Mutua contentio & ambitio feruorem inflammat.* Sic ergo in ſtadio mortalis huius vitæ nos curramus: ſic in Circo ſancti Spiritus impulſu agamus, vt Deo digna ſit noſtra decurſio: *Vnus autem eſt, qui accipit brauium*, inquit Apoſt. Vnus, inquam, re vera Chriſti populus, vnus illo Chriſti ſangui-
C ne, ſacroque baptiſmate tinctus, qui Chriſtum vere induit. Ne igitur is in agone deficiat; habet deſignatorem Deum, medicum Chriſtum: ne deterreatur, habet vnctorem Spiritum ſanctum, qui Samuelis myſtico vnguento deliniet: ne ſitim metuat, habet ſupra ſe aquam baptiſmi; vt inde in pſal. 22. *Super aquam refectionis educauit me.* Et ſuper hæc omnia demum dicat exultans, ex Apoſt 2. Timoth. 4. *Pulchrum certamen certaui, curſum conſeci, fidem ſeruaui: de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria in ſæculorum ſæcula.* Amen.

De Gladiatoribus. Cap. IV.

QVoniam de Ludis apud Romanos eſt nobis ſermo, etiam de Saturnalibus (nempè de Gladiatoribus) libabimus aliqua: quæ Saturnus inter veterrimos Italiæ Deos frugum repertor, & à ſatione Saturnus ex Feſto
D dictus: hic etiam Saturnalia induxit, ſi Macrobio fides: quamuis Dionyſius lib. 3. ad Regem Tullum referat hunc feſtum: & Liuius poſt Reges exactos lib. 11. id conſtituit: *A Sempronio & M. Minutio Conſſ. ædes Saturno dicata: Saturnalia inſtitutus feſtus dies.* Qdinimo idem Liuius centenis aliquot poſt annis, agnoſcit illius inſtitutionem in Decembrem mẽſem reiectus feſtus dies, quod antè non erat; vt lib. 23. his verbis: *Poſtremo ex libris Decembri iam menſe ad ædem Saturni immolatum eſt, lectiſterniumque imperatum, & conuiuium publicum, ac per Vrbem Saturnalia die, ac nocte clamatum: populuſque eum diem feſtum habere ac ſeruare in perpetuum iuſſus.* Dio de Militibus in Claudij libertum iocantibus & clamantibus, *Io Saturnalia*: & ad Imperato- Saturnalia.

rum tempora Senec. epist. 18. *Nam quod fieri nisi in tumultu, & tristi tempore Ciuitatis non solet, voluptatis causa, & festorum dierum vestem mutauimus.* A
Togas enim ponebant domini, easque serui induebant: hinc Martial.

Syntheſibus dum gaudet eques, Dominuſque Senatus,
Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Iouem

Syntheſim dictam cœnatoriam veſtem; vtique hominum lautiorum, Martialis.

Vndecies vna ſurrexit, Zoile, cœna:
Et mutata tibi eſt Syntheſis vndecies.

Et Tranquillus in Nerone obſeruat, quod *plerumque Syntheſiniam indutus prodierit in publicum ſine cinctu diſcalciatus.* Atque adeo ſedebant tunc serui ad dominicam menſam dominis miniſtrantibus, ex Athenæo l.14. vt etiam Actij verſus.

Exercent Epulas læti, famuloſque procurant
Quiſque ſuos.

Quod etiam teſtatur Seneca epist.47. *Inſtituerunt diem feſtum non quo ſolum* B
cum ſeruis domini veſcerentur, ſed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam Rempublicam eſſe iudicauerunt.

Dies ſaturnalium.

Quot dies iam essent Saturnalium? Varro in hoc lucem affert lib.5. de L.L. inquit: *Saturnalia dicta à Saturno, quod eo die Feriæ eius, vt poſt diem tertium Opalia, Opis:* nempè vt poſt diem tertium à Saturnalibus Opalia celebrarentur: additus dein ab Auguſto quartus dies: & quintus à Caligula, ex Sueton. *Vt lætitiam publicam in perpetuum augeret, diem adiecit Saturnalibus.* Et ille ipſe quintus dies poſt Caij cædem abolitus, ſed reſtituit Claudius, vt inquit Dio lib.60. *Saturnalibus quintum diem, à Caio inſtitutum, poſteaque omiſſum, reſtituit.*

Quare gladiatores in ſaturnalibus?

Quare autem in ijs Saturnalibus maximè Gladiatores intercederent. Voluit Lipſius lib.1. Saturnal. cap.5. Quia triſte Saturni ſidus, & maleficum, quale ingenium Deorum Inferorum; inde Nænia: inde ſuperſtitio, Saturni diem non fauſtum. Tibullus. C

Aut ego ſum cauſatus acies, aut omnia dira,
Saturni, aut ſacram me tenuiſſe diem.

Et quoniam Romani Gladiatorum ſanguine placari manes credebant: eaque ludicri cauſa vt in his Saturnalibus interuenirent Gladiatores, qui manibus placandis dati fuere. Prudentius.

Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,
Cui cadit infeſta fuſus gladiator arena.

Quem Ditem eundem cum Saturno fuiſſe, voluit Lipſius adductus.

Gladiatores.

Verum Gladiatorij inter omnes ludos celeberrimi, frequentiſſimiq; Romæ erant, Cicero in Orat. pro Seſtio: *Equidem exiſtimo nullum tempus eſſe frequentioris populi, quam illud Gladiatorium: neq; concionis vllius, neq; vero vllorum comitiorum.* Et in quo plebs vel maxime delectabatur, vel verius inſaniebat. Idem Cicero de ijſdem Gladiatoribus: *Id autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequentia, atque omni genere hominum celebratur quo multitudo maximè delectatur.* Idemque ſtudium idem appoſitè exprimit maximè D
præiudiciale iuuentuti, *Iam vero propria & peculiaria huius Vrbis vitia penè in vtero matris concipi mihi videntur, hiſtrionalis fauor, & gladiatorum, equorumque ſtudia, quibus occupatus obſeſſuſque animus, quantulum loci bonis artibus relinquit? &c.*

Origo Gladiatorum ab Etruſcis ſumpta, & vt voluit Lipſius in Saturnal. lib.1. cap.8. à re funebri ſumpſerit originem: & poſtea ad voluptatem, refert Tertull. de Spectaculis: *Olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum erat, captiuos vel malo ingenio ſeruos mercati in exequijs immolabant: poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare; itaque quos paraue-*

A *rauerant, armis quibus tunc, & qualiter poterant eruditos, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant.* Et Seruius ad hoc Virgilij: *Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris*, inquit, *moris erat in sepulcris virorum fortium captiuos necari, quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores apud sepulcra dimicare, qui à busti cineribus Bustuarij dicti.*

De Primis publicè Gladiatoribus Romæ refert Valerius Max. *Gladiatorium munus primum Romæ datum est in foro Boario Ap. Claudio, & M. Fuluio Coss. dederunt M. & D. Bruti, funebri memoria Patris cineres honorando:* Dederunt hæc munera Consules, Proceres, & Impp. mox etiam priuati eadem ediderunt. Tertull. inquit: *Priuatorum memorijs legatariæ editiones pareuiant.* Seneca de Breuitate vitæ: *Quidam disponunt etiam illa, quæ vltra vitam sunt, moles magnas, sepulcrorum & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitiosas exequias.* Quæ munera ad rogum Gladiatores sunt, vt voluit Lipsius, etiam apud Iudæos mos talis fuit, vt refert Ioseph. l. 19. Herodem in omnibus penè oppidis theatra & amphitheatra construxisse. Nec à Regibus & Præsidibus in Colonijs, verum & à priuatis hominibus editi Gladiatores, sic apud Apuleium lib. 4. in Platearum Ciuitate Demochares quidam, *Munus Gladiatorium editurus, genere primarius vir, & opibus pluribus, & liberalitate præcipuus dignus fortunæ suæ splendore, publicas voluptates instruebat.* Sic apud Martialem nescio quis Cerdo.

Primi Reges gladiatores.

B

Das gladiatores sutorum regule Cerdo:
Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.

Nullum Bellum tantam cladem intulit vnquam humano generi quam isti etiam ad voluptatem ludi: itaque leges promulgatæ ad reprimendam Gladiatorum editiones: etenim post alios Tiberius firmius certum numerum præscripsit, vt refert Tranquillus cap. 34. *Ludorum & munerum impensas corripuit, mercedibus scenicorum recisis, paribusque gladiatorum ad certum numerum redactis.* Ad hoc edictum respexit Tacitus lib. 13. Annal. ibi: *Non referrem vulgatissimum S.C. quo ciuitati Syracusanorum egredi numerum edendis gladiatoribus finitum, concedebatur;* nisi, &c. Præterea idem Tiberius statuit, ex Tacito lib. 4. *Ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res.* Denique huiusmodi spectaculorum sublatio ad laudem Magni Constantini relata è toto orbe Romano anno ab V.C. mille & sexagintaseptem, penè sexcentis annis post ea instituta, vt refert Sozomen. lib. 1. & Euseb. lib. 4. de Vita Constantini: *Vetuit Idolis sacrificari, vetuit Gladiatorum cædibus pollui Vrbes.* Quin etiam nunc inserta in Codice Iustiniani lib. 11. tit. 43. illa lex. *Cruenta spectacula in otio ciuili, & domestica quiete non placent, quapropter omnino gladiatores esse prohibemus.*

Gladiatores limitati & sublati.

C

Et quamuis Constantius; Theodosius, ac Valentinianus iterum permiserint, substulit tamen in totum Honorius occasione Telemachi cuiusdam monachi, qui gladiatores Romæ pugnantes, pio ardore diducere conatus, à populo lapidibus obrutus fuit, refert Theodoretus lib. 5. histor. Eccles. cap. 26. & Cassiodor. in Tripart. lib. 10. cap. 11. vt etiam Prudentius lib. vlt. contra Symmach. preces interponit ad ipsum Honorium pro tollendo his versibus.

D

Quod genus vt sceleris iam nescit aurea Roma
Te precor Ausonij Dux augustissime regni:
Et tam triste sacrum iubeas, vt cætera tolli.

Et infra.

Tu mortes miserorum hominum prohibeto litare,
Nullus in Vrbe cadat, cuius sit pœna voluptas,
Iam solis contenta feris infamis arena
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

Conditio aut genus huiusmodi Gladiatorũ quale fuerit? è seruis plerumq; Tertull.

Conditio gladiatorum.

Tertull. *Olim captiuos, & malo ingenio seruos emercati.* Hinc Imperator Adrianus, *Lenoni & Lanistæ seruum, velancillam vendi vetuerit causa non præstita.* Damnabantur etiam serui ad Gladij ludum. Capitolinus in Macrino: *Seruos, qui à Dominis fugissent, repertos, ad Gladij ludum deputabat.* Et ex Tacito lib.3.Ann. *E seruitijs gladiatura destinatos.* Nempe venditi illi ipsi Lanistis, aut ab Impp. postquam in triumpho ducti, dati in ludum. In vita Probi: *Edita gladiatorum paria trecenta, Blemijs plerisque pugnantibus, qui per triumphum erant ducti, plerisq; Germanis & Sarmatis.* Sæpe & sine triumpho. Vopiscus in Vita Claudij: *Claudius omnes, qui rebelles animos extulerant, capit, atque in vincla Romam etiam mittit ludo publico deputatos.* Fuere deinde ex genere Gladiatorum liberi, & ingenui pretio inducti, vel mala libidine pugnandi, Liuius lib.28. *Gladiatorium spectaculum fuit, non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, seruorum delectu ac liberorum, qui venalem sanguinem habent: gratuita omnis pugnantium opera fuit.* Ac de Liberis Tertull. ad Martyres. *Quot otiosos adfectatio armorum ad gladium locat? certe ad feras ipsas adfectatione descendunt, & de morsibus & cicatricibus formosiores sibi videntur.* Hinc Manilius lib.4.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ:
Atque hostem sibi quisque parat, cum bella quiescunt.

Corruentibus deinde moribus eo ventum est; vt primæ nobilitatis viri operas arenæ locarent: quidam desperatione & bonis exuti, alij Principibus gratificantes, Senec. epist.100. *Aspice illos iuuenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria coniecit.* Iuuenalis de Nobilibus sui ævi.

——— Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.
Non dubitant celsi Prætoris vendere ludis.

Equites & Senatores. Quinimo primum sub Cæsare Equites & Senatores polluti arena. Sueton. in Iulio cap.39. *Cuius munere in foro depugnauit Furius Leptinus stirpe prætoria, & A. Calenus Senator quondam actorque causarum.* Postea interdictum Senatoribus, & equitibus, vt refert Sueton. in Tiberio cap 35. *Ex iuuentute vtriusque ordinis profligatissimus quisque quo minus in opera scenæ, arenæq; edenda S.C. tenerentur, famosi iudicij notam sponte subibant: eos omnes ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exilio affecit.* Vitellius quamquam ipse infamis, infamiam hanc genere quodam sustulit. Tacitus 2. histor. *Cauitque seuerè ne equites Romani ludo, aut arena polluerentur: Priores id Principes pecunia & sæpius vi perpulerant: ac pleraque municipia & coloniæ æmulabantur corruptissimum quemque adolescentem pretio illicere.*

Fœminæ. Proteruia illa Romanæ Iuuentutis tam prodiga fuit sui sanguinis, vt fœminas etiam pugnasse in arena velit Tacitus lib.15. *Fœminarum, senatorumque illustrium plures per arenam fœdati sunt.* Refert etiam Dio in rebus Neronis & Sueton. in Domitiano; *Venationes, gladiatoresque noctibus ad lychnuchos dedit; nec virorum modo pugnat, sed & fœminarum.* De ijsdem Domitiani ludis. Statius in Syluis.

Hos inter fremitus, nouosque lusus,
Stat sexus rudis, insciusque ferri:
Et pugnas capit improbus viriles.

Hoc autem vetitum S. C. sub Principe Seuero; *Non vltro fœminam vllam ad gladium depugnare.*

Nani. Non solum fœminas in has pugnas veniisse, sed Pumilios & Nanos. Xiphilinus in Domitiano: *Pugnas etiam noctu sæpè exhibuit, & interdum Nanos, ac Feminas inter se commisit.* Papinius de ijsdem Domitiani ludis.

His audax subit ordo Pumilorum,
Quos natura breui statu peracto
Nodosum semel in globum ligauit.

Edunt

A *Eduut vulnera, conseruntque dexteras,*
Et mortem sibi, qua manu minentur
Ridet Mars Pater, & cruenta Venus,
Cassuræque vagis grues rapinis.

Auctorati. Voluntarij, seu Liberi Gladiatores erant, qui pretio se addicebant, qui propriè *Auctorati* dicti: Vetus Horatij Interpres Auctorati vocantur, qui ludo vendunt se: Auctoratio enim dicitur Venditio gladiatorum. Quintilianus: *Quidem vt Patrem sepeliret, auctorauit se.* Et Seneca: *Hominem venalis animæ crebris incitabat auctoramentis.* Et de his latè Lipsius lib. 2. capit. 5.

Secutores. Varia Gladiatorum genera fuere, nempè vel ab armis, à locis, à tempore, alijsque causis diuersi. Ex his qui armis & ratione pugnæ fuere diuersi, Ponuntur in primis *Secutores*, quos describit Isidorus: Secutor est ab insequendo Retiarium dictus: gestabat enim cuspidem & massam plumbeam, quæ aduersarij iaculum impediret, vt antequam ille feriret, rete iste superaret. Dio in Commodo: *Vsus est armatura eorum, qui Secutores dicuntur.* De quibus Lipsius in Saturn. lib. 2. cap. 7. Erat præterea *Retiarius* gladiator; is enim plerumque commissus cum Secutores, vt arte quadam collectum suspensumque dextera manu rete in aduersarij caput iaceret. Isidorus describit his verbis: Retiarius qui contra alterum pugnantem occultè ferebat rete, quod iaculum appellatur; vt aduersarium cuspide insistentem operiret, implicitumque viribus superaret: quæ armatura pugnabat Neptuno tridentis causa, de isto Strabo lib. 13. *Postea vero ad singularem pugnam à Phrynone prouocatus, cum piscatoria schema in eum pugnauit: & reteiaculo quidem hominem circumuoluit, tridente vero, & pugione impulit, occiditque.* Et late Lipsius adductus c. 8. *Treces* gladiatores sic dicti, vt Festus de istis: Treces gladiatores, à similitudine parmularum Traciarum: vel potius quoniam suo ingenio prona ea gens ad pugnas & cædes. Ammianus: *E Trecibus inter alios immaniter efferati memorantur Odrysæ, ita humanum effundere sanguinem adsueti, vt cum hostium copia non daretur, ipsi inter epulas, suis velut alienis corporibus imprimerent ferrum.* Plinius lib. 11. *Studiosi Treci in C. Cæsaris ludo notum est dexteram fuisse proceriorem.* Et Liuius lib. 41. cum narrasset Perseam Regem crebras gladiatorum pugnas dedisse, subdit: *Iam suo è Regno Romam mittebat.* Et de his Lipsius vbi supra c. 9. *Myrmillones* gladiatores è Gallia venisse credit Festus his verbis: Retiario pugnanti aduersus Myrmillonem cantatur, *Non te peto, piscem peto: quid me fugis Galle?* Quia Myrmilloni cum genus armaturæ Gallicum sit, ipsique Myrmillones antè Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. Ammianus indicat de Persis lib. 23. *Pedites enim in speciem Myrmillonum contecti iussa faciunt.* Hoplomachus apud Græcos pro quouis gladiatore; tamen apud Romanos etiam species certa gladiatorum, Senec. lib. 3. Controuers. *Quidam cum Hoplomachis, quidam cum Trecibus optimè pugnant.* Sueton. in Caligula: *Hunc è spectaculis detractum repente Treci, mox Hoplomacho comparauit.* Eosdem cum Samnitibus confundi, de quibus inquit Varro: *Annotauit Tritanum Samnitem gladiatorem natura fuisse, qui rectis & transuersis neruis, &c.* Et de his Lipsius c. 11.

Retiarij.

Trecis.

Myrmillones.

Hoplomachus.

B C D

Essedarij. Sunt quoque *Essedarij*, qui ex Essedo pugnant, de quibus Sueton. in Caligula cap. 35. *Cum quodam die muneri Essedario Poro ob prosperam pugnam seruum suum manumittenti studiosius plausum esset: proripuit se è spectaculis indignabundus, & clamitans, Dominum gentium populum ex re leuissima plus honoris gladiatori tribuentem, quam consecratis Principibus, aut præsenti sibi.* Et hos modo è curru modo pedites præliasse refert Lipsius c. 12. *Laquearij* gladiatores, ex Isidoro, quorũ pugna erat fugientes in ludo homines iniecto laqueo impeditos consequtosque prosternere, amictos vmbone pelliceo. Confusa tamen interdum hæc gladiatorum nomina; nec discrimina hæc semper certa.

Laquearij.

Quorum

Quorum etiam alia plurima nomina, vt ex Lipsio cap. 13. & seqq. A

Libelli Gladiatorij. Modo restat, vt videamus quid ante pugnam: quid in pugna, quid post pugnam peragi mos esset? *Ante pugnam* Libelli gladiatorij per Editorem proponebantur, in quibus dies futuri muneris, item nomina, & paria gladiatorum, scilicet alliciendæ plebi, & expectationi commouendæ; idque pronunciare munus vocabant Sueton. in Iulio: *Munus pronunciauit in filiæ memoriam*. Ostendere munus Cicero: *Et si munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet nisi concitatus*. Item proponere munus, Sueton. in Tito: *Omnes tanta comitate tractauit, vt proposito gladiatorio munere non ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se professus sit*. Ac etiam futurum munus in Libellis describebant. Cicero in Philippica 2. *Quid de Commentarijs infinitis? quid de Chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea tamquam gladiatorum libellos palam venditent*. Fiebat etiam pronunciatio hæc munerum, cum pingerent habitum, formamque pugnantium gladiatorum, item loci, muneriscque totius, Plinius lib. 35. *Pingi gladiatoria munera atque in publicum exponi cœpta à C. Terentio Lucano: Is auo suo triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ posuit*. B Et de his picturis Trebellius in Vita Carini: *Memorabile maximè Carini & Numeriani hoc habuit Imperium, quod ludos Romanos nouis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum Statilij vidimus*.

Pompa gladiatorum. Die ipso gladiatores ordine in arenam deducti, & ibi solemni pompa circumducebantur. Quintilianus: *Iam dies aderat, iam ad spectaculum supplicij nostri Populus conuenerat, iam ostentata per arenam periturorum corpora mortis suæ pompam duxerant*. Ad quam traductionem, Capitolinus in M. Antonino: *Faustinam quondam cum gladiatores transire vidisset, vnius ex his amore succensam*. Introducti Gladiatores paria inter se componebantur.

Compositio. Quintilianus: *Cum me vna tamen res apud quosdam faceret miserabilem, quod viderer inique comparatus: certa enim arenæ destinabar victima: nemo munerario vilius steterat*. In hac compositione prima Editoris cura, vt pares cum paribus confligerent: atq; adeo id volebant ipsi gladiatores. Seneca: *Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi: & scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur*. C

Arma exhibita. Post compositionem gladij, armaque, quibus pugnaturi Munerario ostendebantur explorandi causa, & an satis acuti, Dio in Nerua: *Collocauit eos in spectaculo quodam iuxta se ignaros, quod proditi essent: ijsque gladios tradidit, in speciem quidem vti dijudicarunt, an satis acuti essent (quod fieri solet) reuera vt ostenderet parum se solicitum, si vel statim interficeretur*. Lenissimus fuit in hoc Marcus Imp. de quo Dio ait: *Adeo à cæde abhorruit, vt & gladiatores Romæ tanquam athletas, sine periculo aut noxa pugnantes cerneret: ferrum enim acutum nemini eorum commisit, sed obtusis, & velut orbiculatis gladijs omnes pugnabant*.

Præluso. Præluso dein præmittebatur, qui arte quadam iaciebant hastas; vt etiam pilis, ac rudibus dimicabant; & in hac prælusione puræ à ferro hastæ, obtusi gladij; Cicero de Oratore: *Sed si in illo ipso gladiatorio vitæ certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quæ non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur, quanto hoc magis in oratione expectandum est?* D Et Ouidius lib. 3. de arte.

Sed vbi præluserit, rudibus puer ille relictis,
Spicula de pharetra promit acuta sua.

Appellabant hæc lusoria tela, Seneca: *Remoue ista lusoria arma, decretorijs opus est*. Et idem lib. 2. Quæst. natur. *Illos vero viros altissimos error iste non tenuit, vt putarent Iouem modo leuioribus fulminibus, & lusorijs telis vti*.

Tuba. Post hæc Tuba erat signum ludi commissi & veræ pugnæ: ideo Apuleius tubam terminalem appellat, quia primitias & ludrica certaminis terminaret

lib. 10.

A lib. 10. *At vbi discursus reciproci, multinodes ambages, tubæ terminalis cantus explicuit*. Virgilius.

At tuba commissos medio canit aggere ludos.

Quintilianus in Gladiatore: *Sonabunt clangore ferali tubæ*. Statius in Syluis.

Iam placidæ dant signa tubæ.

Idque in omnibus spectaculis factitatum Plinius lib. 11. ep. *Qui numquam castra viderunt, nunquam tubarum sonum nisi in spectaculis audierunt*. Iuuenalis de Senum incommodis.

Quid refert magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus?

Seneca hoc signum pugnæ intellexit: *Quam stultum est, cum signum pugnæ acceperis, ventilare*.

Dirempta ergo prolusione, abiectisque lusorijs armis, transibant ad vera: atque hoc est, quod ait Tertull. *Dimicare ad certum*. Appellabant etiam pugnare versis armis; vt dixit Plautus.

B *Ita rem natam intelligo,*
Necessum est versis gladijs depugnarier.

Neque aliud intellexisse videtur Ouidius de Arte.

Ponite iam gladios hebetes, pugnetur acutis.

Componunt se Gladiatores, & colligunt in arma magna arte sui defendendi, & alterius occidendi: nec mirum, A Gellius: *Gladiatori enim composito ad pugnandum, hæc proposita sors est: aut occidere si occupauerit; aut occumbere si cessauerit*. Hanc ex arte posituram statum vocabant, Petronius de Anu. *Statum præliantis componit*. Plautus facetè. *Modus gladiatoria pugnæ.* *Status seu gradus positio.*

In statu stat senex,
Vt adoriatur mœchum, qui forma est ferox.

Curæ namque & laudi ijs erat mansisse in statu. Laberius.

Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio
C *Mouere potuit in iuuenta de statu:*

Imo nec læsi deserebant: Seneca de Consolat. *Omnes scient quomodo te in icto gesseris vulnere, vtrum ne statim percussus arma submiseris, an in statu & in gradu steteris*. Et idem Seneca: *Quorum alter vulnus premit, & constat in gradu*. Hinc apud Tertull. *De gradu pellere: cedere de gradu: construere gradum*. Et Cicero de Oratore inquit: *Sæpe aduersarios de statu animi deiecimus.* Similiter etiam ictus ipsi *Petitiones* dicebantur. Cicero in Catilinam: *Quot ego tuas petitiones, ita coniectas, vt vitari nullo modo possent, parua quadam declinatione corpore excessi*. Et idem in Oratore: *Vt enim athletas, nec multo secus gladiatores videmus, nihil nec vitando facere cautè, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quamdam: sic oratio neque plagam grauem facit, nisi petitio fuerit apta*. Inuasiones etiam huiusmodi Manus appellabant. Quintilianus lib. 9. cap. 1. *Nam vt in armorum certamine aduersos ictus & rectas manus cum videre, tum etiam propulsare facile est; auersæ, tectæque minus sunt obseruabiles*. Senec. epist. 7. *Nunc nihil habent quo tegantur,* D *totis corporibus ad ictum exposíti, numquam frustra manum mittunt*. Vt Petere; ita etiam Repetere erat arenæ verbum; nempè ictum geminare, Lactantius: *Percussos, iacentesque repeti iubent*. Quintilianus: *Vt bis cauere, bis repetere oportuerit*. Et in Caligulæ cæde Sueton. *Iacentem, contractisque membris clamitantem se viuere, cæteri vulneribus triginta confecerunt: nam signum erat omnium, Repete*. Vitandi seu cauendi verba exire, & excedere erant, Virgilius. *Petitiones.* *Manus.* *Repetere.* *Exire.*

Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit.

Et Cicero: *Parua quadam declinatione corpore excessi*. Prudentius idipsum dixit Ludere & Eludere. In vitando præcipua cura erat, vt latus tegerent

Senec.

Latus patere. Senec. lib. 4. Natur. quæst. *A turba quantum potes te separa, ne adulatoribus latus præbeas.* Ammianus: *seque in modum Myrmillonis aperiens, hostium latera, quæ nudabat, ira flagrantior, districtis mucronibus perforabat.* A

Clamor ad vulnus. Clamor Insultantis, & Vulgi acclamatio fiebat ad Vulnus: Prudent.

Tunc exarmatæ iugulum meretricis adacto
Transfigit gladio: calidos vomit illa vapores,
Hoc habet, exclamat victrix regina.

Seneca in Tragœd.

Habet, peractum est: quas petis pœnas dedit.

Gladiatores submittebant. Læsi gladiatores mortis metu arma submittebant. Seneca de Prouidentia: *Quid ego istum aduersarium mihi sumam? statim arma submittet; non opus est in illum tota potentia mea.* Et idem Seneca: *Gladiatoribus licet arma submittere, misericordiam populi tentare: tu neque submittes arma, nec vitam rogabis; recto tibi inuictoque moriendum est.* Et idem epist. 108. *Non faciam quod victi solent, vt prouocem ad Populum.* Siue etiam ad Editores. Cicero 2. Tuscul. *Mittunt etiam vulneribus confecti ad Dominos, qui quærant, quid velint; si ijs satisfactum non sit, se velle decumbere.* Dio in læuitiam Caracallæ: *Munus Nicomediæ præbuit die suo natali, in quo ferunt victum quempiam è gladiatoribus supplicasse Antonino vti seruaretur: illum respondisse, Abi & aduersario tuo supplica.* Quamquam adhoc solus Imperatoris aduentus sufficeret. Ouid. de Ponto. B

Cæsaris aduentu, tuta gladiator arena
Exit, & auxilium non leue vultus habet.

Hæc liberatio Missio dicebatur, quæ pertinebat ad victos, vt in eum diem dumtaxat liberarentur. Martialis: *Nuper cum Myrino peteretur missio læso.* Itaque sine missione dare gladiatores seu pugnam; non aliud quam ad certam mortem dari nisi vincas; neque ius esse vulneratos suppliceſque liberãdi: vt de Perseo Liuius lib. 41. *Deinde sæpius gladiatores dando; & modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam.* Et Florus de Pugna cum Spartaco: *Sine missione pugnatum est.* Hinc aliud Augusti decretum, qui *Gladiatores sine missione edi prohibuit.* Sueton. cap. 45. Quoniam reperti sæui munerarij, qui omnes dabant in certam mortem, qualis fuit Domitius auus Neronis, de. Sueton. cap. 4. *Munus gladiatorium edidit tanta sæuitia, vt necesse fuerit Augusto, clam frustra monitum, edicto coercere.* Hinc decenter translatum à Seneca: *Quid porro prodest paucos annos vel dies lucrifacere? sine missione nascimur.* Et Apul. lib 11. *Hodierna pugna non habet missionem.* C

Populus intercedebat. Populus moderator & arbiter erat horum ludorum in arena, & ad eius voluptatem Domini plerumque se conformabant, cum ille pro victis, læsisque intercedebat. Seneca de Tranquill. lib. 2. *Quæris quid inter duos interfit? quod inter gladiatores fortissimos, quorum alter premit vulnus & constat in gradu: alter respiciens ad clamantem Populum significat nihil esse, & intercedi non patitur.* Interfici iubebat idem Populus signo conuersi pollicis, Iuuenalis.

Iubebat etiam interfici.

Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter. D

Prudentius de Vestali,

——— Consurgit ad ictus
Et quoties victor ferrum iugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque iacentis
Virgo modesta iubet conuerso pollice rumpi.

Sicuti è contrario pollices premebat populus in fauore, vt apud Plinium & Horatium. Audacia & Constantia gladiatorum accepta erat Populo: vt etiam Ignauia odio erat. Cicero pro Milone: *Etenim sicut in gladiatorijs pugnis timidos & supplices, & vt viuere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus:*

sortes

A fortes & animosos, & se acriter ipsos morti offerentes, seruari cupimus. Et Seneca de Ira lib. prim. *Quid gladiatoribus, quare populus irascitur, & tam iniquè, vt iniuriam putet quod non libenter pereunt? contemni se iudicat, & vultu, gestu, ardore de spectatore in aduersarium vertitur.* Quem furorem Quiritum tangit Lactantius lib. 6. *Quero nunc an possint pij, & iusti homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed effiagitant. Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est.* Boni igitur gladiatoris erat decumbere, & libenter, fortiterque ferrum recipere: id enim imperabatur: *Recipe ferrum.* Cicero pro Sextio: *Ipsum vero quid accusas? num defuit gladij? num repugnauit? nam, vt gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit?* Cicero in Tusculana. 2. *Quis mediocris gladiator non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset, ferrum iussus recipere, collum contraxit?* Et ad hoc alluſit Virgilius.

Sic loquitur, iugulóque haud inscius accipit ensem.

B Et tamen commiseratio erat spectatorum, si quis famosus caderet gladiator. Statius de Leone. *Misericordia.*

——— Quod te populusque, patresque
Ceu notus caderes tristi gladiator arena
Ingemuere mori.

Imo & quidam quasi mitiores auertebãt se ab vulneribus. Quintil. declamat. 289. *Multi se à gladiatorũ vulneribus auertunt: & quamquam nemo dubitet illud spectaculum esse in parte pœnarum, tamen nequissimorum quoq; hominum suprema pericula habent suam gratiam.* Fuit autem inauditæ feritatis, quod inquit Lactantius: *Quinetiam percussos, iacentesque repetiriubent, & cadauera ictibus dissipari: ne quis illos simulata morte deludat.* Et ad supremam sæuitiam manum mittebant in vulnus, & sanguine velut se proluebant, vt Lampridius de Commodo ait: *Nam cum in gladiatoris occisi vulnus manum misisset, ad caput sibi detersit.* Illud scilicet prodigio habitum, quasi precatus sibi, suo- *Feritas.*

C que capiti eadem; vt etiam euenerunt. Sed nec defuerunt è populo, qui gladiatorum sanguinem ex ipso vulneris hiatu biberent calidum adhuc, spirantemque contra morbum, Plinius lib. 28. cap. 1. *Cum plagis, ne ferarum quidem admoueri ora fas sit humana.*

Hinc ergo in hanc feralem arenam illata, vna cum reliquo apparatu Libitinæ instrumenta, vt mortui subito efferrentur. Quintilianus: *Sonabant clangore ferali tuba, illatisque Libitinæ thoris, ducebatur funus ante mortem.* Inde certa porta in Amphitheatro, quæ Libitinensis dicta, Lampridius in Commodo: *Galea eius bis per portam Libitinensem elata est.*

Victori præmia conferebantur. D. Augustin. de Ciuit. lib. 3. cap. 14. *Pugnant etiam gladiatores, vincunt & ipsi: habet præmia laudis & illa crudelitas.* Et quidem præmium Victori duplex palma, & pecunia, de Palma Sueton. in Caio: *Myrmillonem ferreâ sica confodit, & more victorum cum palma discurrit.* Lampridius in Commodo: *Tantum palmarum gladiatoriarum confecerat, vt mille contingeret.* Iisdem & pecunia data. Sueton. in Claudio: *Nec vllo* *Præmia.*

D *spectaculi genere communior, aut remissior erat: adeo vt oblatos victoribus aureos, prolataque sinistra manu, pariter cum vulgo voce digitisque numeraret.* Sed & vltra legitima præmia corollaria etiam adijciebantur exemplo à scena. Sueton. in Augusto: *Corollaria & præmia alienis quoque muneribus & ludis & grandia & crebra de suo offerebat.* Indulgebant quoque Rudem gladiatoribus veteranis, quasi magisterij signum: aut etiam nouis in aliquo strenuo facto, idque populo imperante. Quintilian. *Quidam vt Patrem sepeliret se auctorauit: sed die muneris productus sub titulo causæ rudem postulante populo accepit.* Effectus autem Rudis erat liberatio ab arena; sed aliter atq; aliter pro conditione gladiatorum: qui enim liberi siue auctorati arenæ ope- *Rude donati.*

ram pretio locabant; ij donati rude in veterem prorsus libertatem redibant nullo vltra vinculo seruitutis, Capitolinus de Macrino: *Plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuisse dixerunt, & accepta rudi ad Africam isse, venatorem primo, post etiam tabellionem fuisse, deinde aduocatum fisci*. Alij è gladiatoribus conditione serui rude donati non libertatem accipiebant; sed vacationem dumtaxat à pugna; ideoque tuta rudis dicta, Ouid.

Tutaque, deposito postitur ense, rudis.

Quod si libertatem etiam impetrarent, mos erat, vt Pilei impositione liberi iudicarentur: & benè rudem à pileo seiunxit Tertull. *Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat*. Nec depugnasse vltra Rudiarios nisi pretio, aut sponte inductos. Sueton. in Tiberio cap. 7. *Munus gladiatorium dedit, rudiarijs quoque quibusdam reuocatis auctoramento centum millium*. Quem ritum Horatij versus aperiunt ad Mecœnatem.

Spectatum satis, & donatum iam rude, quæris
Mecœnas iterum antiquo me includere ludo?
Non eadem est ætas, non mens. Veianius armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.

Ex quibus postremis verbis patet, vt gladiatores emeriti arma sua suspenderent ad Herculis sacra; quibus Hercules præesse putabatur, qui facta scilicet eius & robur æmularentur: vt etiam testis Commodus Imp. qui Herculem se dici, pingi, & fingi voluit.

Magna erant studia Principum, & vulgi in varia genera gladiatorum, vt de Tito refert Sueton. qui *Studium armaturæ Thracum præseferens: sæpe cum populo & voce & gestu, vt fautor cauillatus est*. Delectati huiusmodi cæde fuerunt Romani; ac etiam confirmare eo spectaculo mentem oculosque voluerunt & Ciues, præsentibusque exemplis monere: *Fortiter agere, fortiter pati*. Præterea ad mortis contemptum militiam & fortitudinem spectarunt. Plin. in Panegyrico: *Visum est spectaculum inde non enerue nec fluxum, nec quod animos virorum molliret, ac frangeret; sed quod ad pulchra vulnera contemptumque mortis accenderet, cum in seruorum etiam noxiorumque corporibus amor laudis, & cupido victoriæ cerneretur*. Itaque dabant plerumque gladiatores ituri ad bellum. Spartianus in Seuero: *Profectus dehinc ad bellum Parthicum est edito munere gladiatorio*. Et Capitolinus in vita Maximi inquit: *Vnde autem mos tractus sit, vt proficiscentes ad bellum Impp. munus gladiatorium & venatus darent: multi dicunt vt Ciuium sanguine libato specie pugnarum, se Nemesis, ideſt vis quædam fortunæ satiaret; alij quod verisimilius credo, ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum: ne dimicantes in bello armatos hostes timerent, aut sanguinem pertimescerent*. Et inde ad constantiam eosdem milites excitarent.

De Venatione & Amphitheatro. Cap. V.

DE Gladiatoribus plurima diximus; modo de Venatione, & de Amphitheatro etiam dicemus; vbi inter se pugnabant feræ, vel cum bestiarijs, vel in aliud voluptatis genus erudiebantur: D. Augustin. lib. 1. Contr. Academic. inquit: *Si te edentem munera Vrsorum*. Cassiod. in Chronicis. *Muneribus Amphitheatralibus diuersi generis feras exhibuit*. Talis spectaculi locus Romæ præcipuè hodie Colossæum, quia Neronis cum capite colossus in vicinia erat: prisci Amphitheatrum, Caueam, & Arenam nominarunt. Amphitheatrum Græca voce, quia gradus circumundique & sedilia continenter

A nenter disposita ambibant in orbem. Dio lib. 43. *Theatrum Venatorium, quod & Amphitheatrum dicitur, ex eo quod vndique sedes habeat sine vlla scena.* At Cauea ab interiori parte, quæ concaua & capaci quodam profundo; communis nominatio Amphitheatrorum dein increbuit, de qua Ammianus l. 29. *Alter in amphitheatrali cauea, cum adsuturus spectaculis introiret.* Arenæ nomine dictum eumdem locum, quia sterni solitus arena bibula in tam crebra sanguinis effusione, Tacitus: *Spectacula gladiatorum idem ille annus habuit, pari magnificentia ac priora: sed fœminarum, senatorumque illustrium plures per arenam fœdati sunt.* Capitolinus: *Multos, qui secum in arena pugnassent, se Prætores videre.* Principes etiam arenæ loca instrauere interdum minio & chrysocolla. Plinius: *Visumque est Neronis principis spectaculis arenam Circi chrysocolla spargi, cum ipse concolori panno aurigaturus esset.* Suetonius de Caio: *Edidit & Circenses quosdam præcipuos minio, & chrysocolla constrato Circo.*

B Amphitheatra non multum ante tempora Reipublicæ cadentis primum inuenta, & hæc è ligno; ita Curio Tribunus ligneam molem extruxisse; quæ diducta duo theatra redderet, iterumque amphitheatrum vnum conducta; quod corruisse dein cum multorum clade refert Dio & Plinius lib. 36. c. 15. At sub Augusto valde increuit dignitas huiusmodi venationum, siue cum opibus augescente luxu, siue quia ipse Princeps valde in hunc ludum pronus, de quo scribit Victor: *Oblectabatur omni genere spectaculorum, præcipue ferarum incognita specie, & infinito numero.* Et ipse Augustus huiusmodi venationes se dedisse fatetur in Lapide Ancyrano: *Quibus confecta sunt bestiarum circiter trium millium & quingenta.* Hinc postea Augusti suasu amphitheatrum è lapide extructum Statilij Tauri sumptu, de quo Dio lib. 51. *Statilius Taurus in Campo Martio theatrum quoddam venatorium, lapideum extruxit suis impensis, & dedicauit.* Quod sub Nerone exustum, vt refert Xiphilinus: *Mons Palatinus vniuersus, theatrum Tauri exustum.* Vnde occasio & cupiditas struendi nouum data deinde Vespasiano, vt refert de eodem Sueton. c. 9. *Quando inuenta?*

C *Fecit amphitheatrum vrbe media, vti destinasse compererat Augustum, amplissimum. Ordines & exhaustos cæde varia, & contaminatos veteri negligentia purgauit, suppleuitque.* Struxit autem amphitheatrum Vespasianus Consulatu suo octauo, vt ex antiquo Numismate biennio ante obitum, quod Titus filius absoluit, veinquit Victor: *Biennio post, at mensis fere nouem amphitheatri perfecto opere, lautissque (* nempe Balneis *) veneno interijt.*

De huius amphitheatri miranda mole, refert Ammianus; *Amphitheatri moles solidata lapidis Tiburtini compage, ad cuius summitatem ægre visto humana conscendit.* De eiusdem autem capacitate inquit P. Victor: *Amphitheatrum quod capit loca octoginta septem millia.* Iure ergo hanc molem admiratus Cassiodorus in hoc elogium erupit: *Hoc Titi potentia principalis, diuitiarum profluso flumine, cogitauit ædificium fieri, vnde caput Vrbium potuisset.* Et Martialis. *Laus & forma.*

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro;
Vnum præ cunctis fama loquatur opus.

D Et de ludis in dedicatione eiusdem Amphitheatri per dies penè centum refert Xiphilinus, idem Poeta venerabilem molem appellat.

Hic vbi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Huius Caueæ forma non rotunda, sed oblonga: ratio quia Amphitheatrum iunctum & factum ex duobus theatris reiecta scena. Cassiodorus: *Qui speciem eius arena concludens, vt concurrentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent: dum quædam prolixa rotunditas vniuersa colligeret:* Hæc de Cauea. Area vero & pura & libera tota ad cursum ferarum, & ad pugnam: sub ipsa vero Area cloacæ ad educendum humorem illum stagna-

rum Neronis; siue etiam ad vsum aquarum quas in arenam occultè & subitò inducebant, atque educebant ad Naumachias; seu potius sub ipsa Area cameræ quædam & specus subterranei ad custodiam & receptum ferarum, è quibus portulæ & aditus plures pertinerent in arenam; vt etiam in Veronensi Amphitheatro apparent hodie sub ipso Podij muro: prædictæ portulæ angustæ erant, de quibus Varro de re Rustica: *Ostium habere debet humile & angustum, vt solet esse in Cauea, è qua tauri pugnare solent.* Atque ex his Caueis cum impetu emittebantur in arenam. Vopiscus in Probo: *Neque erat bestiarum impetus ille, qui esse Caueis egredientibus solet.* Iterumque etiam in eas immittebantur post pugnam. Senec. de Ira: *Curriculi, rotarumque versata facies Leonem redegit in Caueam.* Cum essent portulæ omnes ad hunc vsum accommodatæ. Vopiscus in Probo: *Immissi deinde per omnes aditus Struthiones mille, mille Cerui, mille Apri.* A

Arenæ faciem totam aliquando vertebant in syluam, vt viuam imaginem exhiberent veræ germanæque venationis: Vopiscus in Probo: *Venationem amplissimam dedit: genus autem spectaculi tale fuit; arbores validæ per milites radicitus vulsæ, connexis longe lateque trabibus adfixæ sunt: terra deinde superiecta: totusque circus ad syluæ confitus speciem, gratiam noui viroris obtulit.* Quod etiam factitasse Gordianum in Quæstura refert Capitolinus: *Feras Libycas vno die centum exhibuit, Vrsos vno die mille. Extat sylua eius memorabilis, quæ picta est in domo rostrata Cn. Pompeij, quæ ipsius & Patris eius & proaui fuit.* Sed & in Titi spectaculis hoc etiam indicat Martialis. B

Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse Theatro
Dicitur, exhibuit Cæsar arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaque sylua cucurrit
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.

Præterea in Caueis, antra quædam e terra emittebant subito feras, vt in Carini Venatione miratur Calphurnius.

Ah miseri, quoties nos discedentis arenæ
Vidimus in partes? ruptaque voragine terræ
Emersisse feras? & ijsdem sæpe latebris
Aurea cum croceo creuerunt arbuta libro. C

Intelligit enim arte quadam, & machinis, antra illa velut hiatu terræ, & aperta celeriter & operta: iterumque arbustis & virgultis tanquam crescentibus inducta. Illud etiam mirum nauem ædificasse grandem in ipsa Area, quæ solutilis esset, & subito laxata emitteret omne genus ferarum pro arbitrio magistri, vt Dio in Nerone scribit: *Nauim quampiam in Amphitheatro conspicientes ita factam, vt sponte solueretur, & belluis quibusdam emissis, rursus compingeretur, & rediret in priorem statum.* Et idem in Seuero: *Receptaculum omnium ferarum in Amphitheatro extructum erat instar nauis quæ capere simul & emittere posset ad feras quadringentas: ea autem desubito occultè soluta, exsiliebant vrsi, leæ, panthera, leones, struthiones, onagri, bisontes.* Sed quod magis mireris mare, seu aquas in Amphitheatris per occultos ductus & meatus, de quibus in Carini Principis ludis refert à se visum Calphurnius. D

Nec solum nobis syluestria cernere monstra
Contigit, Aequoreos ego cum certantibus vrsis
Spectaui Vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus.

Et ante illum Nero id vsurparat, Dio narrat: *Aliquãdo belluis interfectis, & Venatione exhibita, subito aquam in Amphitheatrum induxit, & nauale certamen ostendit; rursumq; ea educta, gladiatores in loco præbuit, denique inducta iterum magni sumptus publicum epulum.* Nec aliter de Domit. Suet. *Prælium equestre, ac pedestre commisit: & in Amphitheatro nauale quoque.*

Post

A Post arenam murus occurrit, qui Podium sustinet, quique claudit & ambit infimum solum: Podium non aliud est, quam muri pars proiectior, & prominentior ante imum spectaculorum gradum, cui columnæ impositæ ad ornatum siue ad innixum, vt describit Vitruuius magnitudine etiam expressa lib.5.cap.7. vbi de Theatris. Ac etiam Victoriolas reponi solere in istis Podijs: Spartianus in Seuero: *Victoria vento icta de Podio stans decidit.* Ad hoc Podium spectare soliti primi è senatu, & dignissimus habitus ille imus gradus, qui Podio proximus & arenæ, quippe ex quo facillima spectatio, Iuuenalis. *Podium.*

——— *Generosior & Marcellis*
Et Catulis, Paulique minoribus, & Fabijs, &
Omnibus ad Podium spectantibus.

Sueton. in Augusto cap.44. *Factum decretum patrum, vt quoties quid vspiam publicè spectandum proponeretur, primus subselliorum ordo senatoribus vacaret.* Primus siue imus. Sellis curulibus sedebant ibidem Consules, Prætores, alijque, quibus id ius ad Podium: ijdemque cum Lictoribus, Viatoribus, & Magistratus sui pompa. Tacitus 16. Annal. ait: *Liberto & accusatori præmium operæ, locus in Theatro inter viatores Tribunicios datur.* Quinimo & Principem ipsum ad hoc podium, cui tamen eminentior quidam suggestus velut sua domus extructus; & hoc primum à Iulio Cæsare inter alios receptos honores Suetonius refert: *Statuam inter Reges, suggestum in orchestra.* (quæ quamuis plurium graduum esset dignissimus tamen habitus, qui Podio proximus, vt dixi) quem locum etiam sequentes Principes tenuere ex eodem Sueton. in Nerua c.12. Cumque etiam ibidem altiori gradu præsidebant Vestales, Sueton. in Augusto; qui *Virginibus Vestalibus locum in Theatro separatim & contra Prætoris tribunal dedit.*

Infimo illo Podio tutamen erat à Feris, cum retia solerent prætendi benè nexa, bene firma, refert Plinius lib.37. *Tanta copia succini inuecta, vt retia arcendis feris podium protegentia succino nodarentur.* Ac etiam contra elephantes & immanes feras parata arma, vt etiam Clatræ ferreæ arenam totam circumdabant, vt etiam Euripis, nam id genus valde metuens est aquæ, Plin. lib.8. & Sueton. in Cæsar cap.39. *Tutamen à feris.*

Supra Podium erat Graduum distinctio in Amphitheatro, seu subsellia sic dicti, quia ad formam scalarum graduum alij alios consequantur: gradus autem isti è lapide; quamquam & sæpe è ligno: sero repertum vt puluilli insternerentur Senatui; idque primus instituit Caligula, Dio: *Puluilli tunc primum Senatoribus, ne nudis asseribus insiderent subiecti.* Postea id etiam equiti concessum: ex Iuuenali. *Gradus.*

——— *Exeat inquit*
Si pudor est, & de puluino surgat equestri.

Erant prædicti gradus in varias partes diuisi. De quibus Lipsius de Amphitheatro cap.13.

De ordine & locis in sedendo; quamuis diu confusio in Amphitheatrali spectaculo; indicat Plutarchus in Sulla: *Spectaculum quidem gladiatorum erat: locis autem ad spectandum nondum tunc discretis, sed mixtim sedentibus viris, fœminisque.* Mutatum vero id sub Principibus, & discrimina dignitatum facta: senatui in amphitheatro suam sedem fuisse, suam equiti, suam plebi: Illam senatui Orchestram dixere: alteram Equestria: tertiam Popularia. Sedes Orchestræ ait Vitruuius, *Inter gradus imos.* Is enim locus quia scenæ, & arenæ proximus, ideoque oculis auribusque expositus, optimus spectioni, siue auditioni, Horatius: *Vt propius spectes lacrymosa poemata puppi.* Vbi etiam Sacerdotibus & sociarum gentium Legatis sedes. Equestria recenset Seneca 7. de Benef. *Equestria omnium Equitum Romanorum sunt, in illis tamen locus meus sit proprius, quem occupaui.* Popularia sunt tertio loco, de *Ordo in sedendo.*

quibus

quibus in Claudio cap.25. *Germanorum Legatis in Orchestra sedere permisit, simplicitate & fiducia eorum motus, quod in popularia deducti, cum animaduertissent Parthos, & Armenos in Senatu sedentes, ad eadem loca sponte transierant.* A
Vnde etiam Pullati ad superos relegati, inquit Calphurnius.

O vtinam nobis non rustica vestis adesset?
Vidissem potius mea numina; sed mihi sordes
Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu
Obstiterant.

Confusa aliquando locorum series; eaque occupata. Spartianus in Iuliano: *Ad Circense spectaculum itum est: sed occupatis indifferenter omnium subsellijs, populus geminauit conuicia in Iulianum.* Et quamuis velit Sueton. in Caligula cap.26. gratuita loca, apparet nihilominus etiam pretio aliquo distributa, ex Plauti Prologo.

Serui ne obsideant, liberis vt sit locus,
Vel æs pro capite dent: si id facere non queunt;
Domum abeant. B

Odor. Tubi seu Fistulæ in imo & summo amphitheatro dispositæ erant ea arte & fine, vt odoratum quemdam odorem inspergerent in sedentes: is humor plerumque è croco. Senec.2. Quæst. natural. *Numquid dubitas, quin sparsio illa, quæ ex fundamentis mediæ arenæ crescens in summam altitudinem amphitheatri peruenit cum intensione aquæ fiat?* Et Martialis spargendi verbo in eo vsus.

Hoc rogo non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere & effuso permaduisse croco.

Apuleius lib.11. *Tunc de summo montis cacumine per quandam latentem fistulam in excelsum prorupit vino crocus diluta, sparsimque defluens.* Hinc patet mixtum tritumque florem fuisse cum vino, quod colorem deinde adsumeret, & odorem, vt aperit Plinius: *Crocum vino mire congruit præcipuè dulci, tritum ad theatra replenda.* Inde etiam fluxisse per gradus. Spartianus in Adriano: *In Honorem Traiani balsama, & crocum per gradus Theatri fluere iussit.* C
Vbi de Balsamo & si minùs id crebrum, de croco in omnibus spectaculis protritum.

Vela. Vela in amphitheatris superduci solita arcendo æstui & soli: de primo eorum Romæ inuentore Val. Max. *Religionem ludorum crescentibus opibus, mox secuta lautitia est: eius instinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primum spectantium consessum velorum vmbraculis texit.* Plinius lib.19. de Velis: *Postea in Theatris tantam vmbram fecere, quod primus omnium inuenit Q. Catulus cum Capitolium dedicaret.* Ac etiam refert Ammianus lib.14. eius ritus vestigia in ipsis amphitheatris vbi foramina in summis lapidibus ad funes Velorum illigandos, vt in illo Nemausensi & in nostro Romano, per quæ traijci, & in altum dirigi antennas solitas, velorum funes sustinentes: refert Sueton. in Caio: *Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole velis, emitti quēquam vetabat.* de quibus Proper. *Et modo tam pleno fluitantia vela theatro.* Colorata varie vela ista fuisse ad ornatum ostendit Lucretius. Carbasina illa vela nominat Plinius lib.19. Serica ea fuisse tradidit Dio l.43. D
Neue quis spectantium à sole infestaretur, vela super eos serica extendit. Purpurea etiam vela stellis interstincta suspendit Nero, refert Xiphilinus. *Vela etiam, quæ per aerem expansa ad arcendum solem, purpurea erant, inque ijs medijs Nero acu pictus currum agitans circum vero vndique aureæ stellæ.*

Spoliarium. Spoliarium etiam in amphitheatro, & probabiliter ad portam Libitinensem quoniam receptaculum erat illud mortuorum, aut grauiter in Arena læsorum & iuxta istam mortualem portam, quæ Lateranum respiciebat: etenim Gladiatores occisi turpiter vnco per arenam trahi in spoliarium solebant. Docent acclamationes illæ Senatus apud Lampridium in Commodo:

Gla-

A *Gladiatoris cadauer vnco trahatur: gladiatoris cadauer in spoliario ponatur.* Quod etiam in Domitiano Victor significauit: *At Senatus gladiatoris more funus ferri, radendumque nomen decreuit.*

Pegmatis erat vsus in Theatris, seu Arena: & hæc magnæ erant machinæ è ligno; quæ vox à Glosa *Confixum* interpretatur, hinc dixit Apuleius; *Confixiles machinæ sublicæ: turres tabularum nexibus, instar circumferaneæ domus, floridæ picturæ: decora futuræ venationis receptacula.* At nostrum istud non aliud quam grandis quædam, & ingeniosa contabulatio, quæ sponte & occulte statim cresceret, statim subsideret. Prudentius, *Pegmata.*

Tabulis superne strata texunt pulpita
Rimosa, rari Pegmatis compagibus.

Quæ ornatus causa tecta aliquando argento, vel auro refert Plinius de Caio: *In circum Pegma duxit, in quo fuere argenti pondo centum viginti quatuor.* Seneca hæc expressit epist. 91. *His licet annumeres machinatores, qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacitè in sublimè crescentia, & alias ex*
B *inopinato varietates: aut dehiscentibus quæ cohærebant, aut quæ distabant, sua sponte cohærentibus: aut iis, quæ eminebant, paulatim in se residentibus.* Tradunt Claudium Imp. obiecisse aliquando bestijs, qui pegmata in scenam parum feliciter produxissent. Sueton. in Claudio cap. 34. solebant interdum ita componere Pegma, vt ij, qui impositi præcipites ruerent in caueas ferarum, ibique discerperentur. Strabo de Siculo latrone: *Eum nos in foro, per ludos gladiatorios discerpi à feris vidimus. In sublimi enim tabulato tanquam in Aetna positus, eoque compagibus solutis subito concidente, ipse quoque cecidit in caueas ferarum, quæ facile exsoluerentur infra tabulatum de industria dispositas.* Sed & flammarum quidem lusus & imago in hoc Pegmate: & præter relata per Claudianum. Vopiscus in Carino: *Pegma præterea cuius flammis scena conflagrauit: quam Diocletianus postea magnificentiorem reddidit.*

A supplicijs ortæ sunt venationes amphitheatri, aut certè à funeribus, sicut & gladiatores. Hinc Tertull. lib. de spectacul. his verbis: Officium *De origine & causa venationum.*
C autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, postquam illud humaniore atrocitate temperarunt; nam olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captiuos, vel malo ingenio seruos mercati in exequijs immolabant; postea placuit impietatem voluptate adumbrare; itaque quos parauerant armis, quibus tunc, & qualiter poterant, eruditos tantum vt occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant; ita mortem homicidijs consolabantur. Datæ sunt quoque venationes, vt animos Ciuium ad cædem assuescerent, exemploque seruorum ad laudis, & victoriæ cupiditatem accenderent. Plinius in Panegyrico Traiani: *Visum est spectaculum inde non enerue, nec fluxum; cum in seruorum noxiorumque corporibus amor laudis, & cupido victoriæ cerneretur.* Idem penè de Gladiatoribus Cicero 2. Tuscul. *Cum vero fontes ferro depugnabant, auribus fortasse multa, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem & mortem disciplina.* Inde autem factum est, vt refert Capitolinus in Maximo & Balbino: *Vt proficiscentes ad bellum Imperatores munus gladiato-*
D *rium & venatus darent.* Fuit etiam harum venationum causa Imperatorum voluptas aut populi; cum ij, qui Romæ onere militiæ exempti essent spectacula magis ad voluptatem quam ad animos audacia roborandos, exhibebantur. Lamprid. in Heliogabalo: *Strauit sibi triclinium in summo lusorio, & dum pranderet naxios & venationes ibi exhibuit.* Et de populi voluptatibus Capitolinus in M. Antonino Philosopho ait: *Absens populi Romani voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos editores.* Symmachus lib. 10. epist. 19. *Curules ac scenicas voluptates Circo, ac Pompeiana caueæ superatis.*

Cum Venatio omnis Dianæ sacra esse dicitur, sanguine enim humano placari solitam ex Aricini nemoris religionibus discas, quibus Regnum Aricinum *Quibus Dijs sacra?*

num non nisi duello & cæde dabatur. Sueton. in Caligula cap. 25. inquit: A
Nemorensi Regi, quod multos iam annos potiretur, validiorem aduersarium subordinauit. Sed de Diana Amphitheatri præside, quod ad eius aram in Scythia Græci immolarentur; Cassiod. lib 5. cap. 42. *Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honorem Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat.* Et de Venatione Circi Dianæ sacra Martial. epigr. 12. lib. 1.

Inter Cæsareæ discrimina sæua Dianæ.

Claudian. Panegyr. Mallij.

Amphitheatrali faueat Latonia pompæ.

Quamquam Tertull. lib. de Spectac. Martem, & Dianam vtriusque ludi (gladiatorij & Venatorij) præsides nouimus.

Christianos abhorruisse ab hoc spectaculo.

Christianos, & humaniores homines ab huius spectaculi sæuitia abhorruerunt, ex Athenagora in Apolog. pro Christianis his verbis: *Quos enim sciunt ne spectaculum quidem ferre posse hominis, qui merito, ac iure capite plectatur: quis eos aut homicidas, aut carnis humanæ voratores accusare possit? sed nos existimantes cernere eadem affine esse homicidio, prohibemus gladiatoria munera, & venationes, & huiusmodi spectacula.* Tertullian. exaggerat sæuitiam spectantium lib. de Spectacul. cap. 10. *In Amphitheatro deroſa, & in suo sanguine squallentia corpora patientissimis oculis desuper incumbere.* Lactant lib. 6. cap. 20. inquit: Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus sanguis effunditur: an possint pij & iusti homines esse, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana suffragia, nec vulneribus satiati, nec cruore contenti? quin etiam percussos, iacentesque repeti iubent, & cadauera ictibus dissipari? Indignabatur enim populus, iniuriamque puabat, si ferrum, aut feram arenarij refugerent; ictus repeti, flagella admoueri iubebat. Hinc conqueritur Seneca lib. de Ira ibi: *Vt iniuriam putet Populus, quod non libenter pereunt: & contemni se iudicat, & vultu, gestu, ardore de spectatore in aduersarium vertitur.* Ambrosius ministerium crudelitatis vocat in psalm. 118. serm. 8. ibi: *Inutiles venatores, qui capiant bestias, quæ in pompam spectacula populari præbeant ministerium crudelitatis.* Grauius enim morte putabant expleri ferarum aluos humanis carnibus, Salu. ian. lib. 6. *In spectaculis summum deliciarum genus est mori homines, aut quod morte grauius acerbiusque lacerari, expleri ferarum aluos humanis carnibus, comedi homines cum circumstantium lætitia, hoc est non minus pene hominum aspectibus, quam bestiarum dentibus deuorari.* Cassiodor. lib. 5. ep. 42. vocat hunc ludum crudelem, sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam feritatem. Cicero ep. 1. lib. 18. fam. *Quæ potest esse homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus à valentissima bestia laniatur.* Christiani Imperatores cruenta spectacula sustulerant lib. 11. Cod. tit. 43. *Cruenta spectacula in otio ciuili, & domestica quiete non placent, quapropter gladiatores esse omnino prohibemus.* Ait Constantinus Magnus à quo Venationes vetitæ sunt, non tamen sublatæ: nam & Constantius filius eius ludicris cruentis delectabatur, vt Ammian. Marcell. lib. 14. D

Martyres desiderio.

Quantum abhorruerint Christiani, & humaniores homines à gladiatoribus, & venationibus in amphitheatro, vbi noxiorum etiam sanguis effundebatur; vt iam vidimus: eo magis S. Martyres efferuebant desiderio, vt ebrũdem corpora innoxia in summi Dei holocaustum apud eadem amphitheatra à bestijs dilaniarẽtur. Siquidem vt innumeros alios sanctos Martyres omittam: Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ Præsul commonente persecutionem Traiano Imp. damnatus ille ad bestias: Romam vinctus mittitur. Cumque nauigans Smyrnam venisset, in spiritu futura præuidens, ad Romanos inter cætera sic scribit: *Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ; quas & oro mihi*

veloces

A *veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me; ne sicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint; ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit ego scio.* Et infra. *Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantum Christo fruar.* Cumq; iam damnatus ille esset ad bestias, & rugientes audiret leones, ardore patiendi ait: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Et passus est in nostro Vespasiani amphitheatro vndecimo Traiani anno. Hæc namque nos erudiunt, vt passiones & tormenta nos quoque non abhorreamus; vt Christo dignum etiam in his sacrificium, in desiderio saltem offeramus.

De sumptu venationum.

Magnos sumptus ludis omnibus fuisse. Plinius lib. 36. cap. 15. de Scauri, & Curionis ludis: Maximi vero sumptus ludicra venatione edenda fuere, non modo quod feræ; ex vltimo orbe conquirendæ, alendæ essent verum etiam confectores pretio alliciendi, qui sanguinem & vitam non temere nisi
B summo pretio addicebant. Quare editores sæpe à principibus adiuti, sæpè modus editioni definitus. Feras ex vltimo orbe conquisitas indicat Plinius lib. 8. quod vrsi ex Caledonia, & Pannonia; leones & Tigres ex Aphrica; Crocotæ, & Rhinocerotes ex India; Crocodili ex Aegypto aduehebantur. Vnde ex lib. 2. Cod. tit. 45. *Ab Imperatore cautum legimus, ne bestiæ, quæ ad comitatum ab omnibus limitum ducibus transmittuntur, plusquam septem dies intra singulas ciuitates retinerentur.* Sed ea coemptio non nisi venia ab Imperatore impetrata fieri potuit, Symmach. lib. 7. epist. 121. inquit: *Adde si placet, quod à me postulatum tenes, vt aliarum Libycarum mihi emptio sacra auctoritate præstetur; quo impetrato omnium perceptionum donum putabo.* In ea coemptione sæpe adiutos ab Imp. editores. Symmach. lib. 2. epist. 46. *Velimque, si ita facile factu est, hanc munificentiam Principis Libycarum largitione mutari.* Cyprianus lib. 1. cap. 1. *Feris obijciunt se, quos nemo damnauit ad bestias, ætate integra, honesta satis forma, veste preciosa viuentes in vltroneum*
C *funus adornantur. Pugnant ad bestias non crimine, sed furore. Spectant filios suos patres, frater in cauea & soror præsto est.* Et Venatoribus enim alij emptitij, alij gratuiti, sicut & è gladiatoribus, Liuius lib. 28.

De aduectione ferarum.

Feræ cum captæ, caueisque clausæ essent, aut ratibus Romam aduehebantur, aut plaustris, Claudian. lib. 3. Stilicon.

——— Ratibus pars ibat onustis,
Per freta, vel fluuios exanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat nauita mercem.
Per terram pars ducta rota, longoque morantur
Ordine plaustra vias, montanis plena triumphis,
Et fera sollicitis vehitur captiua iuuencis.

Quæ feræ edi venerint.

Senatores nullum portorium pro aduectione ferarum pendebant: ab alijs vectigal quadragesimæ, Symmachus lib. 5. epist. 630. inquit: *Quadragesimæ portorium siue vectigal non recte poscitur à Senatoribus.* Et infra: *Quæso igitur vt humanitatem nostri ordinis editoribus dignanter impertias, & vrsorum transuectionem nostri ordinis editoribus subtrahas.* Et idem Symmach. lib. 4. epist. 56.
D docet è Dalmatia vrsos vehiculo deuehi solitos. In accersendis feris, & venationibus exhibendis magnos sumptus editores sustinebant: contra quos inuehitur D. Basilius in psalm. 61. ibi: *Iste opes suas in bestiarios, & carnifices dilapidans, & inani populi plausu, ac voce exultans, intumescit laudibus, & magnifice de se sentit, gloriam ex suo dedecore captans, qui tabulis pictum peccatum suum in oculatissimis Vrbis locis exponit.*

In Circum & Amphitheatrum omne ferarũ genus induci, moris erat, alias spectandi causa, vt Phœnices, & Crocodilos; alias pugnæ vt leones, tigres; alias voluptatis, vt lepores, ac damas, &c. Vt indicat Claud. l. 3. Stilicon.

A ——— *Sed luxuriantis arenæ*
Delicias, pompam nemorum, quodcunque tremendum
Dentibus, aut infigue iubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum ſetis capitur; decus omne timorque
Syluarum, non cautè latent, non mole reſiſtunt.

M. Piſone, & M. Meſſala Coſſ. ad 14. Kal. Oct. Domitium Aenobarbum Aedilem curulem vrſos Numidicos centum, & totidem Venatores Aethiopas in Circo dediſſe, refert Plinius lib. 8. cap. 36. ex eodem Plinio l. 8. c. 17. Fuit vetus S.C. ne liceret Africanas in Italiam aduehere. Primus Scaurus Aedilitate ſua varias 150. vniuerſas miſit, deinde Pompeius Magnus 410. Diuus Auguſtus 420. Sueton in Caligul. cap. 18. leonum ſimul plurium pugnam Romæ princeps dedit Q. Scæuola P. filius in curuli ædilitate. Centum autem iubatorum primus omnium Sylla, qui poſt Dictator fuit, in Prætura. Poſt eum Pompeius Magnus 600. ac iubatorum 315. Cæſar Dictator 400. refert Plinius lib. 8. cap. 16. Fuerunt ſub Gordiano Romæ Elephanti 20. Alces 10. B Tigres 10. Leones manſueti 60. Leopardi manſueti 30. Hyenæ 10. Gladiatorum fiſcaliũ paria mille, Hippopotamus, & Rhinoceros vnus, Archileontes 10. Camelopardi 10. Onagri 20. Equi feri 40. quæ omnia Philippus ludis ſæcularibus, vel dedit, vel occidit. Capitolin. in Gord. Aegypto in prouinciæ formam redacta Cleopatræ morte, Auguſtus Cæſar ludos edidit multis diebus, & Equus fluuiatilis, & Rhinoceros tunc primum inducti in Theatrum. Rhinoceros Elephanti aliqua ex parte ſimilis eſt, cornu eminens habet in nare. Dio lib. 51. Hæ omnes feræ & aliæ plures ex Aegypto, Africa, Gallia, Alpibus, Dalmatia, Pindo, Germania, Apennino, Gargano, Hiſpania, item è Sicilia, Cyrno, & montibus Pyrenæis. Claudian. lib. 3. Stilconis laſe. Saluian. lib. 6. *Adeuntur enim loca abdita, luſtrantur inuĩ ſaltus, peragrantur ſylua inexplicabiles, conſcenduntur nubiferæ Alpes, penetrantur niuiferæ valles, & vt deuorari poſſint à feris viſcera hominum, non licet naturam rerum aliquid habere ſecretum.* Struthiones in Circo exhibiti ſunt. Herodianus de Commodo: *Commodus acceptis iaculis, quorum cuſpides erant lunatæ,* C *Struthiones Mauros confixit celerrimè currentes velocitate pedum, & alis ſinuatis, quibus cum capita deciſa eſſent, nihilominus impetu iaculi currere perſeuerabant, quaſi nihil paſſi eſſent.* Contra huiuſmodi ferarum immanitates in ſpectaculis Saluianus lib. 6. inquit: *In ſpectaculis primum deliciarum genus eſt mori homines, impleri ferarum aluos humanis carnibus cum circumſtantium voluptate: atque vt hoc fiat orbis impendium eſt.*

De feris irritandis. Irritabantur Feræ ad ſpectacula. Cyprian. de Spectac. *Eruditur artifex bellua, quæ clementior fortaſſe fuiſſet, ſi non illam magiſter erudiens ſæuire docuiſſet.* Et hoc ſtrepitu flagelli, aut ignibus, aut ſtimulis admotis. Sozom. lib. 7. cap. 27. inquit: *Aerem verberare flagello ſonanti, quali feras magiſtri ad iram prouocare ſolent.* De ignibus Martial. lib. 1. epigr. 19.

Qui modo per totam flammis ſtimulatus arenam
Suſtulerat raptas Taurus in aſtra pilas.

Et idem lib. 1. epigr. 22.

Sollicitant pauidi dum Rhinocerota Magiſtri. D

Interdum inurebantur ferro candenti, vt ad doloris ſenſum earum impetus excitaretur. Euſeb. lib. 8. Hiſtor. Eccleſiaſt. inquit: *Ferro & igne inuſta ſunt feræ agreſtes, vt ferocius in Chriſtianos ſæuirent.* Hoc idem voluit Cyprian. epiſt. 103. de Spectaculis: *Ad pœnam hominis fera rabida nutritur in delicijs, vt ſub ſpectantium oculis crudelius inſaniat.* Vſque adeo, vt ne vino & thuri parcerent, quo Elephanti ebrij, & æſtuantes miſeros protererent, vt lib. 2. Machab. Aelianus lib. 13. *Elephanti pugnaturo vinum propinatur, non è vitibus, ſed ex oryza & calamo.* Leones quidem & vrſi mappa irritabantur. Senec lib. 3. de Ira cap. 30 *Albus color apros incendebat.* Plinius lib. 7. cap. 63.

Candi-

A *Candida veste indutum sues lacerant, &c.* Aper dentes ad saxum acuit, Aelianus lib.6. de Natur. anim. cap.1. inquit: *Aper ad pugnam exiturus, dentes ad saxa exacuit. Elephantes autem proboscide se feriunt, vt ad pugnam incitentur.* Ad excitandum furorem obijci solitæ pilæ stramentariæ, in quas furorem euomerent, Martial. lib.1.epigr.29.

Sustulerat raptas Taurus in astra pilas.

Aelian.l.16.c.15. inquit: *Persæ equis mortuorum effigies stramentitias obijciunt, vt discant mortuos in bello calcare.* Interdum igni, & facibus incitabātur feræ, D. Chrysost. homil.21. ad Roman. inquit: *Non vides Tauros, qui flammas dorso ferunt, quam sint omnibus intolerabiles.* Porci vox terret Elephantes, tedæ Leonem terrent. Senec. lib.2. de Ira. Item Aelianus lib.1. de Natur. anim.cap.38. inquit: *Elephas arietem cornigerum timet, & porci grunnitum: hoc artificio Romani Elephantas Pyrrhi in fugam verterunt.* Et idem infra: *Teda è rogo hominis silentio canes ferocissimos damnat.*

De venatione directionis.

Venatio fuit Direptionis cum in arena subito syluæ nascerentur arboribus
B tumultuario opere consitis, feræque diripiendæ caueis apertis discurrerent in subitaria sylua; & in his datas in prædam populo feras commemorat Martial. epigr. 21. lib.1.

Repserunt scopuli, mirandaque sylua cucurrit,
Et supra vatem multa pependit auis.
Quicquid in Orpheo Rhodope spectasse Theatro
Dicitur, exhibuit Cæsar arena tibi.
Ipse sed ingrato iacuit laceratus ab vrso.

Sed & Apuleius lib.10. meminit illius syluæ arenariæ his verbis: Erat mons ligneus adinstar inclyti montis illius, quem Vates Homerus Idæum cecinit, sublimi instructus fabrica, consitus viretis, & viuis arboribus à summo cacumine, de manibus fabri fonte manante fluuiales aquas eliquans. Pro feris autem, quæ diriperentur; moris fuisse per initia comperio, vt tesseræ ligneæ, rotundæque ex edito loco dejicerentur, quibus signa quædam impressa es-
C sent ad aues, feras, triticum, &c. Martial. lib.8.

Omnis habet sua dona dies, nec linea diues
Cessat, & in populum multa rapina cadit.
Nunc implere sinus securos gaudet, & absens
Sortitur dominos nec laceratur auis.

Aues interdum effusæ in populum è superiori loco. Statius lib.1.

Inter quæ subito cadunt volatu
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas vdo Numidæ legunt sub austro.

Feras diripiendas à Populo etiam sine tesserarum vsu concessit Probus apud Vopiscum his verbis: Venationem in Circo amplissimam dedit; ita vt Populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus auulsæ, connexis longè lateque trabibus affixæ sunt, terra deinde superiecta, totusque Circus ad syluæ consitus speciem, gratia
D noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus Struthiones mille, mille Cerui, mille Apri, mille Damæ, oues, feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inueniri. Immissi deinde populares. Rapuit quisque quod voluit. Edidit alia die in amphitheatro vna missione centum iubatos leones: occisi sunt multi, qui diripere volebant sagittis. Inter missilia tesseras fuisse diximus, ideſt taleolas ligneas, aut rotundas, quibus inscriptum esset quicquid quisque acciperet, vt apud Sueton. in Caligula capit.26. his verbis: *Scenicis ludis inter plebem, & equitem causas discordiarum serens, tesseras maturius dabat; vt equestria ab infimo quoque occuparentur.*

De ludicris incruentis. Ludicrum quoque fuit incruentum ferarum. Ouid. lib. 5. fast. A

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete Leanis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus?

Plinius lib. 10. Grues manſuefactæ laſciuiunt, gyroſque quoſdam indecoro curſu, vel ſingulæ peragunt. Fuit etiam ludicrum incruentum leonum cum lepuſculis colludentium. Martial. lib. 1. epigr. 7.

Nunc ſua Cæſareos exorat præda Leones,
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.

Epigr. 15.

Cum prenſus blando toties à dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.

Epigr. 19.

Quid fugis hos dentes ambitioſe lepus?

Vide Leporem cum Cane colludentem, D. Ambroſ. ep. 38. *Videmus innoxio Canum dente lepores ſine vulnere capi.* Vrſos & Leones viſco ſicut aues implicitos. Martial. lib. 1. epigr. 11. B

Præceps ſanguinea dum ſe rotat Vrſus arena,
Implicitam viſco perdidit ille fugam.

De Gallis gallinaceis Aelianus lib. 2. cap. 2. Var. hiſtor. item Plinius lib. 10. Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publicè editur, ſeu gladiatorum. Herodianus in Seuero: Geta & Caracallus puerili contentione edendis coturnicum, & gallinaceorum pugnis, & puerorum colluctationibus inter ſe diſſidentes. De Simia Martial. lib. 4 epigr. 201.

Callidus emiſſas eludere Simius haſtas.

Feræ item docebantur in aqua natantes ludere & pugnare. Calphurnius Eclog. 7.

Nec nobis tantum ſylueſtria cernere monſtra
Contigit, æquoreos ego cum certantibus vrſis
Spectaui vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo naſcitur amni,
Qui ſata riparum venientibus irrigat vndis. C

Dio in Tito: *Et Theatrum Titus repentè aqua replens, induxit equos, & tauros, & alia quædam manſueta animalia, quæ docta erant omnia in aqua facere, quæ in terra facere didicerant.* Erant qui columbam emiſſam ad ſe redire docerent, Manilius lib. 5.

Aut certis reuocare notis, totamque per vrbem
Qui geſtant caueis volucres ad iuſſa paratas.

Cruenta Ferarum inter ſe congreſſio. Cruenta ferarum inter ſe fuit congreſſio; vtpote de Tigride & Leone. Martial. lib. 1. epigr. 18.

Lambere ſecuri dextram conſueta Magiſtri
Tigris ab hircano gloria rara iugo,
Sæua ferum rabido laceraui dente Leonem

Videas Ceruum effugia quærentem lacerari: Ouid. lib. 11. Metamorph.

——— *Structoque vtrinque theatro*
Vt matutina Ceruus periturus arena D
Præda Canum.

Taurus cum Leone componitur. Aelian. lib. 12. *Vitulus bene curatus comparatur cum Leone, vt vnguibus fera laceretur.* Item cum elephante. Martial. lib. 1. Eipgr. 19.

Qui modo per totam flammis ſtimulatus arenam
Sustulerat raptas Taurus in aſtra pilas,
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli ſic elephanta putat.

Aquila cum Tauro victrix, apud Aelian. lib 2. cap. 39. *Taurus capite demiſſo paſci-*

A *pascitur. Aquila autem in collo eius se ipsam collocans, ferit ore, ictibus continuis & violentis.* De Canibus Damas insequentibus Martialis.

Concita veloces fugeret cum Dama molossos,
Et varias Lyncas necteret ante moras.
Cæsaris ante pedes supplex, similisque precanti
Constitit, & prædam non tetigere Canes.

Leonis ingenium in conflictu enarrat Eustrat. ait: *Leo inuolans in animantia cornibus armata, primum omnium ceruices erumpit.* Rhinoceros commissus cum Vrso. Martial. lib. 1. epigr. 22.

Namque grauem gemino cornu sic extulit Vrsum,
Iactat vt impositas Taurus in astra pilas.

Item cum elephante: Aelian. lib. 17. cap. 44. *Rhinoceros subit elephantis crura, & ventrem secat subtus, ac scindit. Ille paulo post fluxu sanguinis collabitur.* Addam prædictis Feras interdum terrestres cum æquoreis in Theatrum repetinis aquarum emissarijs inductas esse, Xiphilin. in Nerone inquit:
B *In quodam Theatro ludos edens, repleuit subito theatrum aqua maris, ita vt & pisces & armenta simul natarent.* Forte vt feras diluuio inoluerent. Xiphil. ibidem, & Calphurnius eclog. 7.

Nec nobis tantum syluestria cernere monstra
Contigit, æquoreos ego cum certantibus Vrsis
Spectaui vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus.

Dio in Augusto ait cum aquas in Circum Flaminium emisisse, vbi 36. Crocodili confecti. Postremum ex Aeliano lib. 12. *Sagaræi quotannis Minervæ Camelorum certamen edunt, Deam reuerentes.* Et idem lib. 17. *Rhinoceros cornu acuit ad saxa, deinde adoritur elephantem.*

Ex his, qui feras conficerent, alij e superiori loco lancea, hasta, telo, sagitta conficiebant. Dio: *Tiridates de superiori loco, in quo sedebat, belluas sagitta iaculatus est, duosque Tauros vno ictu vulnerauit ac confecit.* He-
C rodianus in Commodo. *Ceruos, & Hinnulos, cæteraque armata cornibus, Tauris exceptis, concurrens, & insequens feriebat; leones è loco superiori.* Dio scribit Adrianum sæpè centum leones & totidem Leænas confeciisse. Qui à feris lacerati essent, ab ijsdem vt plurimum vorabantur. Saluianus lib. 6. Miserum est humanis carnibus aluos ferarum expleri, & cum circumstantium lætitia comedi homines. Cyrillus Catech. 1. *Neque eos, qui in venationibus Circi se ipsos feris tradunt, vt misero adulentur ventri, & dum abdomini alimentum administrant, ipsi sunt ventri ferarum immanium cibus.* Quibus armis in hisce venationibus vsus? Pollux lib. 5. capit. 3. Instrumenta ad venationes, enses, falces, iacula, arcus, sagittæ, venabula: enses, vt pugnet & defendat se si concurrerit cum fera: iaculis, & sagittis vtuntur in ceruos, damas, hinnulos, quæ à longe feriuntur: venabulis in apros, & alias feras, quæ cominus pugnant. Non modo viri tenues, qui ventri seruirent, verum & viri nobiles & senatores in arena fœdati sunt, Sueton. in Nerone capit. 12. Exhibuit ad ferrum quadringentos senatores, sexcētos equites Romanos cō-
D fectoresque ferarum & varia arenæ ministeria. Qui cominus pugnarent, excipere Apros, contra Leonem stare dicūtur à Spartiano in Caracallo. Herodian. in Commodo: *Discebat Commodus in loco plano contra Leonem stare: ei ambitus in orbem extructus erat, ne cominus cum bestijs pugnans periclitaretur: è superiore autem loco iaculabatur in tuto.* Vtrumque pugnæ genus attigit Xiphilin. in Commodo. Alijs autem diebus, nunc quidem herbatica animalia descendens in circuli planum conficiebat: nunc è loco superiori quæcunq; propius accessissent, iaculo conficiebat: quæ vero adducta & allata esset retibus inclusa, concidebat; adeo vt Tigrim aliquando, & equum fluuiatilem, & elephantem occiderit. Vrsi sæpè colapho in arena exanimabantur, Plin. lib. 8.

De cruenta hominum cum feris pugna.

lib.8. *Inualidissimum vrso caput, quod leoni fortissimum, ac sæpe in arena colaphis infictis exanimatur.* Animalia generosiora dente, vel vngue metuenda vocat Pollux lib.5.cap.3. sed & sagittis eminus, vel hastis leones, ac feræ generiosiores interemptæ, Martial.lib.1.epigr.12. A

Fixisset grauidam cum leuis hasta suem.


Et idem lib.5.

Quot tua menalias collocat hasta sues.

Feræ quæ cominus figuntur, ruere in ferrum dicuntur, Ouid.

Ortus aper setis iram denuntiat hirtis,
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri.

Nonius Venabulum ferrum latissimum à cæteris aciei longissimæ, cuius instrumenti ferrum antiquissimum ego in meo Musæo seruo.



B

Conti hastæ longiores, & robustæ. Virgil. Aeneid. 9.

Longis detrudere contis.

Varro. Sues syluaticas in montibus sectaris venabulo, Martialis libr. 14. Epigr. 41.

Si directa geres longo venabula rostro,
Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.

Apuleius lib. 11. Hic incinctus baltheo militem gerebat illum succinctum chlamide copides, & venabula venatorem fecerant. Cicero lib.7. ad Familiar. epist. 1. ait: *Sed quæ potest esse homini delectatio, cum aut homo imbecillus à valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transuerberatur.* Ad leones & elephantos vsi sunt latioribus & grandioribus venabulis. Martial. lib.8. epigr.54.

Grandia quam decuit latum venabula pectus. C

In ludo autem Populus moram non ferebat, sed aut statim feram figi, aut dentibus bestiarium lacerari volebat. Vnde Martial. lib.1. epigr.23.

I nunc, & lentas corripe turba moras

Si res longius differretur, exclamabat indignabunda plebs. D. Hieron. in Catalogo. Cum feræ parcerent Polycarpo, vniuerso populo aduersus eum personante igni traditus. Aliud genus pugnæ in arena fuit, vbi elephantes cum equitibus, & peditibus inter se committerentur, Suet. in Iulio cap.39. Venationes edidit per dies quinque, ac nouissimè pugna diuisa in duas acies, quingenis peditibus, & elephantis vicenis, tricenis equitibus hinc inde commissis. Cum feris pugnabant, aut cominus, aut eminus, vt scribit Cassiodor. lib.5. cap.42. Herodian. de Caracallo inquit. Faciens exercitationes corporis, aurigationes, & cum feris omne genus cominus pugnans, & contra eas se sistens.

Venatio inermis.

Fuit quoque pugna Venatorum inermis; vtpotè si quis non Contis, venabulis & cultris cum bestijs depugnarunt; verum & sine ferro intentantes ignem, Opp. lib.4. de Venat. D

Constiterint alij, velut aspera bella gerentes,
Cum facibus siccos latè iactantibus ignes.
Dextera flammiferas quatiat violenta fauillas,
Quippe Leo timet ignitæ lucentia tedæ
Spicula, nec contra vultus attollere tentat.

Alij pallio caput Leonis obnubentes, de quibus Plinius lib.8. capit. 16. Lucanus.

Vestibus iratos laxis operire Leones.

Lysi-

A Lysimachus manu apertum Leonis occlusit os, linguamque intercepit, quod miraculi loco fuit, ait Plutarch. in Alexand. Alius arte pugnat, & feram eludere modica corporis declinatione audet. Certamen infelix cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat inuenire; sola est ergo in fallendo præsumptio, vnicum in deceptione solatium, qui si feram non meretur effugere, interdum nec sepulturam poterit inuenire, ait Cassiod. l. 5. ep. 42. Illi quidem frustrari bestias dicebantur, vt loquitur Tertull. in Apolog. Alij feras ipsas corporis agilitate transiliunt, vt cruentis faucibus se eximant. Prudentius in Amartigenia.

Inde feras volucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortisque inter discrimina ludunt.

Alius apprehensus vngue, aut dente, vestem exuit, in quam fera sæuiat. Chrysost. de Tentatione. Hactenus de ijs, qui operas gratuitas darent, aut mercede locarēt ad cultrum; iam de Bestiarijs, qui serui pœnæ feris obiecti sunt.

De bestiarijs.

B Bestiarij, seu paraboli: nempè infimæ conditionis & proiectæ audaciæ sunt, qui ad bestias damnati, siue soluti, siue ligati, & surrecti bestijs obijcerētur, siue inermes, siue armati. Artemidor. l. 1. c. 19. *Qui cum feris pugnat, propriis carnibus feras alit.* D. Ignatius ep. 2. *Cuius causa ego vinctus sum, & cupio cum feris pugnare.* Apuleius lib. 10. *Mulierem bestijs damnatam.* Socrates l. 7. cap. 22. Populus clamore deposcebat, vt vnus è parabolis valentioribus cum fera immani depugnaret. Aduerte tamen bestiarios, vt plurimum de seruis pœnæ, cæteros de ijs etiam qui mercede operas locent, dici. Inuitabantur enim si qui locare operas suas vellent, vt ex l. 1. D. ad SC. Tertullianum. *Qui operas suas, vt cum bestijs pugnaret, locauit.* Apud Dionem lib. 43. 53. & 54. Reperti sunt viri & fœminæ, quæ sponte cum bestijs pugnarent. Sueton. in Claudio cap. 34. Bestiarijs, meridianisque adeo delectabatur, vt à prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie dimisso ad prandium populo persederet, præterque destinatos etiam leui subitaque de causa quosdam cōmitteret. Obiecti sunt feris propriè noxij, & captiui. Tertull. lib. de Spe-

C ctac. cap. 12. *Captiuos, vel malo ingenio seruos mercati in exequijs immolabant.* Et infra: *Nisi & à feris humana corpora dissiparentur.* Quo in numero habiti Christiani sub Imperatoribus. Ignatius apud Hieron. in Catalogo: *Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quod si venire noluerint, ego vim faciam vt deuorer.* Quia feræ à Christianis sæpe abstinebant, Vim facere non poterat vinctus: vnde apparet non omnes ad stipitem appositos, sed vt refert Euseb. l. 3. Eccl. hist. *In canistellum iniecta tauro obiecta est.* Tertull. de Resurrect. *Popularium cœtu clamante Christianos ad Leonem.* Socrates in Eccles. histor. inquit: *Cum is venationem in Circo Constantinopoli daret, populus clamare cœpit, crudeli feræ vnus ex parabolis maxime habilis, & peritus pugnet.* Vnde & parabolani dicti, qui vitam suam ad omnia pericula proijcerent. l. parabolanos C. de Episc. & Cleric. Scholæ fuere bestiariorum, vbi ij alerentur etiam ad pœnam, vbi cum bestijs depugnare docerentur, ex Tertull. in Apolog. c. 35. *Scholam bestiarum* vocans. Serui statim quod in ludum venatorium damnati fuerunt, serui pœnæ efficiebantur. Vulpianus l. aut datum,

D §. quicunque D. de postul. quod si damnati non fuerint, sed arenarij modo serui sint, ad eas operas cogi non possunt, quas volenti præstiterunt l. hæ demum D. de Operis libert. Post legem Petroniam Dominis & Patronis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio seruos tradere; obstato tamen Iudici seruo, si iusta sit Domini querela, sic pœnæ traditur l. circumcidere §. 1. D. ad l. Cornel. de Sicarijs: & ex Spartiano vetuit Imp. Adrianus hoc ipsum vt dixi.

Non leue fuit supplicium ad bestias dari. Claudius etenim Imp. in maiori fraude conuictos ad bestias condemnauit. Suet. cap. 14. Et Christianis quibus grauissima pœna irrogabatur, non alia frequentior. Tertull. in Apolog.

cap. 35.

cap.35. *Nec vlli magis depoſtulatores Chriſtianorum quam vulgus: clamare enim ſolebat Populus, Chriſtiani ad leones.* Euſeb. lib.14. cap.15. Immo & parricidis ea pœna irrogata eſt ab Adriano Imp. l.9.D. ad legem Pompeiam de Adulter. ſine miſſione ad beſtias non dabantur, niſi Principis auctoritas accederet. vt ex Modeſtino in l. ad beſtias D. de Pœnis. Nec obijci poterat beſtijs à Præſide niſi ludis & muneribus, quorum dies ſi exijſſet, alia pœna irrogabatur, Euſeb. lib.4. cap.15. inquit: *Cum depoſceretur Polycarpus ad Leonem, reſpondit Præſes, Venationem impletam eſſe.* Aliud eſt ad beſtias dari, aliud beſtijs obijci: qui enim ad beſtias datus eſſet, ſi feram confeciſſet, & certamine pœnam luiſſet, crimine ſolutus erat; at ei qui feris obijciebatur, nulla erat miſſio, l. 38. D. de Pœnis. A

Malefici & Captiui adeo exhorruerunt id genus ſupplicij, vt multi ſibi necem conſciuerint, ne beſtijs obijcerentur, Senec. ep. 70. ait: Nuper in ludo beſtiariorum vnus è Germanis, cum ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum corpus: nullum aliud ibi dabatur ſine cuſtode ſecretum: ibi lignum id quod ad emundanda obſcœna adhærente ſpongia poſitum eſt, totum in iugulum farſit, & vi præcluſis faucibus ſpiritum eliſit. Tacitus l. 15. Epicharis vinculo faſciæ ceruicem ſibi rupit. Symmachus lib.2.cap.46. Viginti & nouem Saxonum fractas ſibi laqueo fauces primus ludi gladiatorij dies vidit, ne exponerentur ludibrio populi. B

Nobiles etiam aliquando deputati ad ludum: ſiquidem Iulius Cæſar in funere filiæ venationem dedit, qua non captiui modo & noxij, ſed etiam equites, & Prætoris filius pugnarunt, Dio lib.43. Auguſtus vero in Circo aurigas, curſoreſq; & confectores ferarum nonnumquam ex nobiliſſima familia produxit. Sueton. in Auguſt. cap.43. Dio lib.48. Caligula qua fuit crudelitate, cum deeſſent aliquando noxij, qui feris obijcerentur, iuſſit è turba, quæ in tabulatis graduum & cuneorum aſtabat, nonnullos abripi & feris obijci Dio lib.58. Idem Caligula equitem Romanum obiectum feris, cum ſe innocentem proclamaſſet, eduxit, abſciſſaque lingua iterum induxit. Suet. capit.27. Tacitus lib.15. Fœminarum, Senatorumque Illuſtrium plures per arenam fœdati ſunt. Cyprianus epiſt.2. Quid iſtud oro, quale eſt, vbi ſe feris obijciunt, quos nemo damnauit? ætate integra, honeſta ſatis forma, veſte pretioſa viuentes iuuenes in vltroneum funus ornantur, malis ſuis miſeri gloriantur. Pugnant ad beſtias non crimine, ſed furore, ſpectant filios ſuos Patres; frater in cauea eſt, & ſoror præſto eſt. Hoc ipſum conqueritur Seneca epiſt.100. Aſpice illos iuuenes, quos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria coniecit? C

Infames quales?

Infames fuiſſe indubitatum eſt noxios, transfugas, fugitiuos, & ad cultrum damnatos. Item famoſi ſunt ij, qui ad cultrum aut gladium operas locant, licet non depugnarint l. 1. §. qui artis l. 2. §. ait Prætor §. vlt. D. de ijs, qui notantur infamia. Secus autem in illis, qui roboris oſtentãdi cauſa è loco ſuperiori iaculo feras confecerint, vt Tiridates, Commodus, & alij; ſicuti nec illos, qui virtutis oſtendendæ cauſa hoc faciunt ſine mercede, non tenentur infamia, niſi in arena paſſi ſunt honorari. Sed ſi quis operas ſuas locauerit, vt feras venaretur, vel vt depugnaret feram, quæ regioni nocet, extra arenam non eſt notatus. Perſonæ quæ non virtutis cauſa cum beſtijs pugnauerint, infames ſunt i.1. D. de Teſtibus. D

Tandem ego tædio affectus ab huiuſmodi cruentis in amphitheatro carnificinis. Ab iſta tragica Gladiatorum & Venationum ſcena manum retraho; & obſerata cortina lectorem dimitto; vt ad alias tragicas commemorationes in theatro properemus.

De

De Tragœdia. Cap. VI.

A Tragœdiæ vocabulum aliqui dictum volunt, quod Vindemialibus ludis esset illa inuenta, nempè quod nil aliud ea sit, nisi musti cantio, seu carmen Vindemialibus sacris in Bacchi, Liberique Patris laudem decantatum. Alij Tragoediam dici malunt quasi asperum cantum, quia flebilis genus Poematis est, & asperitatem, crudelitatemque continet. Alij denique ab Hirco dictam; quia is qui inter Bacchi sacra, ludosque in hoc genere certaminis esset victor, hirco, qui Baccho erat sacer, donabatur. vt canit Horat. de Arte. *Etymologia.*

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Sicuti etiam Tragœdiam à Satyris; hoc est hircinis, dictam putarunt; quoniam Satyri ad conuiciandum, vel ad risum commouendum cum cæteris personis inducerentur.

B Dicitur Tragœdia à Platone antiquissima; & quamquam ab Aristotele in Poeticis excogitatam in Pelopponeso fuisse; fuere tamen qui Thespin Athenienſem facerent auctorem: is enim vini fœcibus, aut minio sibi ora perunxit, atque ita personatus actitare cœpit è plaustris, ac Tragœdiam informem inconditè recitare. ita Horat. in Poetic.

Ignotum Tragicæ genus inuenisse Camenae
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fœcibus ora.

Et à Tibullo fit mentio de minio dum Bacchi sacra describit.

Agricola, & minio perfusus Bacche rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Hæc Tragœdiæ incunabula sunt, quæ paulatim deinceps adoleuit: excultaque postmodum ab Euripide, Sophocle, & Aeschylo est, & ab alijs expolita, ac etiam perfecta.

C Definitur ab Aristotele Tragœdia, vt sit Imitatio actionis illustris & absolutæ, eiusque iustam magnitudinem suaui complectens oratione: cuius partes eo pertinent, vt metus & commiseratio spectatorum animis inferatur ad huiusmodi morborum salutarem purgationem. Imitationem actionis illustris siue grauis, & seueræ, vt intelligamus Regias, Principesque tantummodo, personas Tragœdiam sibi proponere: vulgares, communesque permittere Comoediæ, quæ leues illarum & despicatas actiones imitatur: hancque imitationem, *Suaui sermone* effici oportere; hoc est versibus & concentu atque harmonia, cuius est in choris vsus potissimum. Quod egregiè ab Aristotele expressum videtur cap. 4. de Poetic. his verbis: *Poeticen duæ primum causæ naturales produxisse videntur, Imitatio & ex imitatione voluptas.*

Dicitur Tragœdia eiusmodi personarum illustrium actiones idcirco imitari, & spectatoribus proponere; vt contendat animi moerorem, ac commiserationem concitare ad illas ipsas, quas commouet, perturbationes abstergendas. Sed quamuis Plato Tragœdiam repellat à Republica, eo quod animi nostri morbos, & ægritudines augeat, efficiatque vt fræna dolori, ac cõmiserationi laxemus. Non, inquam, audiendus is est: quia dum homines eiusmodi spectaculis intersunt, crebroque audiunt, ac cernunt personas eloquentes, agentesque, quæ commiserationem excitant, doloremque ac terrorem incutiunt: assuescunt illi quidem dolere, pertimescere, ac misereri; sed ex ea consuetudine sequitur, vt cum ipsis aliquid humanitus acciderit, minus doleant, timeantque, quam si actionibus illis non interfuissent: necesse est enim, vt qui numquam doluerit, timueritue; eum vehementius exterreri ac dolere, cum repente nec opinata calamitas euenerit. Adde quod sæpe numero perperam homines dolent, ac pertimescunt ijs de causis, ob *Finis.*

D

quas minus dolere, ac extimescere par esset: & cum in Tragœdijs propo- A
nuntur res cemmiseratione, ac terrore digniſſimæ, apprehendunt homines
quid & quo tempore dolendum, & commiserandum sit, quæ vtilitas & vitæ
fructus est maximus, vt docet Arist. Politic. lib. 8. sub finem. Deniq; spectan-
dis Tragœdijs intelligimus omnium communem mortalium iniquam esse for-
tunam, & qui casibus obnoxius non sit, reperiri omnino neminem. Quo fit
vt facilius quicquid aduersum & præter voluntatem acciderit feramus, eo-
que animum solatio sustentemus, cum idem prorsus ac grauius etiam Princi-
pibus ac Regibus euenire videamus: quod expressit ad viuum Timocles a-
pud Athenæum lib. 6. cap. 1. his versibus.

Primum Tragœdi quanta commoda adferant
Perpende sodes. Si quis pauperculus,
Maiore pressum si videbit Telephum
Mendicitate, lenius suam feret
Mendicitatem, Insanus est ne quispiam?
Furiosum is Alcmæona proponit sibi. B
Captus quis oculis? aspicit cæcum Oedipum.
Gnatus obijt? Niobe dabit solatium.
Claudus aliquis ne est? is Philoctetem aspicit.
Miser aliquis senex? tuetur Oeneum.
Omnia namque grauiora, quam patiatur
Infortunia, quivis animaduerterit in alijs,
Suas calamitates luget minus.

Vtilitatem hanc, quæ capitur è Tragœdia, docent hi versus; vt aliorum
exemplis facile possit spectatorum animus instrui, ac ferre mala sua toleran-
ter, cum multo grauiora videt esse aliena.

Partes. Duo partium genera Tragoediæ tribuit Aristoteles, nempè Quantitatis, C
in qua tota Tragœdia certa distributione diuiditur, vt in Prologum, Exo-
dum, Choricum duplex. Sunt etiam Qualitatis partes, à quibus Tragœdia
nomen aliquod accipit laudis, & has in summa sex esse: Fabulam, Mores,
Sententiam, Dictionem, Apparatum, & Melodiam: & vt nos aggredia-
mur initio de qualitatis partibus explicare.

Fabula. Fabula igitur est structura, & coagmentatio, qua tota Tragœdia contine-
tur: & quoniam ingenio Poetarum excogitatur, ac fingitur, appellatur fabu-
la; sed quamuis possit etiam historia argumentum tragœdiæ tradere, non ta-
men ei suppeditat structuram. Quæ structura rerum tunc probabilis erit, si
conditionibus ijs, quibus instructam eam esse vult Aristoteles, instructa sit.
Prima ergo conditio sit vt quæ principio struenda sunt, non inculcentur in
medium, aut reijciantur in finem, vel è contra; quoniam ex praua & præpo-
stera partium dispositione monstrum existit, vt monet Horatius:

Credite Pisones isti tabulæ: fore librum
Persimilem, cuius velut ægri somnia, vanæ
Finguntur species; vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.

Secunda conditio sit, vt iustam habeat magnitudinem, neque longiorẽ neq; D
breuiorem, quam par sit, faciat Tragœdiam: & hunc Tragœdiarum ter-
minum duplicem esse ex Aristotele, artificiosum vnum, naturalem alterum.
Naturalem ait eum esse quem natura fabulæ, quæ tractatur expostulat; quẽ-
admodum res ipsæ naturales terminum habent suum; & hoc Poetarum iu-
dicio omnino permittendum; quorũ erit ita omnia disponere, & tunc neces-
sario finem imponendum, cum nihil aliud ad actionis absolutionem require-
re possunt fabulæ spectatores. Artificiosum Tragœdiæ finem, quem apud
veteres clepsydra præscribebat per instillationem aquæ, vt sic enumerarent
horas, quemadmodum partimur nos easdem per arenam: nostra hac tempe-

state

A ſtate crediderim reſpondere antiquorum clepſydræ vulgarem conſuetudinẽ, vt iuxta eã ſit habenda magnitudo fabulæ, quæ nec eos qui audiũt moleſtia dimittat, nec ſatietate fatiget. Tertia præceptio eſt; vt Fabula vna ſit, ac minime multiplex, nempè ſi vnius hominis ſit, & finem habeat vnum tantũmodo, quo referantur vniuerſa, & vnico illo fine fabula circumſcribatur. Quarta cautio eſt, vt in fabula omnes partes ſic cohæreant, aptæque ſint inter ſe, vt vna pars tolli non queat, quin tota compoſitio perturbetur, nec epiſodia ſeu digreſſiones fabulæ affingantur, vt corpus quaſi coagmentari videatur.

Hæc Tragœdiæ pars, quæ in effingendis perſonis, earumque moribus exprimendis verſatur, picturæ ſimilem fabulam facit, vt docet Ariſtot. cap. 12. de Moribus prope finem: duo enim in pictura ſunt Lineamenta, & Colores; ſed quia in lineamentis videtur eſſe poſita ſumma picturæ vis, & artificium primum, ſecundum in coloribus aptis & varijs. Cum lineamentis confert fabulam, quæ anima Tragœdiæ eſt; cum coloribus mores, qui ſecundum obtinent locum. Debet propterea maxime æſtimari hæc pars; quippe quæ po- *Mores.*

B nat ſub oculos ſpectatorum perſonarum vota, conſilia, conſuetudinẽ, indolem, ingenium; ac natura non intelligatur modo, ſed conſpici quodammodo videatur. In Hippolyto enim adoleſcentis pudici, ſeueri, voluptates aſpernantis, ingenium ipſis propemodum oculis intuemur; in Phædra animum fœminæ impotenter amantis; in Theſeo iram, &c. In moribus quatuor ſpectanda ait Ariſtotoles, vt Probi, vt Conuenientes, vt Similes, vt Aequabiles ſint. Quantum ad primum vt mores ſint probi, non æque in omnes ſed in eam cadit hæc præceptio perſonam, quæ principem in Tragœdia locum obtinet, quæque certum impertiri ſolet fabulæ nomen: adeoque niſi proba ſit, non poterit huiuſmodi affectum animi permouere, quem propoſitum ad permouendum habet Poeta: nec vllam à nobis extorquebunt commiſerationem improbi calamitoſi, quos intelligimus ea calamitate eſſe digniſſimos. Conuenientes debent ſecundo eſſe mores, hoc eſt congruentes, reſpondentes perſonæ, cui tribuuntur: fortitudo enim & prudentia in fœminis mini-

C me conueniunt; & iuuenibus aliqua congruunt, à quibus abhorrent ſenes, & ſimiliter de alijs: Ariſtoteli concinens Horat. hæc perſtrinxit.

Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.

Et infra.

——— *Ne forte ſeniles*
Mandentur iuueni partes, pueroque viriles.

Egregiè Terrentius complexus varia perſonarum genera.

Bonas matronas facere, meretrices malas,
Paraſitum edacem, glorioſum militem,
Puerum ſupponi, falli per ſeruum ſenem,
Amare, odiſſe, ſuſpicari.

Tertio vt mores ſimiles ſint, ex Ariſtotele; nempè ſi formæ, opinioneque iam de perſona vulgatæ omni ex parte reſpondebunt, atque illum agere ſciunt

D vniuerſi. Norunt ſcilicet omnes Achillem implacabilem ſemper eſſe, Vlyſſem aſtutum, &c. Nec aliter effingi poſſunt per Poetam hi mores, quales fuiſſe iam fama vulgauit: Iure igitur Horat.

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge.
Scriptor honoratum ſi forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer;
Sit Medea ferox, inuicta, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.

Quarto denique mores æquabiles eſſe oportere; hoc eſt eundem ſemper habere tenorem, ac modum, quem initio ſuſceperunt, ne à ſe ipſis paulatim diſcordare videantur; & quem iracundum ſemel effinxeris, quem placidum,

quem crudelem, ac impium; eum eosdem planè mores præseferentem semper atque ad exitum vsque fabulæ retinentem facias: cuius ratio quia habitus morum constantissimus semper & æquabilis est, vt docet Horatius inter cætera Poeticæ monita. A

Si quid inexpertum scenæ committis & audes
Personam formare nouam, seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit & sibi constet.

Sententia. Quarto Sententia mores debet excipere; vt qui certis præditus sit moribus, animi quoque sententiam habeat, opinionemque moribus illis respõdentem. Sententiæ partes sunt ex Aristotele Demonstrare, Soluere, Perturbationes ciere, Augere, Imminuere: Demonstrantur enim obscura: Contraria, & repugnantia soluuntur: Perturbantur & commouentur spectatorum animi: Augentur exilia: Grandia minuuntur; quæ omnia etiam cum Oratore communia.

Dictio. Quinto sequitur Dictio seu Elocutio, quam interpretationem animi per verba esse ait, & definit Aristoteles. Propriam Tragœdiæ locutionem grandiloquæ ac summæ dictionis esse, nempè circa translata, sonantia, hyperbolica, illustria, cuius maiestatem conferens Horatius cum Matrona, quæ festis diebus egreditur, inquit: B

Effutire leues indigna Tragœdia versus.
Vt festis matrona moueri iussa diebus.

De genere carminis Tragœdiæ deberi Iambum senarium: ita pronunciauit Aristotel. in cap. 2. Poetices.

Apparatus. Apparatus Tragœdiæ præcipuè continet Theatrum: cuius partes sunt Cunei, ideſt Sediles ab extremo theatri ambitu vsq; ad caueam excurrentes: Orchestra vbi saltabant & gesticulabant: fuere quoq; Pulpitum, Proscenium Podium & similia, vt refert Iulius Pollux lib. 4. Cassiodorus lib. 4. Variar. ep. vlt. & alij, sed potissima Theatri pars erat Scena, quæ originem duxit à syluis vmbrosis, vbi iam fabulæ rudi & impolito sæculo canebantur à Pastoribus. Hanc scenam triplicem fuisse scribit Vitruuius lib. 5. cap. 8. Tragicam, Comicam, & Satyricam, respondentem triplici prorsus dramaticæ poeseos formæ: quorum ornatus in Tragica Columnis, fastigijs, reliquisque regalibus rebus formabatur: Comicæ priuatorum ædificiorum speciem, prospectusque habent: Satyricæ ornantur arboribus, montibus, reliquisque agrestibus rebus. Scena in Tragœdia parabatur ampla & magnifica, quæ Regias ædes & Basilicas imitaretur; sic enim Comica, & Satyrica facile secernebatur. Fuit etiam apud Romanos interdum aurea scena, vt Petrei; interdum argentea, vt Antonij, & Murenæ; interdum marmorea, vt M. Scauri; interdum versatilis, ex ligno & suspensa cardinibus, vt Curionis, vt nos diximus supra. C

De Histrionum indumentis refert Lambinus ex Aristotele, & Demosthene nunquam illos egisse nisi Personatos, vt etiam primus Tragœdiæ auctor Thespis Atheniẽsis minio primo faciem aspersit. Fuit tragica vestis syrma, hoc est oblonga, sinuosa, qua non singuli, sed præcipuæ personæ, quæ Tragœdiæ nomen imponunt, vtebantur. Pro personarum varietate multiplex & varia fuit vestis: Latini Reges cum lituo egrediebantur: Imperatores Romani paludati cum purpura, laurea & stipatoribus suis: Reginæ cum syrmate & croceo velo: exules cum atro, fuscoue indumento: Barbari Reges cum diademate, aut tiara: cæteri quos ducebant, cum pileolis & galeris. Dij cum insignibus suis: Liber cum thyrso, Phœbus cum cithara, Iupiter cum fulgure, & telo trisulco. Quod attinet ad pedes vniuersos gestasse Cothurnos, quod calceamenti genus, quia est altius, Tragœdos & actores ipsos attollebat, vt refert Iuuenalis. D

Breuiorque videri

Vir-

A *Virgine Pygmæa nullis adiuta cothurnis.*

Dicendum nunc esset de Melodia & concentu, sed cum hæc respiciant chori partes & officium; explicabimus hæc forsan in alio proposito.

Circa partes Quantitatis (vt nos diximus supra) primum locum fecit Aristoteles in Prologo: hic autem continet in se totam illam Tragœdiæ partem, quæ primum antecedit ingressum Chori; hoc est Actum primum: nam illa fabulæ membra, quæ Latini vocarunt Actus, esse oportet quinque ex Horatio, qui actus interuentu Chori distinguuntur. Illa ergo pars, quæ ante primum ingressum Chori præponitur, Primus dicitur Actus à Latinis; ab Aristotele Prologus nominatur: etenim in eo rerum tractandarum initia, progressiones, nexus, exitus, nec non actionis exhibendæ semina spargenda præcipit Quintilianus. Quamquam enim Furiæ, Vmbræ, Dij, qui Prologi huius personam interdum sustinent, non ingrediuntur amplius in proscenium, ad fabulam tamen pertineant. *Prologus.*

Episodium est secunda pars Quantitatis ex Aristotele; nempè quæ Chori *Episodium.*
B modulationibus est interiecta: ac etiam episodia nominantur quicquid præter actionem interponitur.

Tertia pars est Exodus, post quem nullus est Chori cantus ex Aristotele, *Exodus.*
& in hac parte continentur rerum euentus, & exitus fabulæ, quæ clauditur quinto actu.

Chorus quarta fabulæ pars certo constans personarum numero ex viris, *Chorus.*
fœminis, rusticis, vrbanis, senibus, & similibus pro argumenti varietate multiplici: Certus vero numerus illorum quamuis in ipsis Tragœdiæ incunabulis quinquaginta saltantes, ac concinentes inducerentur; paulatim ille numerus imminutus ad quindecim, & duodecim. Quamuis antiquissimi Tragœdiarum chori, vt tradit Horatius in Arte, constarent ex Satyris inconditè, temerèque saltantibus: repudiata deinde illa satyrorum obscenitas, inductæque personæ, quæ musicè canerent, atque ad numerum mouerentur: & hæc omnia semper cum antecedenti & consequenti fabulæ parte coniun-
C cta sint: debet etiam chorus bonis fauere, eorumque partes tueri, qui sunt innocentes: ac etiam consilium amicis sine fuco & fallacijs dare: iratos & furore percitos placare: temperantiæ ac parsimoniæ fauere: iustitiam, & pacem tueri: vt etiam religiosè Deum precari, vt innocentes respiciat, & noxios feriat.

De Comœdia. Cap. VII.

QVoniam de Tragœdia aliqua diximus supra: modo de Comœdia etiam subsequi non ingratum: Comœdia ergo deteriorum imitatio est secundum illud quod est ridiculum. *Quid sit?*

Dicitur Imitatio, quia forma quædam poeseos est: Poesis enim est imitatio, vel expressio actionum humanarum verisimilium ex Aristotele in Poetices cap. 1. Et hæc imitatio est Deteriorum; hoc est mediorum, infimorum-
D que; non autem illustrium virorum, vt in Tragœdia: itaque ex hominibus deteriores imitandos reseruat sibi Comœdia, non tamen in omni genere turpitudinis, ac vitij, sed in eo tantum quod risum commouere propter leuitatem queat; hoc est quæ sunt imprudentium iuuenum, seruorum corradentium ab auaris Dominis aurum, Lenonum decipientium adolescentes & senes, Parasitorum fames, serui calliditas, vel stultitia, & similia quæ turpitudinem habent, sed horrenda non sunt, vt in Tragœdia: adeo vt requiratur non esse huiusmodi imitationem à Risu alienam; qualia sunt vulnera, vlcera, quæ sine commiseratione & horrore intueri non possumus.

Comœdiam volunt dictam à commessatione: quod olim in huiusmodi

fabulis

fabulis amantium iuuenum commeſſationes agebantur. A

Diuiſio. Quoniam apud Græcos varia fuere Comœdiarum genera, vt alia dicenda vetus, alia media, alia noua. Veterem dico maledicam illam comœdiæ formam, quæ prima omnium in vſu fuit; tempore quo ſummum ciuitatum ius penes populum erat. Fas enim illius ſæculi fuiſſe riſum ex quocunque iocorum genere aucupari; quamuis amaris atque acerbitatibus aſperſi in Iudicum iniquitatem, in mala Prætorum facinora, in improborum Ciuium, & diuitum præſertim ac nobilium corruptos, & profligatos mores, certis etiam ex ipſo nomine deſignatis hominibus: ita enim facile fieri poſſe credebant, vt flagitioſi malæ famæ deterriti metu ad bonam frugem reuocarentur. Redacto deinde Populi dominatu ad iniquum paucorum Imperium, ſublata illa veteris maledicendi libertas pœnis coercita illa Comicorum licentia: inde medium comœdiarum genus inductum: nam obliterata illa maledicendi parte, manſit ſpecies illa prior totius fabulæ, ac etiam ſine vlla ſuſpicione, aut timore pœnæ licebat aliorum poetarum ſcripta irridere. Nouum & poſtremum Comœdiæ genus, quod tempore Magni Alexandri florere cœpit; caret illa maledicendi licentia; ac etiam quæ in poetas inuehebatur: & riſum captat; *ex quo vniuersè notentur mores*, certi tamen homines nulli deſcribantur. B

Apud Latinos nouum illud tantummodo Comœdia complexa eſt genus ſine maledictis vllis, & ſine Choro. Partiti ſunt Rom. Comœdias in genera tria à veſtitu, quo hiſtriones vario vtebantur. Nam vt in Vrbe pro triplici Ciuium ordine, triplex etiam erat veſtis, qua ordines ipſi diſtinguebantur; tres illi excogitarunt etiam Comœdias in Prætextatas, Togatas, & Tabernarias. Prima, inquam, Prætextata à Prætexta ſenatorum, qui ſic inducebantur ornati, magiſtratus fuere & viri Principatum obtinentes, atque in Ciuitate primarij, ſed minime tamen Reges. Secunda Comœdiæ forma deterior prima inducebat quidem Senatores, ſed priuatos cum ſenatorijs togis, à quibus ea Comœdia dicta Togata. Tertium Comœdiæ genus humilis fortunæ imitabatur homines tunicis indutos, nec Tunicata dicta eſt, ſed ab habitaculis humilibus, ac tabernis, quæ diſponebantur in ſcena, Tabernaria eſt nominata. C

Deteriores quare imitandi? Ex omni mortalium numero Comœdia ſibi propoſuit imitandos deteriores. Quoniam duo hominum genera turbas in ciuitate faciunt; vnum eorum qui potentia atque opibus pollent: alterum eorum qui rerum inopia; & deſperatione laborant. Igitur ad continendos in officio atque inſtituendos vtroſque hominum ordines, duabus Poeticæ dramaticæ formis Tragœdiæ & Comœdiæ datus eſt locus. Tragœdia quippe admonet primarios & Principes, vt intueantur in exitus infeliciſſimos virorum potentium, qui limites æqui & recti per vim egredi voluerunt: Comœdia docet inopes & deſtitutos de felici rerum deploratarum, inuolutarumque ſucceſſu bene ſperare; etenim videtur magis fuiſſe conſentaneum rationi ſucceſſum illum exprimere in ordinibus deterioris fortunæ, qui fæpiſſimè ſolent à rebus aduerſis gradum ad ſecundas & proſperas facere, quam in Principibus, qui plerumque à ſtatu vitæ ſecundo corruunt in aduerſum. D

Ridiculum quæ re & quando? Commotioni miſericordiæ & terroris in Tragœdia reſpondet riſus, iocique tractatio in Comœdia: nec vllam fabulam verè eſſe Comœdiam quando in ea riſus, iocique tractatio deſideraretur; neque graues illæ Prætextatæ, & Togatæ ſuo riſu caruerunt, & quamuis effuſum riſum & vulgarem non habuerint; habuerunt tamen eum, qui deceret perſonas, ſatiſque poſſet à Tragœdia & cæteris fabulis ſeparare.

Quorſum autem Comœdia riſum excitet? hoc proceſſit à recta rerum exiſtimatione, de quibus riſu purgato atque correcto facilius ac rectius iudicamus quid, & quando iure ridendum ſit. Præterea ſicut in Tragœdia ex purgatione

A gatione metus & misericordiæ, audaciæ quoque correctio sequitur & crudelitatis; ita in Comœdia purgato iam risu necessario subnascitur ipsius tristitiæ, mœrorisque moderatio, quemadmodum grauissimi quidam affectus, & perturbationes animi sedantur Musica, vt docet Aristotel. lib. 8. Politic.

Quæ autem sit in Comoedia ridiculi causa? Dixit Aristoteles Ridiculum, hoc est Res dictumq; concitans risum; nihil aliud esse, nisi vitiũ, & turpitudo sine dolore: & quamuis aliquando sit Risus, qui nulla excitatur aliena animi, seu corporis turpitudine, nempè eum amicos repentè conspicimus, aut nuntium læta deferentem, & loquentem exaudimus: In proposito respondetur hic Aristotelem non disputare de illo risu, qui nostra voluntate & iudicio nascitur ad indicandam animi voluptatem, cum lætæ res accidunt; sed de illo propriè, ac nominatim, qui nobis quasi excidit inuitis aliqua re visa, vel audita praua, enormique hoc est à decoro longius aberrante; videlicet in his personis, qui voce, habitu, actione corporis fabulam agunt, seu in his aptè finguntur, acutèque dicuntur ad captandum risum.

B Quoniam de Ridiculo à Mimis in theatris aliquid perstrinximus; egregium illud spectaculum huc recitare non pigeat, quod Vrbi præbuit *Genesius* Mimus, qui in theatro Maximiano Imp. spectante, cum mysterijs Christianorum illuderet, repentè Dei virtute mutatus, seriò agere cœpit, quod iocis antea actitabat; vsque adeo vt perfectè factus Christianus post multa tormenta martyrij palmam consecutus fuerit, vt in Romano Martyrolog. 25. Augusti & acta ipsius apud Surium. Longe planè felicius, *quam ille miser* qui Aiacis furentis personam agens, tantopere eo est raptus affectu, vt in insaniam verè fuisse conuersum, recitet Lucianus de Saltat. prope finem. *Mimi martyres.*

Porro quod Genesio accidit, *Ardeleoni* quoq; contigisse, eumque mimum ex ioco factum seriò Christianum & Martyrem tam Latinorum, quam Græcorum Martyrologia, & Menologia testantur 18. Kal. Maij.

Estque haud longè dissimile illud quod de *Dioscoro* Architheatro ad Alipium Augustinus epist. 67. scribit, qui cum in deridendis Christianorum re-
C bus soleret esse effusus; effectus est & ipse, licet sæpe frustra renitens, Christianus.

Sicut & Mimus nomine *Porphyrius*; cum vt Christianam Religionem risui exponeret, baptismo per iocum initiatus esset, serio exinde Christum confessus, ac tyranni iussu necatus martyrium feliciter consummauit. vt in Martyrologio Romano 17. Kal. Octob. Consueuerunt namque Gentiles in derisum Christianæ Religionis personas in theatrum inducere, quæ acta Christianorum repræsentarent; sed Deus, qui illusores irridet, *iocos* in rem seriam, fabulam in historiam, & mimum conuertebat in Martyrem.

Hinc quam verè illud sit attendamus, quod *Spiritus vbi vult spirat*: deridentes siquidem præfati mimi Christianam Religionem, repentino Spiritus sancti afflatu eandem confitentur etiam sanguinis effusione, & martyrij palmam recipiunt; & ad hunc Spiritus sancti impulsum attentè respiciens Propheta inquit: *Os meum aperui, & attraxi illum*. Certe isti gratum Deo, Angelis, & hominibus spectaculum exhibuerunt, & iucundum immo beatum
D humanæ fabulæ sortiti sunt finem; sed ad argumentum reuertamur.

Quid vero inter Tragœdiam & Comœdiam intersit, modo videamus. Differunt primo in materia: nam in Comœdia amores ferè, & virginum raptus; Item sales & Risus: in Tragœdia luctus, exilia, cædes introducuntur, ac perturbationes. Secundo Personæ in Tragœdia sunt Heroes, Reges, Principes & similes: in Comoedia priuati homines, & mediocris tantum fortunæ. Tertio differunt stylo, nam in Comoedia verba & affectus sunt mitiores: in Tragoedia sunt atrociores, quos afferunt res grandes. Quarto exitus in Comoedia sunt læti & iucundi: in Tragoedia tristes & funesti. Quinto in Comoedia socco vtebatur: in Tragoedia Cothurno. *Tragœdia & Comœdia quomodo differant?*

Erat

De cothurno & socco.

Erat autem Cothurnus calceamentum quadrangulum, quod vtrique pedi accommodari poterat, adeo crassum; vt eius accessione Heroum magnitudinem æquatam prodat. Soccus vero erat calceamentum humile, populo commune, à Thracibus acceptum. Rosinus Antiquitatum Roman. libr. 5. capit. 8. A

Atque vt grandiores essent Regumque similes magis actores, alte subleuatos calceos, idest cothurnos induebantur. Plinius 37. cap. 2. de Sophocle: *Quod quidem miror in tanta grauitate cothurni*. Horatius lib. prim. Satyr. 5.

Non illi larua, aut tragicis opus est cothurnis.

Sidon. Apollinar. lib. 8. ep. 11.

Soccos ferre caue, nec vt solebas,
Laxo pes natet altus in cothurno.

Vt hos altè eleuari, quo melius exprimerent heroum non gestus modo, sed & corporis habitum; ita Comicos pedestris sermo, humiles calcei ornabant. Apuleius lib. 3. Floridor. *Loca non infra soccum, seria non vsque ad cothurnum.* B Lepide Plinius Iunior. lib. 9. ep. 7. *Itaque illam tragœdiam, hanc appellare Comoediam soleo: illam, quod quasi cothurnis, hanc quod quasi socculis sustinetur.* Et ob hoc Comici Planipedes dici possunt, quod si cum tragicis conferantur, videantur plano pede agere, & *Excalceati* à L. Seneca ep. 8. Comoedi vocitantur, Claudian. proximè citatus.

Cui plectro pulsanda Chelys, qui pulpita socco.
Personat. . .

Auson. Edyl. 4.

Percurris pulpita socco.

Vtrumque scribendi genus coniungunt, Soccum & Cothurnum; idest Tragœdiam, & Comœdiam auctores antiqui, Claud. lib. 1. in Eutrop.

Quo Socci superent risus, luctusque cothurni.

Martial. lib. 8. epigr. 3.

An iuuat ad tragicos soccum transferre cothurnos. C

Horat. de Arte Poetic.

Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni.

Lubet hinc nobis vanam mundi felicitatem intueri; similem illis quibus in scena sceptra & diademata porriguntur, cum elati & cothurnati incedunt; nam vt primum exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt: nec dissimile Purpuratis, & magnatibus persæpè euenit; siquidem qui cothurnis elati superbi incedebant, vix soccis excalceati humiles reuertuntur.

Hinc ego delineandos curaui ex Musæo Clarissimi & Eruditissimi Domini Cassiani à Puteo Equitis sancti Stephani, à quo etiam alia plura Antiquitatum fragmenta humanissimè desumpsi ad ornatum mearum lucubrationum: Primo Herculis Iconem Cothurnis calceati & veste syrma, hoc est longa sinuosa, vt mos erat in Tragœdia præcipuarum personarum. Secundo expressos plures propono humili, & populo communi Socci calceamento, sicuti etiam personati in Comœdia interueniebant de quibus etiam in meo Musæo. Et hæc ad maiorem antiquitatis elucidationem. D

Icon

A *Icon Herculis Tragici cum cothurnis.*



B *Icones Comœdorum cum soccis.*



C



D

De scena obscenitate.

Pluribus iam cognitis de his, quæ in theatro, seu scena à priscis repræsentabantur: videndum modo quali turpitudine & flagitio Mimi, & Pantomimi scenam fœdauerint; quo factum genus id hominum non modo Ciuium honore carere, verum auctore Cypriano epist. 37. ijdem communione, ac cœtu piorum in fide Catholica expulsi fuerint: quod etiam iampridem Apostolorum interdicto fuerat promulgatum, vt apud Clementem lib. 8. Const. cap. 32. his verbis: *Si quis scenicus ad Ecclesiam aggregatus sit vir, mulierue, aut si quis agitator, aut gladiator, aut cursor, aut ludo præfectus, aut athleta, aut citharista, aut hyristes, aut saltare doctus, aut caupo, desinant artem suam, aut cœtu piorum pellantur.* Vt eodem prætextu vir vxorem repudiare posset Nouell. Iustin. 22. his verbis: *Vir dimittere vxorem potest, si præter voluntatẽ suam Circenses, & theatricas voluptates captet, vbi scenici ludi sunt, aut vbi feræ cum hominibus pugnant.* Vt etiam in l. consensu Cod. de Repud. Mulier. Cuius ratio adducitur à Iuliano in Misopogone ibi: *Non potest domi temperans esse, & castus, qui publicè incontinens, & impudicus esse vult, è theatris voluptatem captans.* Et D. August. lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 27. Hanc talium Numinum placationem petulantissimam, impurissimam, nequissimam, immundissimam fuisse ait. Arnobius lib. 4. Quid Pantomimi vestri? quid histriones? nonne ad vsum quæstus sui abutuntur Dijs vestris & lenocinia voluptatum ex iniurijs attrahunt, contumelijsque diuinis. Tertull. in Apolog. c. 15. Sed & histrionum litteræ omnem foeditatem eorum designant: luget Sol filium iactatum de Cælo lætantibus vobis: & Cybele Pastorem suspirat fastidiosum, non erubescentibus vobis: & Minucius in Octauio sic inquit. In scenicis etiam non minor furor, turpido prolixior: nunc enim Mimus vel exponit adulteria, vel monstrat: nunc eneruis histrio amorem dum fingit, infligit: idem Deos vestros inducendo stupra; suspiria, odia dedecorat: idem simulatis doloribus lacrymas vestras vanis gestibus, & nutibus prouocat. Hoc idem Tertull. in Marcionem libr. 1. inquit, solemnes voluptates Circi furentis, & Caueæ sæuientis, & scenæ lasciuientis. & idem Tertull. in Apolog. inquit, Dispicite Lentulorum & Hostiliorum venustates, vtrum mimos an Deos vestros in iocis, & strophis rideatis: moechum Anubin, & Masculum Lunam, & Dianam flagellatam, & Iouis mortui recitatum testamentum, & tres Hercules famelicos irrisos: sed & Histrionum litteræ omnem foeditatem eorum designant: item nihil est nobis dictu, visu, auditu cum insania Circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, xisti vanitate. Denique Cyprianus ep. 103. inquit, Auctores omnes, tum sacri, tum profani spurcitiam scenæ exagitant, non modo quod fabulæ obscenæ in scena agerentur, sed etiam quod motus, gestusque essent impudici, atq; adeo prostibula ipsa in scenam sæpe venirent, & sub scena prostarent; vnde & obscenum ait Varro, quod non nisi in scena palam dicitur.

De infamia theatri.

Ex prædictis non mirum omnes scenicos infames esse; vt in Tit. D. de his qui notantur infamia l. 1. *Infamia notatur, qui artis ludicræ pronunciandiue causa in scenam ascenderit.* Et lib. 2. §. vlt. ibi: *Et omnes propter præmium in scenam prodeuntes, famosos esse Pegasus & Nerua filius responderunt.* Et Tacitus lib. 11. inquit. At Claudius munia Censoria vsurpans, theatralem populi lasciuiam seueris dictis increpuit. Arnobius vero lib. 7. inquit: *Quarum fabularum actores inhonestos esse ius vestrum, & inter capita computari iudicauit infamia.* Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei capit. 14. *Romani ab honoribus omnibus repellunt scenicos.* Et cap. 27. ait: *Cuius auctores laudanda Romanæ virtutis indoles honore priuauit, tribu mouit, agnouit turpes, fecit infames.* Senatoris filia, quæ artem ludicram fecit, impunè liberto nubit, l. 42. l. 47. D. de Ritu Nuptiarum. Miles æque puniendus est capite, si artem ludicram fecerit, ac si in seruitutem se venire passus sit, l. quædã delicta D. de Poenis. Quintilianus declamat. 303. inquit: *Qui artem ludicram exercuerit in 14. primis ordi-*

A *cedinibus non ſedeat*. Hiſtriones Romæ ſæpè coerciti. Tacitus lib. 1. Annal. Theatri licentia proximo priore anno cœpta, grauius tum erupit, &c. Sueton. in Auguſt. c. 45. Coercitionem in hiſtriones, magiſtratibus omni loco & tempore lege veteri permiſſam, ademit; præterquam *in ludis & ſcena*. Et apud Tacitum lib. 1. in vincula ductos fautores hiſtrionum. Tacitus l. 13. ait. Inter Vibullium Prætorem & Tribunum Antiſtium ortum certamen, quod immodeſtos fautores hiſtrionum à Prætore in vincula ductos, omitti iuſſiſſet; comprobauere Patres, &c.

Scenam propriè hiſtrionibus & ludis; Orcheſtram choro, & thymelicis additam fuiſſe vulgo notum eſt: quinam alij, vel in ſcenam aſcenderint, vel in Orcheſtram deſcenderint, vt voluptati populo eſſent per interludia, ſi fabula daretur; vel in ipſo fabulæ decurſu, ſi eorum opera vſui eſſet actoribus? Ingens vtique huiuſmodi hominum ſylua fuit, quarum alij miracula patrarent, latinè Præſtigiatores nuncupati; alij Acetabularij; alij per Catadromum decurrerent, Pantomimi, Citharœdi, Satyri, Lentuli, Tibicines, Parasiti. &c. de quibus à nobis in decurſu plura erunt dicenda.

B

De mirificis.

De Miraculorum patratoribus, ſeu Mirificis. Dicti homines proiectæ erant audaciæ, qui ſummo vitæ periculo ſtupenda in vulgus patrarent, per rotas & ignes ſe traijcerent; tenuiſſimis & aduerſis funibus currerent; ingentia onera ſupra hominis vires portarent; in immenſam altitudinem mergerentur; & ſine vlla reſpirandi vice maria perpeterentur; vt ſcribit Seneca lib. de Ira: Dio Chryſoſt. in Diogene inquit: *Cum multi Miraculorum editores miracula patrarent, multi miraculorum ſpectatores de miraculis iudicarent, multi prodigiatorum interpretes portenta interpretarentur*. Erant, qui è loco ſuperiori machina lignea deſcenderent, vnde flammam ſpargerent in ſcenam: alij in chori ſpeciem flammas ore, vel manu iactantes innoxij. Claudianus Panegyric. 8.

Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis,
Inque chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas
C *Scena rotet, varioſque effingat Mulciber orbes*
Per tabulas impunè vagus ——————

Erant, qui contum in fronte immotam gererent, aut puerulos in ſumma pertica luctantes inter ſe exhiberent. Chryſoſtom. de Iureiurand. inquit: *Frons ſola quolibet vinculo tutior eſt*. Nicephorus Gregoras l. 8. inquit, Alius equo inſidens ad curſum illum incitabat; eoque currente nunc erectus in ſella ſtabat, nunc in equi iuba, in fronte, clunibus, pedibus ſemper aptè & concinè commutatis: erant qui per flammas illæſi ſe traijcerent, in arido natarent, & ſine alis in aere volarent. Manil. lib. 5.

Membraque per flammas, orbeſque emiſſa fragantes
Delphinumque ſuo per inane imitantia motu,
Et viduata volant pennis, & in aere ludunt.

Fuere, qui pede tela vibrarent, ſcriberent, cibos caperent, nares emungerent, manus abſtergerent, pilam pede quaſi manu exciperent. Manilius lib. 5. vt legit Scaliger.

D *Ille pilam celeri fugientem reddere planta,*
Et pedibus prenſat manus, & ludere ſaltu,
Mobilibuſque citos ictus glomerare lacertis, &c.

Apud Homerum pila ludunt ſaltantes, & pedibus pilam reddunt. Erant Vrinatores, qui maris ima ſcrutarentur, quos deſcribit Manil. lib. 5.

Illis in ponto iucundum eſt quærere pontum ——————
Corpora qui mergunt vndis, ipſumque ſub antris
Nerea, & æquoreas conantur viſere Nymphas.

Alij è machina tonitrua excitabant. Plutarch. Symp. 4. cap. 2. inquit: *Me autem exhortante, & dicente, tempus eſſe quod ſolet Comœdia, vt machinas ſumentes,*

tes, & tonitrua injicientes, in vino & ioco de fulminibus agerentur. Alij in enſes A
inſiliebant, & in rota verſabantur illæſi. Plato in Euridemo inquit: *Saltu ſupra enſes in caput præcipitem ferri, & in rota verſari*. Clemens Alex. lib. 7. Stromat. *Miraculorum patratores, qui capite prono, ac præcipiti ſupra enſes tranſiliunt, vſu & exercitatione docti*. Cum autem in rota verſarentur, ſcribebant, lodebant, interdumque ita corpus contorquebant, vt rotam imitarentur. Xenophon. in Sympoſ. *Scribere & legere in rota, quæ ſimul verſatur, monſtri loco eſt: contorquentes autem corpora, & rotas imitantes*. Nonnulli ait Euſtathius lib. 4. Odyſſ. Protheum præſtigiatorem fuiſſe autumant, & artem factitaſſe: *Qui ſpontaneum ignem exiſtere faciebat, aliaque monſtra per artem procudebat, quibus hominum animi extra ſe raperentur*. Quidam repertiſunt, qui enſes deglutirent. Plutarch. in Apophtheg. ait: *Præſtigiatores enſes deglutiunt*. Canes ipſos, & Elephantas miracula patraſſe refertur: apud Diaconum lib. 16. Andreas habuit canem rufum & coecum, qui cum ſtaret in turba, ſuos cuique annulos reddebat, & adulteros, prægnantesque indicabat. Zoneras in Iuſtiniano, & Cedrenus ibidem. Cum autem ea fierent, B
moris fuit, vt in Theatro & foro Præſtigiatores includerent ſe, ne à turba obruerentur. Plato lib. 7. de Rep. *Quemadmodum thaumatopœij ſeptis ſe includunt, ſupra qua miracula oſtentant*. Ex quo loco à longe miracula ſua Populo exhibebant, ne ars deprehenderetur, & vt melius à miniſtris res mala tolleretur. Ariſtides in puteo Aeſculapij: *Quemadmodum famuli medicorum, & Præſtigiatorum exercitati ſunt, vt dominis ſuis ſubſeruiant, & adiuuantes in ſtuporem rapiant ſpectatores*.

De petauriſtis. Petauriſtæ dicebantur, qui per aerem volabant. Vt ex Suida refert Varro lib. 3. de Re Ruſt. Petaurum dicitur palum affixum, in quo volatilia dormiunt, ſeu eidem incumbunt. Hinc Nicander: *Gallinam ſomno conſopitam petauro abripiens*. Inde Petauriſtæ dicuntur, qui ſtipiti tranſuerſo inequitantes ſe in altum efferrent, & deorſum dimitterent. Fuerunt etiam qui per rotas & circulos ſe tranſmittebant vt ſcribit Iulius Firmicus in Aſtronomicis. Turnebus lib. 8. Aduerſus cap. 4. ait Petauriſtas tignum altius aliquando C
ſuſpendiſſe, & inde ſaltus ad ſtuporem ſpectantium dediſſe. Iuuenal. Petauriſtas cum funambulis coniunxit Satyr. 14.

An magis oblectant animum iactata petauro
Corpora, quique ſolet rectum deſcendere funem?

Petauriſtæ è loco ſuperiori tignum, ſeque ipſos per rotam traiecisse, Martiul. lib. 11. epigr. 22.

Quam rota tranſmiſſo toties impacta petauro.

Videtur rota in ſublimi poſita fuiſſe, quæ à duobus verſaretur, alterque ſupernè, alter infernè niteretur; ita fiebat vt alternis delecti hinc penderent, nunc erecti ſederent. Sæpè autem factum eſt, vt Petauriſtæ in rota ſe trajicerent deſperata audacia; vnde Ariſtophanes in Dædalo: *O Petauriſtæ, quoties voles vertere rotam, dic vale lumen ſolis*. Non diſſimiles erant prædictis Pegmares gladiatores, ex Sueton. qui in eo pegmate depugnabant, & ſi ad feras damnati eſſent, in caueam ferarum præcipites dehiſcente machina ferebantur. Strabo in Seleuco latrone: *Cum poſitus eſſet in tabulato alto inſtar Aetnæ, cum id derepente diſſolutum concidiſſet, Seleucus ipſe in caueas ferarum ſolutiles de induſtria paratas ſub pegmate abſorptus eſt*. D

De cernuatoribus Cernuare dicuntur, qui prono & cernuo capite ſaltant. Apuleius Miles. 1. inquit: *In flumen pene cernuat*. Sidonius Panegyr. Auitr.

Curuato cernua collo
Ora gerens

Vnde Cernuatores, qui vno pede in vtrem inflatum, & inunctum, vt lubricus eſſet, inſiliunt, quibus ſæpe accidebat, vt laberentur, & caderent, non ſine riſu ſpectantium. Tzetzes in Heſiodum inquit: *Vtres inflatos, & ſpiritu*

plenos

A *plenos humi deponentes, & vno pede insilientes super ijs feruntur, & sepe labentes in terram cadunt. Hoc autem faciunt in honorem Dionysij: vter autem est pellis Hirci, quia hircus vitis germina comedens, eam ladit.* Veteres vitis repertorem honorantes, morem canendi, & per vicos dicta dicendi induxerunt; vnde Comœdia dicta: Capram victori præmium posuere, quod ea vitibus noceret. Vnde Tragœdi appellati Cernui & Petauristæ in Vet. glos. Varro. Etiam pelles bubulas oleo pertusas percurrebant, ibique cernuabant. Virg 2. Georg.

——— Atque inter pocula lati
Mollibus in pratis vnctos saliere per vtres.

Festus Oscilla esse ait festa in honorem Bacchi, in quibus homines se per funes iacerent. Oscilla interdum dicuntur pensiles gestationes de arboribus per sex feriarum Latinarum dies, de quibus Virg 2. Georg. *De oscillis.*

Necnon Ausonij Troia gens missa coloni
Versibus incomptis ludunt, risuque soluto,
B *Oraque corticibus sumunt horrenda cauatis,*
Et te Bacche vocant per carmina lata, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

Vbi Seruius cum Hygino: Respondit oraculum, sedari posse pestilentiam, si Erigonis & Icari cadauera requirentur: quæ cum diu quæsita non inuenirentur, Athenienses vt etiam in alieno ea viderentur quærere elemento, suspenderunt de arboribus funem, ad quem se tenentes homines hac atque illac agitabantur, vt etiam quasi in aere illorum cadauera quærere viderentur; sed cum inde plerique caderent, inuentum est, vt formas, vel personas ad oris sui similitudinem facerent, & eas pro se suspenderent & mouerent: vnde & Oscilla dicta sunt, ab eo quod ab illis cillerentur, idest mouerentur ora.

Grallatores dicuntur, qui ligneis pedibus ingrediuntur, vt grandiores appareant. Pollux: *Gypones, seu Grallatores, qui ligneis pedibus ingrediebantur,* C *saltabant pellucida veste Tarentina amicti.* Nonius Grallas interpretatur fustes, quibus innituntur. Grallatores adiectis perticis furculas habentibus, atque in his superstantes ad similitudinem crurum gradiebantur. Plautus. *De grallatoribus.*

Vincere tu cursu ceruas, & grallatorem gradu.

Refert Festus, vt Heroas exprimerent, aut ligneis pedibus, aut cothurnis altis Grallatores incedebant. Iustin. Martyr. ep. ad Zenam ait: *Vt qui clamore ingenti Orestis personam agens, terribilis & maximus ab insipientibus esse putatur, ob pedes ligneos, & ventrem factitium, & vestem peregrinam, & faciem monstruosam.*

Acetabularios dici qui celeritate & dexteritate manuum è pluribus acetabulis, quæ in mensa exponunt, efficiunt, vt quos calculos sub vno acetabulo conditos ducas, sub altero reperias. Senec. ep. 45. *Præstigiatorum acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Acetabularij cauillatoribus comparati apud Stobæum serm. 70. ibi: *Sicuti acetabularij spectantium oculos agilitate manuum suffurantur, ac illudunt; ita & Rhetores suis cauillationibus* D *iudicum animis tenebras effundentes, suffurantur legi calculos suos.* Athenæus lib. 12. ponit Acetabularios, machinatores, qui præstigias, & offucias faciunt. Greg. Nazian. in Athanas. inquit: *Sed idem erat calculis ludere decipientibus oculos celeritate transpositionis, aut omni genere effœminatarum ratibnum insultare auditoribus, & de Deo aliquid nouum dicere, & audire.* Apuleius de Asino lib. 1. Circumlatorem aspexi equestrem spatham præacutam mucrone infesto deuorasse. Victorinus Afer: *Circumlatores, qui animos hominum sensusque quadam specie veritatis illudunt.* De quibus Celsus lib. 5. de Medic. cap. 26. Horat. Satyr. 2. *Acetabularij seu circumlatores.*

Similes prædictis Funambuli fuerunt, qui exercitatione docti & agilitate corpo- *De funambulis.*

corporis subnixi suspenso vestigio in funibus currerent. Iustinus ad Zenam sursum, deorsumque per funem ire. Nicephor. Greg. inquit: *Deinde clausis oculis, assumpto in humeros puero, per aerem quasi ingrediebatur in fune ex altero ad alterum malum*. Artis enim fuit suspendere, & librare vestigia, ne alteram in partem flecterent: quod vt tutius fieret, pondera manibus apprehensa exæquabant, vt pari libramento ingrederentur, Nazianz. in Apolog. inquit: *Vt ijs, qui in ligno alto & suspenso ambulant, non tutum est in hanc vel illam partem propendere vel leuiter; securitatem autem affert ijs æquale libramentum*. Cyprianus de Ieiunio Christi inquit: *Quasi nouus funambulus in excelso pendulus se deorsum ad spectaculum vulgi iactet intrepidus*. Elephantes quoque funambuli dati sunt. Plinius lib. 8. capit. 2. *Postea per funes incessere lecticas etiam ferentes*, Sueton. in Galba cap. 6. in Neron. cap. 11. Catadromum vocat funem, per quem elephas decurrit. Dio in Nerone: *Elephas per funem decurrit sessorem ferens*.

Ridiculi.

Comœdiam in Ridiculo versari: hinc Arist. lib. Poet. cap. 5. ait Ridiculum est peccatum quoddam, & turpitudo doloris expers, & innoxia, velut ridicula persona turpe aliquid & distortum habens sine dolore. Demetrius Phalereus: *Dores omnia pingui, & lata pronunciatione efferunt, quare & ij qui carpebant alios in Comœdia non Doricè loquebantur, sed Atticè & acerbe*. Latini dictiosos vocant, mordaces, vbicarios, &c. Horat. Epod. Ode. 6.

Aut si quis atro dente me petiuerit,
Inultus vt flebo puer.

Hieronym. lib. 2. ep. 19. Tabido ore fœuire, & tincta facie viperinis orbibus, dentibus pumiceis carpere. Cicero pro Balbo, Dente maledico carpere. Alia sunt dicta iocularia & mimica, quæ risum excitant, & ab ijs dicuntur *Faceti*, aut si effusè & impudenter ridiculi sunt, Arist. Nicomach. lib. 2. *Qui nimis sunt in ridiculis, parasiti videntur esse, molesti, appetentes cuiusuis ridiculi, & magis studentes risum efficere, quam apta & honesta dicere. Qui autem concinne iocantur, dicuntur faceti, & elegantes. Hoc videre est ex antiquis Comœdijs, in quibus turpia dictu risum mouebant, in nouis autem suspicio turpium risum excitat*. Depinguntur à Claudiano.

Qui lætis risum salibus mouisse facetus.

De Parasitis.

In Mimis ferè secundarum partium fuere Parasiti, vnde Seneca lib. 3. de Ira optimum iudicauit quicquid dixisset sequi, & secundæ agere, idest assentari, supparasitari. Horatius.

——— Mimum partes tractare secundas.

Parasitorum erat in conuiuijs canere, & assentari, Iuuen. Satyr. 14.

——— Et cantus pernoctantis Parasiti.

Lib. 2. Græcorum epigram. inquis Interpres; *O venter impudens, per quem Parasiti adulatores iusculo vendunt leges libertatis*. Parasiti nomen nunc sordidum & infame est, apud antiquos sanctum: perinde autem erat, ac si dixisset coepulonem. Athenæus lib. 6. in Palleuide: *Donarijs inscriptum est; hæc Prætores, & Parasiti dedicarunt aurea corona coronati. Prætorium erat Parasition: parasiti qui electi sunt ad eligendum sacrum frumentum*. Et idem Auctor hæc habet: *Locus is, in quo parasiti primitias sacri frumenti ponebant, dicebatur parasition: singulis Prætoribus duo erant Parasitia*. Postea viluit nomen ex eo forsan, quia accipiebant ab alijs quibusque etiam impudenter: vnde Muscæ dicti à veteri Poeta ibi; *Vt non vocatus prandeam musca sum*. Iidem dicti etiam Adulatores. Alexis de Parasitis. *Illi non est necesse, vt me vocet, inuocatus adero. Tunc autem facetus sum, & multum risum excito, & eum, qui conuiuium præbet, laudo*. Vmbræ dicti sunt Parasiti: quemadmodum vmbra sequitur corpus; sic illi sequuntur ad conuiuia. Horat. lib. 1. ep. 5. dixit.

——— Locus est & pluribus Vmbris.

Et idem Horat. Satyr. 8. lib. 2. dixit: *Quas Mecœnas adduxerat vmbras.*

Non

A Non in Theatro modo Moriones, Sanniones, Miriones, & cætera eiuſmodi hominum propudia in ſcenam inducebantur, ſed etiam in diuitum ædibus alebantur ad riſum & ludibrium. Clemens Alexandr. lib.3. cap.4. Pædag. conqueritur mulieres faſtidioſas *Accumbere ijſdem in lectulis cum Morionibus capite acuto, ludentes cum ijs, & ſe oblectantes ſicinnis illis portentoſis, & Therſiten audientes ridere*. Eaſdem ait Arnobius lib.7. delectari ſtupidorum capitibus raſis. Sannionas nonnulli dictos putant à Sannis Aſiæ Populis. Iuriſconſulti eos eſſe liberos negant, qui contra formam humani generis conuerſo more procreantur, puta monſtroſa, aut prodigioſa, l. non ſunt D. de Statu hominis. Plinius ep.17. lib.7. Moriones fatuos vocat. Lampridius de Alex. Seuero: Nanos, Nanas, & Moriones, & Vocales exoletos, & omnia acroamata, & Pantomimos (quos Heliogabalus in delicijs habuerat) populo donauit. Sannionesà Sanna verius dictos: Sanna enim eſt os diſtortum cum vultu, auctore Probo. Iuuen. Satyr.6.

De morionibus & sannionibus.

Qua ſorbeat aera ſanna.

B Cicero 2. de Orat. *Quid poteſt eſſe tam ridiculum quam ſannio eſt? ſed ore, vultu, imitandis moribus, voce denique, corpore ridetur ipſo*. Hinc ſanna, ſubſannator dicuntur Moriones & Miriones, Martial. lib.6. epigr.41.

Hunc vero acuto capite, & auribus longis,
Quæ ſic mouentur, vt ſolent Aſellorum,
Quis Morionis filium neſcit Gyrta?

Miriones eoſdem eſſe volunt cum Morionibus. Varro lib.5. L.L. à miris, ideſt monſtris appellatos eſſe vult; vnde miraculæ meretrices: nam miracula auctore Feſto in rebus pudendis ponuntur. Tertull. Mirionem diſtorti oris vocat. Hinc ego delineatos propono Sanniones ex ære in meo Muſæo Gibbos, capite, & ore diſtortis, vt apparet, quorum vnum humaniſſimè mihi dono dedit Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. DD. M. Ant. Cuccinus Imolenſis Præſul antiquitatum & eruditionum omnium amantiſſimus.

C



D

Quæ origo ludis ſcenicis fuit, eadem & Hiſtrionibus, ſiue ab Agricolis res nata ſit, ſiue ab ijs, qui è plauſtro dicta iacerent: Romæ certè ab Hetruſcis accerſiti artifices, motus inconditos dederunt. Liuius lib.7. Caio Sulpitio Pætico, & C. Licinio Stolone Coſſ. Iuuentus deinde eos imitari inconditis

De hiſtrionibus.

verſibus

versibus cœpit, nec absoni à voce motus erant. Proprium nomen eximij artifieis Hister fuit, à quo cæteri dicti sunt Histriones. Plutarch. in Romul. *Dicunt enim iam olim C. Sulpitio, & Licinnio Stolone Coss. pestilentem annum Romæ omnes eos, qui in scenam ascenderent, corrupisse: cum autem precibus id contenderent ex Tyrrhenia multi artifices venere, quorum princeps, qui felicissimè omnium in Theatris versatus est, ac diutissimè, dicebatur Hister, à quo cæteri dicti Histriones.* Tertull. lib. de Idololatr. Histriones non manibus solis, sed totis membris victum elaborare ait. A

De ludijs seu lydionibus. Ludij, sicut & ludi ipsi à Lydis profecti & appellati, auctore Herodoto lib. 1. his verbis: *Chorus erat citharistarum, & satyrorum adinstar pompæ Tyrrhenicæ: omnes baltheo accincti, coronam auream capite gerebant, & æquo gradu gradiebantur ordine cum cantu, & saltatione. Ludios eos vocat, quia Tyrrheni Lydorum coloni sunt.* De rudi eorum saltatione & tibiæ cantu Ouid. lib. 1. Artis aman.

Dumque rudem præbente modum tibicine Thusco
Lydius æquatam ter pede pulsat humum. B

Erant igitur Ludij adolescentes imberbes, impuberes, glabri, tunicis insignibus amicti, galeas, parmas, gladios gestantes, qui in pompis theatralibus ordinatim incedebant, & in numerum saltabant, vt Salij, vel vt ait Nonius Ludij, quod ludis pueri præsules essent glabri, ac depiles propter ætatem, quos antiqui Lydios appellabant, vt est in lib. 1. Varronis de Vita Pop. Rom. Fuere & Ludiæ. Statius lib. 1. Syluar.

Hoc plaudunt grege Ludiæ tumentes,
Illic cymbala, tinnulæque Gades
Illic agmina confremunt Syrorum.

Describit hanc pompam Halicarnass. lib. 7. ibi: *In omnibus pompis inuestes pueri, tunicas excellentes induti, galeasque, & enses, & parmas habentes ordine ingrediuntur, ijdemque sunt pompæ duces à Lydis auctoribus Ludiones appellati.* Et infra: *Ornatus Saltatorum erant tunicæ puniceæ baltheis æreis accinctæ, & enses suspensi è baltheis, & hastæ modicis breuiores.* C

De planipedibus. Planipedes dicti sunt, quia non in podio, sed de plano agerent, pedibus tamen nudis; & vt pedaneus curuli opponitur, sic planipes Mimo Diomedes lib. 3. Planipes latinè dictus, quod actores planis pedibus, idest nudis in proscenium introirent (sine cothurnis scilicet aut soccis) quod olim non in suggestu scenæ, sed in plano Orchestræ positis instrumentis musicis actitabant. Excalceatos pedes planipedis intelligit Seneca lib. 1. epist. 8. *Planipedia autem fabula, inquit Donatus, dicta est ob humilitatem argumenti eius, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut socco vtuntur in scena, aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negocia continet, quæ personarum in turribus, aut cœnaculis habitantium sunt, sed in plano & humili loco.* Planipedes ipsis etiam mimis inferiores sunt; sicuti & Comœdi Histrionibus, Auson. Epigr. 11.

Nec de Mimo Planipedem, nec de Comœdis Histrionem.

Erant autem Planipedes distorta facie. Fab. lib. 5. cap. 11. *Vt Cassius quis istam faciem planipedis senis torquens.* Saltabantque ad tibicinem, Gell. lib. 1. c. 11. D *Quid enim foret ista re ineptius, si vt planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros, & modos et frequentamenta quædam varia tibicen incineret?* Et verba obscena iaciebant, Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 1. *Vicem planipedis, & fabulonis impudica, & prætexta verba iacientis.*

De mimis. Mimi dicta & facta hominum ita imitabantur, vt actionem suam grauitate sententiarum iocis interpositis condirent; quorum alij fuere ridiculi & obsceni, alij graues. Vlpian. 2. Olynth. *Mimi Sophronis Poetæ graues sunt: alij mimi ridiculi.* Propriè tamen mimi ridiculi, Diomed. l. 3. *Mimus est sermonis cuiuslibet motus sine reuerentia, vel factorum cum lasciuia imitatio.* Ouid.

Scri-

A *Scribere si fas est imitantes turpia mimos.*
Quid si scripsisses mimos obscœna iocantes?

Plutarchus pro Circulatore posuit, cui canis fabulæ partem peregerit libr. de Animant. solert. inquit: *Cum adesset Canis mimo fabulam agenti pluribus personis constantem, & alios gestus agebat rebus idoneos, & similis erat tremenți, lapsanti, & ebrio pharmaco sumpto; denique se ipsum extendens, quasi mortuus iacebat, præbebatque se trahendum, & circumferendum.* De Mimis autem actoribus. Petronius.

Grex agit in scena mimum, Pater ille vocatur.
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Mimorum rasa capita fuere. Arnob. lib.7. Delectantur stupidorum capitibus rasis. Iuuenal. Satyr.5.

——— *Omnia ferre*
B *Si potes & debes, pulsandum vertice raso,*
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Tertull. lib. de Spectac. cap.23. Placebit & ille, qui vultus suos nouacula mutat, infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, & Isidi, & Libero proximam facere; insuper contumelijs alaparum sic obijcit, quasi de præcepto Domini ludat, Seneca de prædictis ep.11. *Artifices scenici, qui imitantur affectus, qui motum & trepidationem exprimunt, qui tristitiam repræsentant, hoc indicio imitantur verecundiam: deiiciunt enim vultum, verba summittunt, figunt in terram oculos & deprimunt.* Lactant. lib.6. cap.20. quid de Mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam, qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? Mimi & histriones varias personas induebant. Lucian. in Necromant. inquit: Vidisti sæpe in scena tragicos istos actores, qui vt res postulat, iam Creontes sunt, Priami, aut
C Agamemnones: idem paulo post Cecropem, aut Eretheum agens, iussit Poetæ mendicus procedit. Fabula autem finita, exuta veste auro intexta, & persona deposita, & cothurnis, pauper ac humilis errat, non iam Agamemnon aut Creon, sed Paulus Sunienſis filius Charulei, aut Satyrus filius Theogitonis. Et quatenus etiam prædicti per dedecus eorum Deos repræsentent, Tertull. in Apolog. inquit: *Dispicite Lentulorum & Hostiliorum venustates, vtrum mimos an Deos vestros in iocis & strophis ridentes, Mœchum Anubim, & Masculum Lunam, Dianam flagellatam, &c.*

De pantomimicis & alijs saltationibus.

Cum variæ & celebres fuerint saltationes, nulla illustrior, aut gratior fuit saltatione Pantomimica, quam licet Suidas sub Augusto natam velit, multo tamen ante fuisse constat, cum Aristotel. lib.1. cap.1. Poetic. dixerit ipso rhythmo sine vocum & cantus modulatione res gestas saltatores imitari, ibi: *Saltatores ipso gestu, sine concentu & harmonia imitantur: quia per gestus & motus imitantur & mores, & affectus, & actiones.* Plutarch. cap. vlt. lib.9. Symp. inquit. Pictura est saltatio muta, & saltatio loquens est pictura tacens. Emi-
D cuit ea ars sub Augusto, Bathyllo, & Pylade ducibus, quos Paris, Hylas, & Caramallus secuti sunt. Pylades ait Seneca lib.3. Controu. in Comœdia, & Bathyllus in Tragœdia saltationem venustè peragerunt. Ea saltatio fuit tumens affectibus, & planctu, plena ex Athenæo lib.1. cap.17. Bathylli saltationem satyricam expressit Horatius lib.2. ep.2.

Ludentis speciem dabit, & torquebitur, vt qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa moretur.

Pyladis saltationem significat Artemidorus lib.1. cap.78. ibi: *Regias personas imitatur, & multos habet, qui subseruiant, saltator.* Fuerunt alij celebres Pantomimi, de quibus Sidonius in Narbone.

Coram te Caramallus, aut Phabaton, A
Clausis facibus, eloquente gestu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu,
Toto in schemate, vel semel latebit.

Inter veteres Pantomimos M. Nestor non postremum locum tenuit, quem Caligula etiam inter spectacula osculabatur, ac si quis saltante eo, vel leuiter obstreperet, detrahi iussum, manu sua flagellabat, ait Sueton. in Caligul. cap. 55. Huic hominum generi tantum honoris est habitum, vt equites & Senatores atque adeo fœminæ primæ nobilitatis latus ijs darent: quod ne in posterum fieret, edicto cautum est, ne domum Pantomimorum Senator introiret, ne egredientes in publicum equites Romani cingerent: ait Tacitus lib. 13. De prædictis inquit Athenæus: *Loqui per saltationem*. Delineat hanc corporis conformationem Claudian. in Eutrop. lib. 2.

Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet, verrat quis marmora crine supino? B
Quis magis enodes laterum detorqueat artus?
Quis voci digitos, oculos quis moribus aptet?

Hanc partem musicæ disciplinæ mutam nominauere Maiores, scilicet, quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut scripturæ textu possit agnosci, ait Cassiodor. Fuere olim quos etiam hodie in publico spectauimus, iuuenes, & fœminæ, quorum corpora ita mollia, flexibilia essent, vt resupinato dorso, & capite cliui, ac propendulo terram lamberent, & rotæ instar flecterentur, de quibus egit Chrysost. Orat. de Iureiurand. ibi: *Cum iuuenis aliquis se ipsum tradiderit ijs, qui corpus eius mollire ac frangere, membraq; inflectere voluerint, certaueritque accuratè corpus omne conuoluere rotæ instar, & volutare in terra, & coegerit per oculorum, manuumque motum, ac circulationem, aliamque volubilitatem in sexum muliebrem abire*. Et infra: *Qui autem alternis enses in aerem iaculantur & omnes manibus excipiunt.* Hi rhythmi & gestus erant, vt plurimum obscœni. Cyprian. epist. 103. superinducitur homo fractus omnibus C membris, & vir vltra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, vt desaltentur fabulosæ antiquitatis libidines. Clemens l. 2. Pædag. cap. 10. inquit: *Saltatorum illorum mollium, & fractorum, qui cinædicam mutam artem in pulpita inducunt, vestem tam contumelioſè defluentem, desidiæ pusillanimæ attractionem ostendunt*. Cinædi dicti sunt apud veteres saltatores & Pantomimi, vt vult Nonius, quod *Pudenda commouerent*. Lactantius in Epitom. cap. 14. Histrionici etiam impudici gestus, quibus infames fœminas imitantur, libidines, quas saltando exprimunt, docent August. l. 7. cap. 26. de Ciuit. Dei inquit: *Veneris lasciuiam, stupra, & turpitudines cæterorumq; proferremus de libris, nisi cottidie cantarentur & saltarentur in theatris.* Quamquam in theatris saltationes plerumque impudicæ & salaces; quædam tamen in conuiuijs & nuptijs minus fœditatis: & hunc saltationis modum expingit Lucretius lib. 1.

——— *In numerum procedere, membra mouere*
mollia mobiliter: cum alternis brachia mittunt, D
Et repetunt oculis gestum pede conuenienti.

Homerus Odysseæ lib. 1. Alij dedit Deus bellicam virtutem, alij saltationem & cantiunculam amabilem. Nonnus Dionysiac. l. 18. ibi Cymbala sonabant, fistulæ autem Panicæ ad mensam bene sonantem bombum edebant, tibiæ fremebant implexæ, & circulus grauiter sonantis tympani dupli strepitu tinniebat in ædibus, & sonus erat crotalorum ad cœnam. In medio autem vino grauis Maro ferens instabilem impetum tremuli pedis ibat huc & illuc oestro agitatus.

De personis. Personæ dictæ sunt à personando: nam caput & os cooperimento per-

sonæ

A ſonæ tectum vndique, vnaque tantum vocis emittendæ via peruium, quoniam non vaga, neque diffuſa eſt, in vnum tantummodo exitum collectam, coactamque vocem, & magis claros, canoroſque ſonitus facit. ait Gellius lib 5. c.7. ſcribunt Columel. l.7. c.18. & Plin. lib. 21. c.15. perſonam herbam eſſe paſtinacæ ſimilem, quæ folijs latis faciem tegat: Zoneras ficus folia fuiſſe, quibus triumphum ſecuti vultum tegerent. Pollux lib. 2. ſcribit: *Proſoputa vas æneum eſt, echino aſſimile, cui ad os afficti vultus Leonum, Boum, &c.* Perſonas ab Aeſchylo repertas volunt Horat. in Arte Poet.

Poſt hunc perſonæ, palliæque repertor honeſtæ
Aeſchylus.

Et Suidas: *Aeſchylus primus reperit perſonas horrificas oblitas, quibus Tragici, ſicut & calceis embatis, ſeu cothurnis, vterentur.* Nam ante eum abſtinuere, contenti minio vultus, aut fœcibus oblinere authore Theſpi. Horat.

——— *Et plauſtris vexiſſe poemata Theſpis,*
Quæ canerent agerentue peruncti fœcibus ora.

B Romæ perſonis vti cœpit Roſcius Gallus oculis peruerſus, nec ſatis decorus in perſonis, vt ſcribit Diomed. lib. 3. Perſonati primi egere Comœdiam Cincius, & Faliſcus, Tragœdiam Minutius & Prothonius auctore Donato. Crates Athenienſis primus ebrios in Comœdiam induxit: huiuſmodi perſonæ Manduci à Latinis dicuntur, Pollux lib. 10. Manias etiam Feſtus interpretatur turpes, deformeſque perſonas, vt ſint ficta quædam ex farina in hominum figuras, erantque ore hianti, de quibus Prudentius in Symmachum.

Vt tragicus cantor ligno tegit ora cauato,
Grande aliquid cuius per hiatum crimen anhelet.

A Luciano de Saltat. ita deſcribitur: *Homo quidam extructus in proceritatem abſonam, & abſurdam, qui calceis altis, quaſi quodam equo inueheretur, perſonam, faciemque habens ſupra caput ſublatam, & os hians maximum, faſcia ante pectus, & ventrem, pinguedinem exuberantem aſſimulans.* Dixi vo-
C cari Manducos, Lamias, &c. de quibus Plautus in Rudente.

Quod ſi aliquando me pro Manduco locem?
Quia pol clare crepit dentibus ———

In perſonis ſæpe Batani, Aethiopes, Germani, quaſi abſurdæ, & horrificæ perſonæ repræſentabantur. & de Batauis Martialis.

Sum figuli luſus rufi perſona Bataui,
Quæ tu derides, hæc timet ora Pater.

Fuerunt perſonæ, quæ vultum illuſtrium virorum, aut fœminarum repræſentarent, Sueton. in Neron. cap. 21. *Tragœdias quoque cantauit perſonatus, Heroum, Deorumque, item Heroidum, ac Dearum perſonis effictis ad ſimilitudinem oris ſui & fœminæ, prout quamque diligeret.* Eiuſmodi perſonæ erant ex ligno, fæce, folijs, cortice, teſtis, & ſimilibus, Virgil.

Oraque corticibus ſumunt horrenda cauatis.

De Perſonis Tertull. lib. de Spectac. cap. 23. inquit: Iam vero ipſum opus perſonarum quæro an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri,
D quãto magis imaginis ſuæ? Non amat falſum auctor veritatis. Adulterium eſt apud illum omne quod fingitur. Proinde vocem ſexus, ætates mentienteur, amores, iras, gemitus, lacrymas adſeuerantem non probabit, qui omnem hypocriſim damnat.

Erant in Scena Monitores, qui actoribus verba ſuggererent, ſi forte memoria laberentur. Feſtus, hiſtriones in ſcena ſuos habẽt monitores. Plutarch. in Polit. *Imitari oportet hiſtriones, qui monitorem audiunt, & tenorem ac modum datæ ſibi poteſtatis non egrediuntur.* Erant & Præcones, qui audientiam impetrarent populo, & voluntatem Imperatoris & iuſſa ſignificarent, actoreſq; populo oſtentarẽt. Plaut. in Pœnul. *Exurge Præco fac populo audiẽtiam.* *De monitoribus præconibus &c.*

Dio lib. 58. de Claudio. Præconibus raro vtebatur, sed vt plurimum in tabellis scribebat, quid animi haberet, ac populo indicabat. Erant qui populo significarent, quid agendum mox esset in scena. Synesius lib. 2. de Prouid. *Oportet aliquem antequam ludi committantur prodire, qui populo renuntiet, quid iam spectaturus sit*. Erant qui noctu faces spectatoribus in theatro accenderent, & abeuntibus è theatro prælucerent. Xiphilinus in Tiberio scribit, Seianum per 500. pueros caluos abeuntibus è theatro faces prætulisse. A

De caluis scenicis. Calui Mimi, capite raso planipedes. Festus, & Pollux scribunt, eos qui Lenonem agerent, recaluastros fuisse. Cicero pro Roscio Comœdo: *Qui idcirco capillo, & supercilijs est rasis, ne vllum pilum viri boni habeat*. Depugnabant calui in scena, Synesius de Caluitio. Videre est ei qui spectaculo frui voluerit, hominem in Theatro, qui multam & gratam populo præbet exercitationem. Hic est ex eorum numero, qui non naturæ sponte, sed data opera calui sunt, qui in populi oculis versatur eo animo, vt capitis robur ostendat, cui nihil eorum quæ difficilia sunt, difficile est; verum & cum pice feruenti componitur, & arietat cum ariete ad id docto: deficiunt autem fictilia vasa Megarensium hoc capite confracta, secantur, ac conscinduntur. Cyprian. ep. 103. *Ictibus infelix facies locatur, vt infelicior venter saginetur*. Tertull. de Spectac. *Insuper contumelijs alaparum sic os objcit*. B

De mercede scenicis data. Demosthenes, vt habetur in Orat. pro Corona decreuit, *Ne architector, & magister theatri locum daret Legatis, quem alioqui habuissent duobus obolis solutis*. Duos enim obolos soluebant. Aristoph. in Vespis. *Spectaui duos obolos ferens*. Vbi Scholiastes, qui è tabulatis & foris spectabant, duos obolos præbebant. Solon legem tulit, vt spectaculis ludorum tres drachmæ soluerentur priuato cuique, & duæ aliæ in publicum conferrentur. Plutarch. in Solone. Varia à varijs Imperatoribus merces histrionibus constituta est. Antoninus enim Philosophus temperauit scenicas donationes, iubens vt quinos aureos scenici acciperent, ita tamen vt nullus editor decem aureos egrederetur, vt ait Capitolinus in Antonino. Philo, & Lamprid. in Alexand. Alexander Imp. arcarios instituit, qui de arca fisci ederent munera. Roscius tamen mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus accipiebat, vt scribit Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 14. Scenicis autem honor habitus, docet Augustinus lib. 2. de Ciuit Dei cap. 10. Nam & interdum & Ciuitate donati, & Corona, & pecunia. Synesius in Aegyptio inquit: *Etenim in vetulæ persona agenda coronatur & prædicatur; in Regis persona peccans explauditur & sibilatur*. Sueton. in Nerone cap. 53. *Exijt opinio post scenicas coronas proximo lustro descensurum eum ad Olympia inter athletas*. Scenicæ autem coronæ Romæ ex ære Cyprio factæ, auri speciem præbente, Plin. l. 34. cap. 8. & Sueton. in Claudio cap. 11. de Mercede histrionum Arnob. libr. 4. *Et quod nullis possit expiari satisfactionibus, exoletis, atque irrisoribus numinum dona instituuntur, & munera, ab officijs publicis immunitas & vacatio cum coronis*. Lactant. lib. 5. cap. 20. *Quid hæc religio, aut quanta maiestas putanda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris, & qui hæc fecerint non pœnas violati numinis pendunt, sed honorati etiam laudatique discedunt*. Iam vero moris Romæ fuit vt gratis spectarent: neque enim à populo quicquam theatralis pecuniæ exactum, tamen sponte in ludos stipem spargebant: quod institutum est. S. Posthumio, Q. Martio Coss. C D

De plausu & sibilo. Plausus penè ludis omnibus si placuissent, datus est, & ab histrionibus expetitus. Quintil. lib. 5. inquit: *Tunc est commouendum theatrum, cum ventum est ad illud ipsum, quo veteres Tragœdiæ Comœdiæque clauduntur. Plaudite*. Plautus in Truculento.

Spectatores bene valete, plaudite, exurgite.

Idem in Curculione, Amphitryone, Captiuis inquit: *Clare plaudite, plausum date, &c.* Horat. de Arte.

Donec

A *Donec Cantor vos plaudite dicat.*

Interdum etiam exſibilati ſunt hiſtriones, ſi parum probarentur. Cicero in Paradox. *Hiſtrio ſi paulum ſe mouit extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſt ſyllaba breuior, aut longior, exibilatur, exploditur.* Et idem lib.3. de Orator. *Quotus quiſque eſt, qui teneat artem numerorum, ac modorum? At in his ſi paululum modo offenſum eſt, vt aut contractione breuius fuerit, aut productione longius, theatra tota reclamant.* Pollux lib.4. cap.19. *Tabulata plantis pedum verberare.* Quod faciebant cum aliquem ſibilo eijcerent. De plauſu Tacitus lib.16. *Et plebs quidem Vrbis hiſtrionum quoque geſtus iuuare ſolita, perſonabat certis modis plauſuque compoſito.* Seneca epiſt.29. *Si intrante te clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint.* Plauſus illi ſæpè empti erant, Martial.lib.7. ep.73.

Vendere nec linguam Siculis, plauſumque theatris.

Viri ambitione præditi pecuniæ non parcebant vt hos plauſus extorquerent. Cicero pro Sextio: *Emptos plauſus, & exiles, & raros leuitate nonnullorum*
B *theatrales, & gladiatorij conſeſſus exhibent.* Ouid. lib.1. de Arte.

In medio plauſu, plauſus tunc arte carebat.

Laudatur quoque hac noſtra ætate theatralibus in ludis Roma: non vt alias Circi furentis, Caueæ ſæuientis, & ſcenæ laſciuientis voluptatibus; vt iam vidimus: ſed hilaritate & honeſtate præſcripta. Inchoat ſiquidem fabulam, perficitque concentus. Agunt Modos Muſici Romani; hoc eſt Muſicorum Reges. Machinamenta & automata pluſquam regia: vſitatum quippe ibi tranſuolare cum leui nube, cum igne erumpere, cum pegmate euaneſcere: maria terris naſci: valles aſcendere, montes ſubſidere, alium in orbem momento tranſmigrare: ſenſu periucundo ſequi triumphantes Diuos, ac Cælum curru ſulcantes. Nam choros, ſaltationes, ſyrmata perſonarum, & reliquum choragij apparatum, haud facilè ſit animo æſtimare; tanta ſunt quæ videntur: & vt olim cum odoribus apud priſcos Romanos fabula agebatur; etiam hodie quidquid vſpiam floreum apud nos viuit, in veris ſcenæ
C primas ſuſtinet: exitu plerumque Tragico; nam & florum regibus vitæ ſed caduca ſors: & quibuſdam etiam in primo actu ſanguis purpurat.

Machinamenta etiam hodie in ſcena.

Dixi de his, quæ in ſcena repræſentabantur; vt iam obſerata cortina demum auditores, ſeu lectores dimittam.

Hæc habui ex his, quæ olim à priſcis Gentilibus & à Romanis præſertim in impudico, & infami theatro, ſeu ſcena repræſentabantur: hinc nos Chriſti fideles aliquid ad noſtrum prouentum myſticè intueamur, qualiter in eodem theatro & in tragico potiſſimum primum immodica cantus, luſus: & triumphorum petulantia intercedebat: at demum proditiones, rixæ, & cædes opus claudebant; vt teſte Seneca: *Extrema gaudij luctus occupat.* Nec diſſimile certe hominibus ſæculi ſectatoribus continget, quippe inter mundi delicias, cum in bonis duxerint dies ſuos, in puncto ad inferna deſcendent. Dum viuimus; verſamur in hac mundi ſcena, in qua ſinguli partes ſuas tuentur; ille Regis, domini, docti, diuitis, nobilis: alter ſerui,
D mancipij, indocti, pauperis, ignobilis. Cortina per mortem reducta, redimus ad priora, ad animæ & corporis paritatem; ad vnum Patrem, & iudicem filij & rei, peractæ ſcenæ rationem reddituri, præmiaque aut pœnas relaturi. Hic vides non inferiora præmia, aut pœnas à ſcenæ magiſtro referri, qui ruſticum & ſeruum benè, maleue expreſſit, quam qui nobilem & Regem. Luſit in hanc rem egregiè Petronius.

Myſtica conſideratio.

Grex agit in ſcenam mimum, Pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

Eadem

Eadem in illa Domini die reperies; ſed & eum qui hic Deum ſecutus monentem, ſuadentem; ſerui perſonam ſuſtinuit bene, regia non raro inter cælites æternatura donandum corona; cum non pauci Regum ſeruitutem ſeruient omnium infeliciſſimam, numquam inter æternos ignes deponendam. Mutat nimirum tribunal illud Domini theatrum, ſcenam; & è Dominis ſeruos, è ſeruis Dominos ſtatuit: præmiat ſeruos, punit Dominos. Beati ſerui, quorum præmia felici & perenni commẽſurantur libertate; infelices Domini quorum pœnæ infelici & æternæ reſpondent ſeruituti. Nulla tunc erunt in illa die amplius diſcrimina purpuræ & ſagi; non ſceptri & ligonis; non doctæ & indoctæ mentis; non diuitis & pauperis: non Domini, Regis, ſerui. Sola enim virtute ibi diſcriminabimur; ſolis meritis, demeritiſque diſcernemur. Dura nimis ſors Regum, Principum, ſæculi magnorum, diuitum, nobilium, doctorum, ineruditæ, egenæ, vili, & toties pedibus calcatæ æquari plebi, Hoc, inquam. Magnatibus & Purpuratis euenit, vbi forſan cras, forſan hodie, forſan hac hora fabulæ, quam agimus, reducta cortina fuerint expurpurati, exſericati, nulla dignitatis cuiuſcumque prærogatiua, nullo diſcrimine ſceptri & ligonis, tremuli ſtabunt. Vera nimis hæc ſunt & aduertenda. A B

De Veſtimentis Romanorum. Cap. VIII.

QVantus apud Romanos fuerit luxus & pecuniarum effuſio circa eorundem veſtimenta & cultum: præter à ſcriptoribus relata breuiter nos etiam aliqua perſtringemus: ſumam igitur primum à Cenſore Seneca lib. 7. Natur. quæſt: his verbis: *Quidquid eſt boni moris, extinguimus leuitate, & politura corporum: Muliebres mundicias anteceſſimus, colores meretricios matronis quidem non inducendos, viri ſumimus: tenero & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus ſed incedimus: exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur.* Iſta de viris, quid de Iuuenibus? Pater illius Senecæ 1. Controuerſ. *Torpent ecce ingenia deſidioſæ iuuentutis, nec in vllius rei honeſtæ labore vigilatur: cantandi, ſaltandique obſcena ſtudia effeminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditijs, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Quis æqualium veſtrorum, quid dicam ſatis ingenioſus, ſatisſtudioſus, imo quis ſatis vir eſt? Emolliti, eneruesque quod nati ſunt, inuiti manent, expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes ſuæ.* Luculenter vtramque ætatem ab vtroque ſcriptore laudatam. C

De fœminis addam, quas ſcimus cum venia peccare, vbi viri gradum ſtruunt? Hinc Propertius.

Matrona incedit cenſus induta Nepotum.

Seneca iterum: *Video vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos: iunguntur inter ſe, & inſuper alij bini ſuperponuntur: non ſatis muliebris inſania viros ſubiecerat, niſi bina, ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent.* Ille de auribus queritur, & de toto corpore Manilius. D

Perque caput ducti lapides, per colla, manuſque,
Et pedibus niueis ſulſerunt aurea vincla.

Pedibus non ſolum aurum, ſed & gemmæ ſcribit Plin. *Non crepidarum tantum obſtragulis, ſed & totis ſocculis addi: neque enim geſtare iam margaritas, niſi calcent, ac per vniones etiam ambulent, ſatis eſt.* Et idem pro faſtigio inſaniæ addit, *Viſam à ſe Lolliam Paulinam ne ſerio quidem, ac ſolenni cæremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium tantum ſponſalium cœna, ſmaragdis, margaritiſque*

A *tisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque: que summam quadringenties HS. colligebant.* Monstra hæc non ferenda, vt vna mulier in vno cultu decies centena millia Philippicum habeat ad cultum, ad vestem.

Quamuis viros ac fœminas de Vestibus lasciuisse, negari nec excusari valeat: ferendus tamen in nugis ille sexus ad seria non aptus: sed viri parum, aut nihil in veteri Republica sub Principibus cœpere, nec Principibus ipsis inuitis: nec Augustus & sagaciores illi ignorarunt frangi, aut mitigari altos & generosos animos vestium, conuiuiorum, aut ludorũ delitijs; sed præcedentibus id temporibus negatur, cum vt refert Liuius: *Nulla vsquam Respublica, nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in qua tam seræ auaritia, luxuriaque immigrauerint: nec vbi tantus, & tamdiu paupertati, & parcimoniæ honos fuerit.*

Nos autem in Vestimentorum ratione apud priscos Romanos, à superioribus ad inferiora: deinde vero ab intimis ad exteriora progrediemur: post
B hæc ad ornamenta, colores & alia huiusmodi deueniemus.

Vestium cognitio quantum ad veram multorum veterum scriptorum sententiam intelligendam faciat, non opus est explicatione. Sunt autem Vestimenta, vt docet Vlpianus, aut virilia, aut muliebria, aut communia; eaque vel induendi, vel præcingendi, vel amiciendi, vel insternendi, vel incubandi causa parata.

Et quoad primum Heroes, ac priscos Romanos præcipuè militantes pellibus indutos, quorum tentoria pellibus etiam integebantur, Valer. lib.8.c.2. ibi: *Neue tentorium ex pellibus haberet.* Hoc sanè antiquum anno ab V.C. 327. vsurpatum. Liuius 1. Decad. lib.5. *Nam in Veiorum obsidione primum sub pellibus hiemare cœperunt.* Et sub Nerone Tacitus l.13. *Retentus omnis exercitus sub pellibus, quamuis hieme sæua; adeo vt obducta glacie nisi effossa humus, tentorijs locum non præberet.* Ex ijsdem pellibus vestitus primus hominum fiebat. Lucretius lib.5. *Romanos pellibus indutos.*

C *Tunc igitur pelles; nunc aurum, & purpura curis*
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.

Et eodem libro.

Nec dum res igni sciebant tractare, neque vti
Pellibus, & spolijs corpus vestire ferarum.

Et Romanos ipsos pellitos in initio Vrbe iam condita fuisse, loquitur Propert. lib.4. eleg.1.

Curia prætexto, quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit ruflica corda Patres.

Induebantur etiam milites Lacerna, de qua Isidorus lib.19. capit.24. refert fuisse Pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur, quæ etiam Penula dicebatur; vnde in distinguenda castrensi, vrbanaque turba; hos togatos, illos lacernatos vocabant. Ouid lib.2. fast. *Lacerna.*

Mittenda est Domino, iamiam properate puellæ,
Quam primum nostra facta lacerna manu.

D Sueton. in August. cap.40. in fin. negotium Aedilibus dedit, ne quem posthac pateretur in foro, circoue, nisi positis lacernis togatum consistere. Iuuen. Satyr. vers.29. *Munimenta togæ* Lacernas vocat; ac per hoc muniant à pluuia, non quæ ornent. Martial. lib.14. epigr. 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad vsus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

Præcipuus itaque earum vsus in spectaculis Amphitheatralibus, Tertull. Apolog. capit. 6. *Video theatra, nec singula satis esse, nec nuda; nam ne vel hyeme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonij penulam ludis excogitarunt.*

Erant

Erant Lacernæ purpurei coloris; non minus quam prætextæ ipſæ Magiſtratuum. Martial. lib.8. epigr.10. A

Emit lacernas millibus decem Baſſus
Tyrias, coloris optimi.

Et idem epigr. 28. & 29. lib.2.

Quæque Tyrion totiens epotauere Lacernæ,
Et toga non tactas vincere iußa niues.

Neque vero ſemper coccineæ erant, ſed interdum & candidæ, vt oſtendit Martial. lib14. epigr.133. in propoſito.

Non eſt lana mihi mendax, non vtor alieno.
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ouis.

Fibulis ſubſtringebantur Lacernæ, Ammian. Marcell. lib.14. *Sudant ſub ponderibus Lacernarum, quas in colli exerta fibulis ipſis adnectant.*

Luxus veſtimẽtorum.

Delicatiores inualeſcente luxuria byſſinis veſtiebantur & præſertim fœminæ. Varro apud Nonium cap.14. num.6. *Aliam cerneres cum ſtola holoſerica*: ideſt penitus ſericas, & alij bombycinas. Cumque immodicus circa hunc veſtitum naſceretur luxus, & viri fœminis ſimiles molliori cultu viderẽtur, Theodoſij Aug. cõſtitutio furorem hunc coercuit ibi: *Temperent vniuerſi cuiuſcunq; ſint ſexus, dignitatis, artis, profeſſionis, & generũ, ne pallia quis tunicaſque domi ſericas contextas, aut faciat, aut tincta conchylio, nullius alterius permiſtione contexta ſint, proferantur ex ædibus, aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylij, &c.* Proinde vſum huiuſmodi veſtimenti Aurelianus Imp. vxori ſuæ negauit, ne immodico ſumptu patrimonium ſuum attenuaret. Vopiſcus in vita ipſius inquit: *Aurelianum veſtem holoſericam, neque ipſum habuiſſe in veſtimento ſuo, neque alteri vtendam dediſſe: & cum ab eo vxor ſua peteret, vt vnico pallio blateo ſerico vteretur, illum reſpondiſſe, abſit vt auro fila penſentur.* Et idem Vopiſcus refert Tacitum Aug. vſum viris ademiſſe, & vt rem probroſam iudicaſſe. Gordianus id lege lata interdixit ex Capitolino in eius vita. & C. Tacitus 2. Annal. dixit: *Decreto cautum à Q. Haterio viro Conſulari, ne viros veſtis fœdaret.* Vnde D. Hieron. aduerſ. Iouinianum: *Nunc lineis & ſericis veſtibus, & Atrebatum, & Laodiceæ indumentis ornatus incedis.* Et Petrus Damiani Card. Oſtienſis impugnãs pretioſas pellium veſtes lib 2. ep.2. pag. 128. inquit: *Cum domeſtici murices noſtris aſpectibus ſordeant, tranſmarinorum pelles, quia magno pretio coemuntur, oblectant; ouium itaque & agnorum deſpiciuntur: Ermellini, & Gebelini, martores exquiruntur & vulpes.* Et infra. *Ecce non reclinatur in vulpeculis Chriſtus; dormit ſub vulpinis pellibus Chriſtianus: reſpuit animalia redemptoris mundi vocabulo decorata, illud ſuum deputat ornamentum, quod figuras innuit reproborum.* B C

Serica.

Sunt qui ſericam veſtem cum bombycina confundant ſecuti Iſidorum l.19. cap.27. Placet tamen aſſerere, Bombycina ex verme, ſerica ex foliis tenuibus depecti, vt Tiraquellus de legibus Connubial. & Briſſonius in Lexico obſeruarunt. *Serica* è ramis arborum fieri. Ammian. lib.23. capit.11. *Cæli apud Seres iucunda temperies, ſalubriſque aeris facies munda, leuiumque ventorum commodiſſimus flatus, & abundæ ſyluæ ſublucidæ, à quibus arborum fœtus, aquarum aſperginibus crebris, velut quædam veliera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt.* Iul. Solinus Polyhiſtor. c.53. *Aquarum aſpergine inundatis frondibus vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, & lanuginis, teneram ſubtilitatem humore donant ad obſequium; hoc eſt illud ſericum in vſum publicum damno ſeueritatis admiſſum, & quo oſtentare potius corpora quam veſtire, primo fœminis, nunc etiam viris perſuaſit luxuriæ libido.* Hinc Virgil. lib.1. Georgic. & ibi Seruius. D

Vellera quæ foliis depectunt tenuia Seres.

L. Seneca in Thyeſte act.2. in Choro.

Et

A *Et quocunque loco iacent.*
Seres vellere nobiles.

Claudian. de tertio Honorij Conſulatu in fin.

Indus Ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

Auſon. epigr. 25.

Hos ille Serum veſte contexi lubet.

De verme vero cuius natura, ſiue induſtria Byſſus, ſiue Bombycinæ veſtes comparantur D. Baſilius Hexamer. homil. 8. quem D. Ambroſius eiuſdem Epigraphes operis lib. 5. cap. 23. inquit: *Et quia de volatilibus dicimus, non putamus alienum ea complecti, quæ de verme Indico tradit hiſtoria, vel eorum relatio, qui videre potuerunt: fertur hic corniger vermis conuerti primum in ſpeciem caulis, atque in eam mutari naturam; inde proceſſu quodam fieri bombylicus; & nec eam formam figuramque cuſtodit, ſed laxis & latioribus foliis videtur pennas aſſumere; ex his mollia illa Seres depectunt vellera.* De hoc Verme Tertull. de Pallio cap. 3. & Iſidor. lib. 19. cap. 22. inquit: *Bombycina veſtis à* B *bombyce vermiculo, qui longiſſima ex ſe fila generat, quorum textura bombycinum dicitur, conficiturque in inſula Coo.* Hinc Martial. libr. 8. epigr. 33. inquit: *Bombycinæ vestes.*

Tam leue nec bombyx pendulus vrget opus.

Eiuſdem lib. epigr. 68.

Fœmineum lucet ſic per bombycina corpus.

Vermem hunc inter naturæ miranda enumerari iure poſſe exiſtimatur; nec quicquam in rebus creatis, quod reſurrectionem magis confirmet, crederem inueniri.

Erat purpuræ genus, quam Blatteam appellat Imp. l. 1. Cod. Quæ res vendi non poſſint. Caſſiod. l. 1. ep. 2. *Cum blatta, quam noſtro cubiculo dare ſingulis annis conſueuiſti, venire feſtina.* Lamprid. in Heliog. Parauerat igitur funes *Blatta, & ſerico, & cocco intortos.* Idem Eutrop. in Nerone lib. 7. *Inuſitatæ luxuriæ ſumptum; vt qui exemplo Caligulæ retibus aureis piſcaretur, quæ blat-* C *teis funibus extraheret.* Vopiſcus in Aureliano inquit: *Blatteam tunicam.* Hoc eſt purpureo colore tinctam. Hinc *Blattiarij*, qui ſericas tangunt veſtes l. 2. Cod Theod. de excuſ. artif. & *Blattifer*, qui ſericis veſtibus purpura tinctis induitur. Sidonius Apollin. lib. 9. ep. vlt. *Blattifer, vel quam tribuit Senatus.* Et idem eodem lib. ep. 13. *Rutilaſque ferre blattas.* *Purpura.*

Quamquis aliqui recentiores velint Blattam idem eſſe, ac Vermiculum bombycem, cuius textu veſtes ſericæ conficerentur: verior tamen opinio, vt pro purpura ſumatur; quoniam Indicum Conchylium vulgo Blatta dicitur & Caſſiodorus & alij adducti ſupra intelliguntur ex Dempſtero ad Roſſini Antiquitates cap. 31 lib. 5.

Quis primum Romanorum Principum purpuram ſumpſerit? Refert Paulus Diaconus lib. 1. hiſtor. *Huic* (ſcilicet Numæ Pompilio) *ſucceſſit Tullus Hoſtilius, qui primus Romanorum Purpura & faſce vſus eſt: Manaſſe in Iudæa regnante.*

Pellucidæ veſtes erant etiam in maximo pretio perditis iam moribus, in- *Veſtes pellucidæ.*
D quas amarè inuehitur Sen. ep. 90. ibi: *Quid ſi cõtigiſſet illi videre noſtri temporis telas, quibus veſtis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt.* Et idem in Conſolat. ad Heluiam: *Nunquam tibi placuit veſtis, quæ nihil aliud nudaret, cum poneretur.* Hoc eſt quæ inducta nullas corporis partes reuelaret, aut detegeret. & lib. 4. Controuerſ. 7. *Non loricam clypeumque ſumpſit, ſed tenuem, ac pellucidam veſtem.* D. Hieron. in Heluidium: *Ingrediuntur expolitæ libidinis victimæ, & tenuitate veſtium nudæ impudicis oculis ingeruntur.* Quod effæminati animi argumento ponebant. Lucanus lib. 10. de luxurioſo Cleopatræ apparatu.

Candida Sidonio per lucent pectora filo.

Quod Nilotes acus compressum pectine Serum
Soluit, & extenso laxauit stamina velo.

A

Pellucidas huiusmodi vestes *Rallas*, à raritate appellarunt. Plautus in Epidico Act. 2. scen. 2. *Tunicam rallam, tunicam spissam*, Spissa densioris materiæ, quæ totum corpus obtegeret, & à frigoris iniuria tueretur. *Vitreæ* etiam dicebantur vestes pellucidæ, Claudian. de Consulatu Olubrij: *Percurrens vitreas sub gurgite telas*.

Herbidæ. Fuerunt quoque vestes *Herbidæ* à colore sic appellatæ, D. Cyprian. de Disciplin. & habitu Virg. *Neque enim Deus Coccineas, aut purpureas oues fecit, aut herbarum succis, ideſt virides, seu carinas, & conchylijs tingere & colorare lanas docuit*. Quod idem refert Tertull. de Habitu Muliebri ad finem. Et hoc etiam Papin. lib. 2. Silu.

——— Modo puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc viuis digitos accendere gemmis
Gaudebat.

B

Rarior in vestibus color Niger olim fuit; quippè aspersus superstitione mali, infaustique ominis: idcirco M. Tullius Orat. in Vatinium inquit: *Cui de balneis exeunti præter te toga pulla vnquam data est? cum tot hominum millia accumberent; cum ipse epuli dominus Q. Arius albatus esset; tu in templum Castoris, te cum C. Fidulo atrato, cæterisque tuis furijs funestum intulisti*.

Tale erat priscorum Romanorum studium in aptandis vestibus colorum, & adinuentionum varietate. O vtinam temporibus nostris non magis execrabile hoc esset apud prudentes sæculi viros, sese in veste gloriantes; vtpote si quis equum à diuite sella, vel asinum à frænis aureis laudandum putet: siquidem in homine quid corpori, quid animo largiuntur vestes? vires, decorem, valetudinem bonam? acumen, ingenium? maturum iudicium? firmant memoriam? inserunt virtutes, eruditionem, industriam, prudentiam? aut quid demum donant animis? sanctus, benignus, fortis minor est sub paupere quam sub diuite veste? aut maior animus in gemma, auro, purpura quam in sago & tenui lacerna est? Aut sapientiam largiuntur vestes, mentem castam, piam in Deum, in patriam, parentes? infractam in aduersis, moderatam in prosperis? in tristibus lætam, in lætis temperatam? in iniurijs patientem, in beneficijs gratam? Quod si nec corpori quidquam, nec animo vestis donet, quid stultius quam illa gloriari, qua plures fatui, imbelles, timidi, ignaui, & sceleribus omnibus immersi; quam prudentes, validi, generosi ac probi induuntur? ornatus ille extra hominem suum est: miserum ergo & infortunatum alieno & non suo laudandum; tanquam si quis alienis se iactet opibus, viribus, eruditione.

C

Sed parua quamuis res sit vestium gestamen, index tamen animi id est, vt refert Clemens: *Amictus indicat qualis sit morum nostrorum constitutio*. Et ita Dominum suum vestis prodit: *Mollis vestis* (inquit Chrysostomus) *dissoluit rigidam animam; & si frigidum corpus assumat & asperum, facile per huiusmodi mollitiem delicatum reddit & fragile*. Et præter Achillem & Herculem tantos viros & humani nominis robora molli & fœminea veste in derisum indutos; non multum ab his cadit Magnus Samson orbis miraculum. Homo quamquam nudus & inuestis à Deo creatus & ex materno vtero egrediatur; & à delicto primi Parentis vestis folia & exinde peilis prouenerint: quo nos traxit libibo & docuit tunicas ferere? quis herbarum succis & concharum alueis incoquere lanas? quis animatas stamine aluo bombyces necare? O nimis dignos fœmina viros! quotquot placendi studium per vestium decorem quærunt, nec vno colore contenti, sed mille in vno corpore ludunt, quem credimus animum in tanta varietate cõsistere? & in tanta varietate constantiam? Sane cum ab animorum imperio hæc proueniant, necessarium illos

D

non

A non paucioribus votis, quam coloribus veſtes variegatas ſeruare.

Sed vt ad noſtrum thema, à quo deceſſimus, reuertamur. Plura de priſcorum Romanorum veſtimentis in genere perſtrinximus ſupra; modo particulatim de ijſdem aliqua proſequamur: ac de Toga & de eius multiplici differentia hic exponemus. Toga igitur à tegendo corpore propria Romanorum veſtis tempore pacis & amictus exterior fuit, vt docet Varro: ſicuti omnium ordinum, omnis ſexus, ætatiſque geſtamen, ex Varrone lib 1. de Vita Populi Romani. Materia illius lanea fuit, ex Martiali, & Varrone, dum inquit: *Toga læna*, quod de lana multa. Forma ſemicircularis primum fuit, vt inquit Dionyſius Halicarn. de Tarquinio Priſco, ibi: *Amictum ipſius fuiſſe togam pictam purpuream, qualia fuerint Lydorum atque Perſarum Regum geſtamina, niſi quod non quadrata vt illa, ſed figura ſemicirculi.* Tunicæ porro ſuperiectam togam vt præter alios refert Plutarch. Tiberium Gracchum fugientem togam demiſiſſe, atque in tunica cecidiſſe. Aldus Manutius voluit non apertam togam, ſed à ſummo ad imum integram, nulla ſciſſura, nullis manicis fuiſ-
B ſe; & brachia ſi emittenda forent, reiecta in tergum ima toga expedita fuiſſe. Per annum tamen ſumpta virili toga, modeſtiæ cauſa togam in humerum reijci non conſueuiſſe, ex Cicerone in Orat. pro Cœlio, ibi: *Nobis quidem olim annus erat vnus ad cohibendum brachium toga conſtitutus.* *De toga.*

Cincturam ipſius togæ triplicem fuiſſe aſſeuerat Sigonius, nempè laxiorem, aſtrictiorem, & cinctum Gabinum. De quo poſteriori cinctu Seruius in verſum Virgilij.

Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino.

Inquit Cinctus Gabinus eſt toga in tergum ſic reiecta, vt vna eius lacinia à tergo reuocata hominem cingat: hoc veſtimenti genere vtebatur Conſul bella indicturus, refert Roſinus Antiquit. Roman. lib. 5. cap. 32.

Eadem toga Pacis fuit inſigne, vt Sagum belli: etenim in tumultu priuati togas, Magiſtratus prætextas ponebant, & Saga militaria ſumebant, vt ex Liuio & Plutarcho.

C Poſt Auguſtum vt libertas, ſic toga magis exoleuit: Adriani vero temporibus vix in Senatoribus & Equitibus ius ſuum tenuit, vt refert Appian. in ſolis propemodum Senatoribus reliquum togæ vſum fuiſſe, vt ex Lipſio l. 1. Elector. cap. 13.

Toga prætexta dicitur à prætexendo, quia ei purpura in ora prætexta erat, vt voluit Macrob. Hac pueri vtebantur ad annum decimum ſeptimum, qui annus tyrocinij dicebatur, quam Tarquinius, cum de Sabinis triumphaſſet Priſcus filius, vna cum aurea bulla eidem tradidit; & inde in vſum nobilium puerorum deductam; quamquam diuerſimoda in hoc adducatur ab alijs origo.

Toga pura, ſeu virilis fuit communis hominum priuatorum; & hæc albi erat coloris, nulla admiſta purpura. A Plutarcho in Bruto dicitur Virilis, quia pueris virilem ætatem ingredientibus dabatur.

Toga pulla atri coloris, quam induebant luctus cauſa; & ab illo veſtis colore Atrati dicebantur: hinc Cicero in Vatinium. *Quis in funere familiari*
D *cænauit atratus, cum Epuli Dominus Q. Arrius albatus eſſet, &c.* Sub Imperatoribus ſublata Republica, exoleuit etiam vſus togæ, ac etiam vſus coloris albi, & tunc pullæ fuerunt omnes plebeiæ veſtes; hinc pulla paupertas à Calphurnio dicta.

O vtinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet.
Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu.

Hinc Auguſtus in Sueton. cap. 44. ſanxit, ne quis Pullatorum media cauea ſederet: vnde diſcrimen, vt alij Candidati dicerentur, nempe honeſtioris ordinis Ciues: alij Pullati, ſcilicet vulgus & infima plebs; à colore veſtium, quibus vtrique vtebantur.

Toga sordida, alba erat, sed sordidior & detrita longo vsu; & ob id vulgi vestis, quia sordida veste vteretur: qui vero erant ditiores & elegantiores, ij semper niuea toga vestiti erant; quæ si interdum sordes aliquas traxisset, erant Romæ fullones, qui eas maculas eluebant sulphure, & creta. A

Toga picta, vestis Etrusca fuit purpurei coloris, aureo distincta: à triumphantibus geri solita, vt refert Florus de Tarquinio Prisco triumphante subactis duodecim Tusciæ populis.

Toga purpurea hæc tota pura differens à prætexta, quæ alba erat cum limbo purpureo circumducto; vt de ijs late Rosinus lib. 5. Antiquit. Roman. capit. 32.

Matronæ honestiores Stolis sine institis (nempe fasciola quæ imam partem stolæ ambiebat) vestiri fuere solitæ; meretrices vero aut proiecti pudoris fœminas togis indutas, Martial. lib. 32. epigr. 39.

Coccina formosa donat, & ianthina mœchæ.
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

Et ex Dempstero ad Rosinum dicto cap. 32. B

De tunica & lato clauo.

Togæ suppositæ Tunicæ plures fuerunt, sed quæ Togam proxime attingit, ea proprio nomine Tunica dicta est. Hæc angustior, & breuior, quam toga fuit; ac primum sine manicis, deinde manicata, & cinctura constricta est. De modo tunicæ Quintilianus lib. 11. *Cui Laticlauius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paululum, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant.* Viri Romani primum quidem sine tunica toga sola amicti fuerant, postea substrictas & breues tunicas citra humerum desinentes habebant. Color tunicæ liberorum hominum albus fuit, vt præter Vopiscum in Aureliano Imp. etiam Iuuenalis.

Sufficiunt tunicæ summis Aedilibus albæ.

Cum ergo omnes Romani ciues tunica vterentur, factum est vt tunica ordines distinxerint: nam senatores & equites tunicam clauatam induerunt, plebs tectam & sine clauis. Clauata tunica fuit, quæ habebat clauos purpureos intextos, vel potius insutos, & quasi flores panno intextos, vnde Martial. C

——— *Lato mapalia clauo.*

Plinius lib. 9. Togam prætextam & latiore clauo è Regibus primum vsum Etruscis deuictis, Tullium Hostilium inuexisse satis constat.

De trabea.

Trabearum genera, vt volvit Sueton. ac etiam Seruius in lib. 7. Aeneid. Virgilij tria sunt genera. Vnum quod Dijs sacratur, tantum de purpura: aliud quod est Regum, purpuræ aliquid albi habens admistum: tertium Augurale ex purpura & cocco mistum. Erat autem vestis togata purpura circumducta sub tegmine puniceo, quam aureæ fibulæ adnectebant. Trabeæ Regalis meminit Virgil. 7. Aeneid. *Ipse Quirinali lituo, parmaque fedebat succinctus trabea, &c.* In funebri pompa vtebantur & equites trabea, ex Tacito lib. 3. de Funere Germanici his verbis: *Igitur Tribunorum, Centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces, atrata Plebs, trabeati equites, pro opibus loci vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant.*

Muliebria vestimenta.

Muliebria vestimenta ex Vlpiano l. 23. D. de aur. argent. legat. enumerantur his verbis: *Vestimenta muliebria sunt quæ matrisfam. causa comparata sunt, quibus vir non facilè vti potest sine vituperatione veluti stolæ, palla, tunicæ: capitia, zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi causa, quam ornandi comparata.* Et primo, *Stola* mulierum vestis, quæ demissa erat ad imos vsque pepes, & cuius extremam partem instita assuta, quæ erat fasciola quædam seu limbus vndique cinctus. Hac matronæ Romanæ vtebantur, non aliter atque viri tunica. D

Pallium virorum & puerorum erat; ac etiam mulierum. Dicebatur Pallium quia palam gestabatur, & tunicæ siue stolæ circumdabatur, & super

indue-

A induebatur; & hoc honestarum mulierum erat indumentum, ex Varrone de L.L. lib.4.

Tunicæ non tantum virorum, sed & fœminarum erant: dicebatur exterior fœminarum Tunica, seu Supparum: ineerior indusium, quod carni hærebat inter plurimas vestes. Et ideo quatuor muliebres vestes fuerunt, Indusium intra tunicas omnes, supparum, Stola, & Palla. ex Aldo Manutio, Rosino & alijs.

Capitia non capitis, sed pectoris fuisse tegumenta: & ex Varrone dicta, quia capiunt pectus. Erant etiam ad vinciendum pectus Strophia, & fasciæ, quæ superfluum, & quasi luxuriantem habitum castigabant. Strophium, vt inquit Nonius, est fascia breuis, quæ virginalem tumorem papillarum cohibet. Turpilius Pilopatro: *Me miseram, quid agam, inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tuniculam, ac strophium collocata.*

Zonæ etiam inter muliebria vestimenta numerantur: erant quibus se mulieres cingebant, & alio nomine cingula appellantur, de quibus Varro l.4.
B de L.L. & Festus: *Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat.*

Mitræ capitis ornamenta erant mulieribus propriè, quemadmodum Seruius lib.9. Aeneid. in illum versum.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Inquit Pileasunt virorum, mitræ fœminarum, quas Calanticas appellant; & vt inquit Nonius, Calantica est tegmen muliebre, quod capiti innectitur. Rodiginus lib.6. Antiq. lect.cap.10. docet mitram esse genus fasciæ, siue, teniæ, quo caput obligetur; & quosdam esse, qui sic finiant ex fascibus concinnatas corollas, quæ mitræ nominentur.

Penula virorum & mulierum communis fuit; quamuis Alexander Seuerus Imp. vt refert Lamprid. Matronas intra Vrbem penulis vti vetuerit, quamquam in itinere permiserit.

Reticulum tegmen capitis muliebre; Cicero in 7. Verrina: *Ipse autem co-*
C *ronam vnam habebat in capite, alteram in collo: reticulumque ad nares sibi opponebat, tenuissimo lino, minutis maculis plenum rosæ.* Ex quo intelligis reticulum dici fasciã laneam vel lineam ad formam retis factam, quam faciei admouerent, ne agnoscerentur, vel vt naribus suaues odores admouerẽtur. Quamuis Varro lib.4. de L.L. à reti velit esse dictum, vt capillos contineret.

Vittæ dicebantur capitis ornamenta muliebria, quibus mulieres capillos colligebant. Ouid.1. Metamorph.

Vitta coercebat positos sine lege capillos.

Et lib.2.

Vitta coercebat neglectos alba capillos.

Flammeus vestis, vel tegmen, quo capita matronæ tegunt. Hoc autem amiciebantur nubentes, propterea quod eo assidue vtebatur Flamica, idest Flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium: & in can. fœminæ 30.quæst 5. scribitur Fœminas, cum maritantur, ideo flammeo velari, vt se semper nouerint maritis suis subditas esse, vt de prædictis diffusè Rosinus Antiquit.
D lib.5. cap.35.

Calceamentorum genera duo fuerunt, Calceus & Solea. Calceus totum *Calceus.*
pedem texit: solea plantam tantum; pars enim superior habenis deuincta fuit. Cæterum Calceus adstrinxit magis pedem, quam solea. Tertullian. de Pallio vocat calceos quosdam Mulleolos, quosdam puros fuisse, ibi: *Impuro cruri purum, aut mulleolum inducit calceum.* Vt per Mulleolos lunatos: per Puros, eos, qui ex puro corio sine lunulis facti erant. Lunati Calcei Senatorum, & nobilitate præstantium virorum erant, quos Isidorus Romulum reperijsse ait assuta luna. Plutarch. quæst. Roman. quæst. 79. quærens, cur qui nobilitate generis alijs præstare videantur, lunulas in calceis

gesta-

geſtarint? Reſpondet hoc inſtitutum, vt rebus ſecundis elati, ac ſuperbientes mutationis fortunæ in alteram partem admonerentur; exemplo ſcilicet Lunæ, quæ primum recens extitit à caligine: fulgore deinde ſplendido faciem illuſtrans augeſcit: & cum pulcherrima renidet orbe pleno, rurſus exuit lumen ſuum, & ad nihilum redit. Aut Obedientiæ ſic aſſueſcere dicebant, Lunæ exemplo præſtantiori non recuſantes, & quemadmodum illa ſecundas obit partes, Phœbei ſemper radijs intenta nitoris; ita ipſi quoque contenti eſſe ſecundo loco, Magiſtratibuſque obtemperare. Zoneras autem inquit: Patricij geſtabant in Vrbe calceos vrbanos forma litteræ C, vt à centum Senatoribus trahere originem viderentur: quorum ſignum illud non Lunæ, aut ſyderis formam, ſed notam centenarij numeri ſignificaſſe voluerit. Feſtus vero inquit Mulleos genus Calceorum fuiſſe, quibus Reges Albanorum primum, deinde Patricij vſi ſunt. M. Cato Originum l. 7. ait. Qui Magiſtratum Curulem cœpiſſet, calceos mulleos lunatos eos geſtaſſe. Calceos albi coloris fuiſſe, nonnullos vero Imperatorum & aliorum potentiorum hominum etiam Coccineos fuiſſe: fœminas vero diuerſis coloribus calceos geſtaſſe, vt Lipſius & alij voluere. A B

De Soleis ſic Agellius lib. 13. cap. 20. Omnia id genus, quibus plantarum calceos tantum infimè teguntur, cætera prope nuda, ſoleas dixerunt. Cicero in Verrem: *Stetit ſoleatus Prætor Populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, &c.*

Et hæc de Romanorum Veſtimentis hactenus: ad quorum maiorem cognitionem; hic dilineatas propono veterum Romanorum Icones.

Icon Romanæ fœminæ Stolatæ. *Icon Romani Senatoris.*



C D

Hæc

A Hæc iam dicta de veſtibus Romanorum in nitorem & oſtentationem non aliter in vitæ neceſſitatem inuenta. O ſi viueret Perſius, quam luderet in ſimiles noſtri ævi dementes! O vani quouſque tenetis miſeras mentes? quamdiu hæc fatua, tegendo veſtis eſt, frigori pellendo: nos gloriæ, & libidini veſtimur. Induendi tamen ſumus, ſed caſte, ſed iniurijs pellendis. At quo mihi veſtis nihil celatura? quam non dico vllum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt? quo depexa arboribus vellera, mundatis aquarum aſpergine folijs, in publicum vſum ſeueritatis damno id admiſſum; ex quo oſtendantur potius corpora, quam veſtiantur? *Moralis conſideratio*

Nec vana hæc veſtium cultura à delicto abeſt. Gregorij verba ſunt: *Nemo exiſtimet in luxu, atque ſtudio pretioſarum veſtium peccatum non eſſe; quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Ioannem Dominus de veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet.* Multo vero minus de veſtium ſplendore Diuitem damnaſſet. Non ſequitur innocentiam Domini damnatio (cuius iudicia falli non poſſunt) in
B eum qui purpura & byſſo induebatur.

Et vt æterna ſeponam, quid ſperat ille omnium prope gentium veſte ornatus? aut quid præter earum vitia, ſibi ab illa promittit? Moderata veſtis prudentiam & maturitatem ſpondet: aliquid ſemper in veſte neglectus ingenia magna oſtendunt. Laudatus in hoc Auguſtus à Suetonio, de quo illud: *Numquam thoro cubuiſſe niſi humili, & modicè ſtrato: veſte non alia quam domeſtica vſus eſt, ab vxore, ſorore, filia, nepotibuſque confecta.* De Epaminonda illud proditum: *Vnica veſte contentus, ſed quando vetuſtate collapſam reſarcire opus foret, domi clauſum ſe tenebat.* De Seuero Spartianus: *Tam exiguis veſtibus vſus eſt, vt vix tunica eius aliquid purpuræ haberet, cum hirta chlamyde humeros velaret.* De Tacito Imp. Vopiſcus: *Togis & tunicis iiſdem eſt vſus, quibus priuatus; & vxorem gemmis vti non eſt paſſus.* Et infra: *Holoſericam veſtem viris omnibus interdixit.* Idemque in Aureliano: *Veſtem holoſericam neque ipſe in veſtiario ſuo habuit, neq; alteri vtendam dedit.* Ita fere, quo quiſq; maior, prudentior, maturior, hoc in veſte moderatior eſt: magna etenim
C magnis, tenuia tenuibus occupantur.

Scio non defuiſſe Reges ac Principes, qui Regna prope veſtibus circumferrent. Deerat illis, quo ſuorum in ſe venerationem excitarent; deerant virtutes, quæ admirationem elicerent; deerant facta fortia, quæ laudem prouocarent; deerat prudentia, qua in amorem raperent; deerat potentia, qua timerentur: à veſtium magnifico ſplendore, ab auro & gemmis mutuare hæc voluerunt, & illarum luce, ac opibus ſuorum aliorumque animos admirabundos, & venerabundos tenere; ita fere imbellia fortius armamus, inuenuſta auguſtius ornamus, inſipida denſius dulcoramus: at quæ decorem ex ſe habent, fruſtra ab alijs mutuantur, nequidquam ſapida hæc dulcorem recipiunt ab alijs: fortia vires non ſumunt ab alijs, domeſtico decore, dulcore, viribus proprijs contenta. Romani ſane veteres, & à quibus omnis huic noſtræ Vrbi gloria proceſſit, modeſtiſſime induebantur; tenuit hic modus in Auguſtum vſque, inde veſtium luxus; & in illo Reipublicæ illius magnæ ruina deuenit. Nazianzenus benè: *Nos mollibus & circumfluentibus veſtibus pan-*
D *niſque ex tenuiſſimo lino, & ſerico contextis deliciamur, in quibus ineptimus potius, quam ſplendorem nobis conciliamus.* In omnem ætatem & ſæculum dixit: proprius etiam in noſtram hanc ætatem id aſſerendum, in qua nullus opulentiæ modus, nulla dignitatum à veſte diſcrimina, nulla annorum. Hæc ſatis.

De

De Armis nobilium Familiarum. Cap. IX.

A

PErstrinximus plura de Romanorum Vestimentis, & de Coloribus eorundem: at quoniam ex Vestium ornatu petitur origo Gentilium tesserarum, quæ vulgo nuncupantur Armæ Familiarum; non incongruum de huiusmodi armis, earumque origine his nos aliqua adnectere.

Arma quæ dicantur? Arma namque ista dicuntur, quæ beneficio Principis ad memoriam consignandæ & munerandæ virtutis militaris signa seu symbola conferebantur, vt per Gentis capita ad posteros hæreditario iure transcriberentur: siue integram & nouam tesseram, siue insertam veteri familiæ scuto; vt à Cæsare nobilibus familijs Aquilam conferri, quæ Imperio ancillatur. At quoniam hæc signa, seu symbola in militum armis plerumque exprimebantur, & circumferebantur; inde Armæ nuncupabantur. Subscribit huic sententiæ Tiraquel. de Nobilit. cap. 6. ibi: *Insignia armorum nomine nuncupantur, quoniam plerumque hæc insignia in armis insculpi, & antiquis & nostris temporibus solebant: vt hinc armati facie operta dignoscerentur*, Et quoniam plerumque in scutis figurabantur: ideo peculialiter scuta Gentilitia nominari cœpta.

B

Descriptio. Possunt autem Armæ hæ symbolicæ ita circumscribi: *Tesseræ gentilitiæ, expressæ idoneo lumine, ad familiarũ discrimen pariter & ornamentũ.* Idoneum lumen comprehendit, seu picta coloribus & metallis, seu sculpta in marmore, ligno, ære. Dicitur Ornamentum: quoniam insinuat in primo auctore bellicam & heroicam virtutem; vt extimulentur posteri ad glorioſam Auorum imitationem: alioquin exprobrat Lucanus in Panegyr. ad Pisonem.

Perit omnis in illo
Nobilitas, cuius laus est in origine sola.
Felix qui tantis animum natalibus æquas;
Et partem tituli, non summam ponis in illis.

C

Vetustas eorundem. Vetustas huiusmodi Gentilitiarum tesserarum, seu symbolorum ex heroicis temporibus peti debere, satis probabile. Habuerunt enim Aegyptij pro tessera ternas Boas reptiles: Arcades Lunam: Argiui sui nominis elementum primum A. Athenienses Noctuam aut Bouem: Babylones Columbam, in quam crediderant defeciſſe Semiramidem Reginam: Chaldæi tria Vexilla: Græci duo Diademata: Hebræi T. litteram Salutis: Libyæ populi Lepores ternos: Macedones Clauam Alcidis inter duo Cornua.

Signa legionum. Cæteris autem prætermissis: circa signa Legionum, Manipulorum, Cohortiumque Romanarum, vt Iosephus loquitur lib. 3. Belli Iudaic. capit. 5. *Aquila auium valentissima, victoriæque habens omen, erat vexillum Legionum & conflabatur ex auro, aut ex argento.* Insistebat vero hastæ in parte ima cuspilatæ, vt posset in terram defici dum acies in loco staret. Tacit. lib. 1 Ann. *Plurimus circa Aquilas labor, quæ neque figi limosa humo, neque aduersum ferri ingruentia tela poterant.*

Manipulorum. At Manipulorum signa quænam fuerint? descripsit Ouid. in Fast. D

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Vnde manipularis nomina miles habet.

Et quamuis vile ac rusticum militiæ vexillum. Ouid. tamen ibidem.

Sed erat reuerentia fræno,
Quantam non Aquilas cernis habere tuas.

Successit tamen cultus maior, & manipulis detractis, fuerunt eorum loco perticis adfixæ manus cum corollis; non sine allusione aliqua ad Manipuli vocem: vti Iustus Lipsius interpretatur. de Milit. Roman. lib. 4. Dialog. 1.

Cohortium. Postquam deinde in militiam Romanorum sunt adscitæ cohortes: hæ pariter

A riter cum proprijs vexillis ad prælia venerunt; hoc eſt cum Draconibus, vt teſtatur Vegetius lib.2. cap. 13.

Sed & Imperator ipſe peculiarem Draconem ſuum ex purpura extulit, qui color Imperij & Maieſtatis: cum Ammianus affirmet agnitum Iulianum Principem ex purpureo Draconis ſigno, ſummæ haſtæ longiori aptato. Cæterum Draconarij, & Aquiliferi vocabantur, qui ſigna Draconis, vel Aquilæ geſtabant. Plinius recenſet etiam inter hæc ſigna Lupam, quæ lactauit gemellos Vrbis conditores: Vultures, qui dederunt auſpicium Vrbi condendæ: Minotaurum, Equum, Aprum, &c. Quippe icones horum, ſicut & Aquilæ, adorabantur vti propria Legionum numina: hinc de Artabano Sueton. inquit: *Tranſgreſſus Euphratem, Aquilas & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adorauit.* Qui vero hæc vexilla circumferebant, Imaginarij, ſeu Imaginiferi vocabantur. Sed exarabantur in vexillis quoque ipſa Imperatorum nomina aureis characteribus. Seneca in Thebaide.

Aurea clarum nota

B *Nomen ducum vexilla præſcriptum ferunt.*

Quin etiam ritus eligendi nouum Imperatorem videtur fuiſſe; vt nomen in vexillis præſcriberetur: vt de Veſpaſiano appellato ad Imperium, Sueton. inquit: *Aſſenſere cuncti, nomenque eius in vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt.*

Sed inter ſigna peditum iam relata, Auguſtus peculiariter pilam, ſeu ſphæram conſtituit, quæ vtique Orbem terrarum referret, notaretque ſubiectas Imperio Romano regiones. Equitatus ipſius vexilla fuerunt quadri & volitantes pannuli ex haſta ſuſpenſi: & hoc nummi ſuadent ac lapides antiqui. Lipſius de Milit. Rom. lib.4. Dialog.5. *Noſtra ætas retinet in equitum bandis, & ſi forma paululum diuerſa: propius accedunt templorum vexilla, quæ in luſtratione & proceſſibus circumferuntur.* Ab his vexillis (quæ Flammea dicebantur) equitatus alæ dictæ ſunt vexillationes. Vegetius: *Equitum alæ, quod protegant acies, quæ nunc vexillationes vocantur: quia velis, hoc eſt flammulis vtuntur.* Flammeum enim veteres appellarunt Velum crocei coloris, C quo capita obtegebant nouæ ſponſæ; vt alias diximus.

Non diſſimiles à prædictis fuerunt teſſeræ, ſeu ſymbola, quæ vnius ſingillatim hominis, ſeu ſtirpis communes fuerunt: etenim Agamemnon caput Leonis velut iconem terroris habuit: Alcibiades Cupidinẽ, qui complectebatur fulmen: Alexander M. Victoriam ſedentem ac ſtabilem: Antiochus Leonem cum Caduceo: Archimedes cæleſtem Sphæram: Auguſtus Sphingem. Ita etiam Cadmi poſteritas Serpentem: Carthaginenſium Duces Piſcem, ac ſupernè Coronam: Cincinnati capillaturam: Indi Reges terna ænea cymbala: Scipionum Familia Roſam: Torquati Romæ torquem, &c. Vt ex varijs ſcriptoribus relatis per Petraſanctam de Teſſeris Gentilitijs cap.3.

Vvolfangius in Comment. Roman. Reipub. lib.9. cap.3. videtur comprobaſſe præfata his verbis: *Quemadmodum incitamenta virtutis Romanis in pace quædam domique fuerant: ita foris in bellis ſtimuli ad res præclare gerendas maiores erant. Dona ſcilicet militaria, prudenti ratione primum excogitata, & deinceps cum Imperio ita inaucta, vt quot quiſque ſtipendia feciſſet, quot coronas, & quales meruiſſet; quot armillas criſtaſque, quot torques, quales phaleras, haſtas puras, pila, baltheum; hæc omnia ſupra clypeum & galeam appoſita, in bellis geſtari ſolita, cum pacis munia iterum foueret, domum regreſſus optimus quiſque ſuſpenderet; eaque ornamentorum, ſiue inſignium loco, longa ſucceſſione ad poſteritatem tranſmitteret. Vt poſtquam inclinante Imperio, Marcomanni, Sueui, Boÿ, Franci, Gothi, Heruli Romanarum legionum reliquijs in limitibus Danubij & Rheni mixti acceſſerunt: quemadmodum linguam confuſam fecerunt; ita etiam populum perfecerint quemdam, qui Romanorum, Theutonumque ritus & mores coniunxerint: ex quibus non poſtremis Arma gentilitia*

putandum est processisse, atque insignia vocantur. Quorum vsum quondam Romana in Republica non minus atque hodie extitisse, mihi monumentorum sculpturæ veterum persuaserunt. Sic ipse. A

Origo de tesseris seu armis.

Quo vero ad originem de huiusmodi Tesseris, seu Armis gentilitijs: quamuis crediderint aliqui ea prouenisse ex veterum imaginibus: quæ olim solis concessæ nobilibus; seruabantur in atrijs, & armarijs, & concomitabantur funera. Plinius lib. 35. ibi: *Semperque aderat defuncto aliquo totus familiæ eius, qui vnquam fuerat Populus.* Erant autem Imagines illæ cereæ, ideoque ferri poterant in funeris pompa: vt Iuuenalis sententia.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria; Nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Communis tamen est eorum opinio; vt exvestium ornatu processerit origo gentilitiarum tesserarum. Et primo ex earumdem vestium coloribus originem habuisse campum talium gentilitiarum tesserarum, sic nos deducemus.

Veterum vestiũ color.

Romanos enim milites in aciem venisse cum paludamentis, aut rubris, aut albis, inquit Plutarchus: *Vix rubra sagula conspicati sunt, quod regiæ partis omnes albis vterentur; agnouerunt statim hostes esse.* Hirtius quoque de Scipione Africano inquit: *Cum sagulo purpureo ante aduentum Regis vti solitus esset: dicitur luba cum eo egisse; non oportere illum eodem vestitu vti atque ipse vteretur: itaque factum est illico, vt Scipio se ad album vestitum transferret.* Alioquin pro arbitratu, modo albati, & modo purpurati in bello erant; vt de Crasso inquit Valerius M. lib. 1. cap. 6. *Ducturus erat à Carris aduersus Parthos, & pullum traditum est paludamentum: cum in prælium exeuntibus album, & purpureum dari soleat.* Vt quoque Artaxerxis exercitus puniceis sagulis, & Cyri minoris cum albis depugnarunt, vt Xenoph. refert in Pædag. quemadmodum & alios quosque nationum exercitus non coloribus minus, quam armis pugnasse: Cyrus Maior, Cleomenes, & Agesilaus panico panno militem suum ad prælia inornarunt; Boij, & Insubres, & Antiochi milites vsi sunt auratis sagulis; purpuratis Persæ, Afri, Numidæ, Messagetæ; Galli eisdem, aut virgatis, aut scutulatis; discoloribus Samnites; Aethiopes aut lintea, aut alba veste amiciebantur, aut corpora inficiebant dimidia minio dimidia gypso: Britanni glasto, pullo Thraces, & Arij Germaniæ Populi; sicut etiam in Barstetania, ait Strabo maiorem partem sagis illitis colore nigro vsos esse: vt etiam latè refert Petrasancta de Tesseris Gentilitijs c. 8. B C

A quibus traditi colores militibus?

Constat autem eas vestes concolores militibus vel à Duce ipso, vel a Republica dari consueuisse: atque eo spectat lex C. Cracchi, de qua Plutarchus in Craccho, de Vestibus ære publico distribuendis cuique militum, absque stipendij eius damno vel diminutione. Ita prisci Germani dicuntur pro clypeis gestasse fucatas colore tabulas, easque ornasse lectissimis coloribus: quandoquidẽ circa vestes summo erant neglectui: nempe vt loquitur C. Tacit. de Morib. German. *Nudi, aut sagulis leues, & sine vlla cultus iactatione: vtpotè quibus tegmen erat sagum fibula, vel si hæc deesset, spina consertum.*

Dum Christianorum sacris expeditionibus signa socialia fuerunt, Cruces coloratæ habuerunt initium. Suscepto enim bello contra Saladinum ex Clementis Papæ Tertij adhortatione, ad discrimen militum suorum, Rex Galliarum Cruces rubeas; albas Rex Britanniæ; prasinas Flandriæ comes assumpserunt: habentque tot alij Equestris militiæ ordines nobilissimi hodieque proprij schematis Cruces, quæ sunt in prælijs iam loco vestium concolorum. D

Cæteri quotquot militiæ sese deuouerunt, gestant in baltheis saltem, & cingulis, tesseras Principum, aut Ducum sub quibus merent: quippe baltheo, aut cingulo vtuntur cyaneo Austriaci, Bauarique; albo Galli, albo & cyaneo Britanni; puniceo Belgæ (fuit namque Burgundiæ domus hic color) Batani fuluo, aut subruso.

Verum

A Verum vt propius ad Gentilitias tesseras, seu ad familiarum armas accedamus: vt eas ex vestibus potissimum acceptas fuisse cognoscamus. Philostratus in vita Apollon. ait: Herculem in clypeo habuisse duo hæc lumina, seu pigmenta: nempe aureum atque purpureum: hæc enim probabile manasse à schemate indumenti eius partim aurei ob fului Leonis pellem, qua tegebatur; partim purpurei; siquidem fuerat ille Purpuræ inuentor. Niciæ scutum etiam auro fulgebat purpura, ex Plutarcho in Nicia, & vestes illius ex vtroque colore contextas fortè fuisse conijcio.

Alexandrum Seuerum Imp. vt refert Frontinus, albo & croceo panno amiciri in principatu consueuisse: vt polliceretur Populis Imperij se beneficum instar Solis & Lunæ: vnde milites Prætoriani, & Legionarij ad prælia exeuntes iussu illius ex suomet amictu, transferebant ad scuta colores illos, quo ita omnes ad argumentum Principis armarentur. Perinde alij Duces, ac nobiles viri, se, & suos asseclas eduxerunt cum clypeis fucatis colore vestium suarum.

B Insignia primum ex vestibus fuisse suadent multa. Iulius Cæsar, vt ipse de se ait lib. 7. de Bello Gallic. suum aduentum in prælio ex colore vestium cognitum. Alexander Magnus, refert Plutarch. in vita, conspicuus fiebat in prælijs ex regio habitu. Lucullus, ex eodem Plutarcho, pugnauit ex amictu purpureo, & thorace squameo.

Cum itaque constet viros Principes vestibus vsos esse, colorum schemate proprio exornatis: potuerunt ij, quando prodire in aciem cataphracti solebant, inficere clypeos eius colore panni, quo in ornatu domestico amiciebantur, vt nobiles hoc pacto essent; hoc est, vt à suis agnoscerentur: quod denotasse videntur Lyrani verba in cap. 2. lib. Numer. ibi: *Signa propria sunt in vestibus, & scutis, quibus bellatores mutuo se cognoscunt, & suos ab aduersarijs distinguunt.*

Itaque peculiares parmulæ tesserariæ coloris, vel metalli lumine totidem ab vnius panni, vniusue schematis indumento prodierunt. Bicolores autem peti potuerunt ex panno vestium bicolori, præsertim eæ quæ sunt dimidiæ
C vnius, & dimidiæ alterius luminis. Quadripartitas parmulas gentilitias dederunt pariter vestes quadrifariam pictæ: & harum specimen sæpe in tabulis veterum seu Vrbium, seu templorum. Virgatæ parmulæ, & lemniscis, aut rectis, aut trãsuersis, aut obliquis exaratæ; ex vestibus, aut virgatis, aut segmentatis, aut nexilibus Synthesibus fuerunt acceptæ. Scutulatæ item parmulæ gentilitiæ; hoc est tessellis, aut quadris, aut acutis; item oblongis laterculis; obortæ fuerunt ex vestibus scutulatis, & coloratis tesserulis. Quarum vestigium suadebit in vestibus priscus virgarum, aut scutularum vsus. Has certè scutularias vittas auide amplexi sunt obliquas, aut transuersas Guelphi; Gibellini autem erectas; sicuti narrant etiam scriptores colorem album à Gibellinis; à Guelphis nigrum & colores medios stetisse.

Hactenus proposuisse sufficiat aream tesseræ gentilitiæ, quam Fœciales campum appellant. Vt autem modo de Icone referamus, quæ areæ adpingitur, aliquando coloribus, seu metallis figuratur; & familias distinguit. Præ-
D mittere circa eius originem adhuc habemus: mos fuisse Heroum, pellibus terribilium ferarum, Herculis exemplo, conuestiri; eaque specie hostem in prælijs terrere. Homerus in Iliade de Agamemnone. *De iconis origine in tesseris*

Humeros circumiecit pelle inde Leonis
Ardentis magni crurum tenus.

2. Aeneid. de Euandro.

Demissa ab læua pantheræ terga retorquens.

11. Aeneid. de Camilla.

Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ:
Tigridis exuuiæ per dorsum à vertice pendent.

Et 1. Aeneid. A

Succinctam pharetra & maculosæ tegmine lyncis.

C. Tacitus ait Germanicum contectum humeros ferina pelle adijsse castrorum vias. Imo eruditè Lipsius de Militia Rom. deprehendit in Traiani columna signiferos omnes cum eo habitu spectari: hoc est cum Leonis pelle, quæ caput, armos, & dorsum tegat, Quinimo Deos, Deasque huiusmodi belluarum formas affectasse: sic Saturnus nunc erat Draconis facie, nunc rictu Leonis, aliquando dentibus Apri, vel auis crista; ita etiam de Ioue & alijs: sed omissis fabulis, Christum Imperatorem æternum appellamus Leonem de Tribu Iuda ex illius fortitudine, si non ex pelle Leonis: vt etiam in sacris Historijs vnum instar Leonis, alterum instar Bouis, tertium instar Aquilæ figuramus.

Quod in rem nostram facit; seu propter luxum; vel quia non satis munimenti erat in pellibus aduersus telorum impressiones violentas: cum ferro tegere corpora oporteret; deinceps in clypeis, galeis, & sagulis gestari cœptæ sunt icones ferarum: inde ex vestiaria supellectile fortissimorum Ducum B ac militum data est origo tesseris etiam figuratis, vt internosci posset vnusquisque militum saltem ex clypeis, eorumue signis. Vegetius lib. 2. cap. 18. inquit: *Ne milites in tumultu prælij à suis contubernalibus aberrarent, diuersis coloribus diuersa in scutis signa pingebant, sicuti etiam moris est fieri.* Vt qui fortes essent, ignauique Ducibus proprijs conspicui redderentur; vt inquit Polybius de Galeis: *Adornantur & simplici tegmine capitis; atque est, cum lupinam, aut tale aliquid imponunt, tutelæ simul & signi causa: vt Ducioribus, cum strenuè, aut aliter pugnauerint, possint innotescere.*

Hinc crebra apud scriptores mentio militarium signorum, quæ custodiebantur accuratè inquit Pausanias lib. 5. *In Agamemnonis clypeo terror expressus est cum Leonis capite, & cum epigraphe.* Athenæus lib. 12. cap. 16. dedit Alcibiadi Fulmen excussum è nubibus. Ex Seruio 8. Aeneid. Græci milites in eo bello decennali communiter Neptunum, Troiani Mineruam gestarunt. Plinius lib. 35. cap. 5. inquit: *Pœni ex auro facilitauere & clypeos, & imagines,* C *secumque in castris tulere.* Anchoram in scuto cuiusdam expictam ait Herodot. lib. 9. *Quoniam nunquam quiescens semper rotabatur.* Claudian. de Bello Getico inquit:

Dictaque ab Augusto Legio, nomenque probantes
Inuicti, clypeoque animosi teste Leones.

Et ad rem nostram Lipsius in Annal. ad milit. lib. 3. Dialog. 2. inquit: *Græci, Romani, Barbari varias formas, aut colores scutis addere, siue ad insigne, vt cognoscibiles essent siue ad decorem: vetus ritus, & quem Heroicis quoque temporibus video obtinuisse.* Et infra: *Ab illis peculiaribus nata insignia, & argumenta hæc familiarum, quæ in vsu esse dicam an abusu? ignauissimi vsurpant; & quos meliore iure increpes, quam suum illum Africanus Scipio, qui cum ornatum scutum (* verba Frontini *) elegantius cuiusdam vidisset, dixit non se mirari; quod tanta cura ornasset; in quo plus præsidij quam in gladio haberet.*

Quinimo ex his figuris non insignia modo, sed insuper militum, & Ducum cognomenta nata esse. Videntur autem in hoc themate præludere voluisse D Oracula ipsa: nam Lysander non satis monitus per Oraculi ambages, vt Draconem vitaret, à milite occisus est, qui gestabat in clypeo iconem Draconis.

Adrastus quoque iussus ab Oraculo filias nuptui dare, alteram Apro, alteram Leoni; desponsauit eas Polynici & Thydeo; nam ille cum spolio Apri, & hic cum spolio Leonis præliabatur.

Ex quibus nobis demonstratur, dari hæc omnia signa, aut pleraque, vt præmia sint rei benè gestæ domi, forisque; sed postea euaserunt signa Generis atque ad posteros transcribi cœperunt, seu in vestibus domi exprimi;

aut

A aut in ſagis, galeis, loricis, clypeis, vexillis, phaleriſque ſi ad bellum irent: cum oportuerit hæc eſſe diſtincta vt omnis tolleretur confuſio, poſſentque ſingulæ turmæ à longè proprium ſignum agnoſcere & ſequi.

Signa parentum apud Hebræos.

Inde refert Vvillalpandus de prima Viſione Ezechielis tom. 1. part. 2. ſect. 2. ſingulos Hebræorum Principes geſtaſſe parẽtum ſymbola in vexillis, quod conſtat ex cap. 2. Numer. ibi: *Singuli per turmas, ſigna, atque vexilla, & domos cognationum ſuarum.* Quaſi dicat, ſinguli Principes diſcretas à cæteris ducant acies atque propria erigant vexilla, in vexilliſque inſignia portent, quibus à reliquis diſtinguantur. Ea autem ſunt trophæa gentilitia, videlicet familiarum ſuarum ſtemmata: vt etiam legitur in pſalm. 73. *Poſuerunt ſigna ſua ſigna*; ideſt arma, ſtemmata pro trophæis victoriæ in ſummo templi. Et voluit idem Vvillalpandus, vt faciebus quatuor animalium referrentur inſignia vexillorum quatuor Archiducum Caſtrorum Iſrael in totidem Caſtrorum cohortibus ſupra tentoria Principum erecta. Ad Orientem ſiquidem ſupra papilionem Naaſon collucebat vexillum viridis coloris, in quo depictus
B erat Leo hieroglyphicũ parentis Iudæ: ad Meridiem ſupra tentorium Eliſam eminebat vexillum rubrum, ſymbolum viſebatur Humanum caput, quod Ruben eiuſdem Pater eſſet primogenitus & familiæ caput: ad Occidentem ſupra tentorium Eliſama ſplendeſcebat vexillum aureum, in quo viſebatur caput Vituli, cui comparatus eſt Auus eius Ioſeph, Deut. 33. *Primogeniti Tauri pulchritudo eius.* Ad Aquilonem fluctuabat ſupra tentorium Achiezer filij Dan variegatum ſignum ex albo & rubro colore; huius ſtemma fuit Aquila ſerpentibus inimica, quoniam Auus parentem contulerat colubro: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in via.* Cuius loco Aquilam poſuit ſerpentum exitium. Hæc de ſignis eorumque ſymbolis tradiderunt Hebræi. Colligitur idem ex pſalm. 67. ibi: *Deus cum egredereris in conſpectu Populi tui, cum pertranſires in deſerto, terra mota eſt: etenim Cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael: pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: animalia tua habitabunt in ea.* Hoc eſt mirabilia in deſerto Populo tuo feciſti; quia animalia
C tua habitabant; nimirum quia inter cæteras figura Hominis, Leonis, Vituli, & Aquilæ in quatuor exercitus tui cornibus colluc ebat.

Præterea ſigna ſacra & hieroglyphica Aegyptio more inſculpta erant in ſingulis lapillis Bullæ Pontificiæ, non autem litteræ exaratæ: vt ex lib. Sapientiæ cap. 18. ibi: *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta.* Nempe notis, ſignis, hieroglyphiciſque ſculptis repræſentata, quæ repræſentabant duodecim filios Iſrael: vnde probatur ſimilia ſigna depicta geſtaſſe Principes Hebræorum in vexillis ſuarum acierum. Vt ex Vvillalpando vbi ſupra.

Obſeruatio in armis gẽtilitijs.

Vt quam breuiſſimè modo contraham, quæ ſuperſunt, ne prolixior ſim in noſtro themate. Notatu dignum eſt primo: inter cæteras fœcialium leges: ſi in ſcuti gentilitij area color ſit, & in eius adpicta icone ſit metallum: teſſera creditur plus & antiquitatis & nobilitatis præſeferre; quam ſi metallum in area fulſerit, exceperitque illuſas colore icones: vt ex Philiberto Campa-
D nile: quoniam priſcus mos fuit ſerico velo intexere aurum; nam veſtes omnino aureas frequentiore vſu induxerunt Barbari.

Secundo: in ijs honorarijs teſſeris humanæ formæ rarò ſpectantur: quoniam raræ in Heroum & Nobilium trabeis, & ſagis eæ pingebantur.

Tertio: vt plurimum Gentilitiorum ſcutorũ icones non inſiſtunt humi, ſed perſtant libratæ mole ſua: quoniam ex panno deſumi ſolent, in quo plures acu pictæ ſpectantur abſque tumulo, & baſi, nec re vlla ſuſtentantur.

Quarto: color Violaceus eſt rarus admodum in hiſce ſcutis ſymbolicis: quia ille diſtinxit olim Cleri veſtes, templiſq; & aris, non caſtris meruit; atq; ideo in veſtibus, vel in clypeis honorarijs nõ ſunt illorũ qui caſtra ſequebãtur.

Quinto:

Quinto: Cruces militarium ordinum in area ſcuti apponuntur coloratæ: quoniam ex panno olim iſtæ fuerunt: & hodie etiam ex panno fiunt. A

Sexto: figuræ ferarum atque auium complures, ac formæ rerum variæ, quæ in his familiarum teſſeris imbuuntur colore non ſuo frequentiſſime; nec aliam ob cauſam: niſi quia ſolent ad argumentum Principis colorari, ac veluti expingi ex eorum indumentis.

Septimo: veſtes etiam eorum, qui armigeri, aut fœciales ſunt Regum aut Ducum maximorum; ſunt ſchemate ſimili, ac regia eorum teſſera: tanta videtur eſſe rei vtriuſque propinquitas & veluti cognatio.

Denique de metallis, coloribus, & luminibus aptis huiuſmodi teſſeris, ſeu armis familiarum vide Petraſancta de Teſſeris Gentilitijs cap. 15. & ſeqq. & cap. 81. cum ſeqq. Hoc ſolum addam in apparatu rei teſſerariæ aurum & argentum in vſu eſſe præcipuè; vt ex Tertull. *Quoniam aurum & argentum principes materiæ ſunt cultus ſecularis*. Seu quoniam de ornatu veſtium dum agitur; in iſtis locum non habent æs, chalybs, ferrum, ſed duo illa pretioſa metalla dumtaxat ad ſui contextum admittunt. B

Conſideratio. De Armis, ſeu teſſeris gentilitijs in diſquirenda maiorum ſerie, ſatis iam diximus. At vero in hoc argumento ſi quis ſcrutatus curioſius omnia fuerit; ſiquidem ſi ad primam gentilitiam originem prouocemus, à Deo cuncti ſumus; ſi ad primum hominem, à ligonibus, aratro, & colo ſumus. Deinde ex ſplendidis, ſordidiſque alterna ferè ſerie profluximus, hinc Plato: *Neminem Regum non aliquando è ſeruis; ſeruorum neminem non aliquando è Regibus prognatum, aſſerere.* Omnia nimirum longa ætatum varietas miſcuit, & in omnem partem fortuna verſatur; vt ex Seneca: *Si ad veterem venocas, nemo non inde eſt, ante quod nihil.* Et ſanè in nimiam maiorum ſeriem diſquirendam dum nimis intendimus, facile aliquem in cruce, vel ſecuri reperiemus. Quid namque refert quibus maioribus progenitus quis ſit; ſi aut virtutibus illorum deſtituatur, aut dedecora fortibus factis luſtrauerit? Nonne omnes naſcimur pares, & pares morimur? licet dum viuimus impares dignitatibus, & opibus ſimus; poſt mortem etiam præmijs & pœnis impares. In nobis electio eſt honoribus & diuitijs; aut virtute vincamus: priora in fatuum & improbum cadunt, virtus in prudentem & probum; cum & ſceleratiſſimos quoſq; fortuna felices reddat; & perrara virtutis & opum ſocietas ſit, vt perrara eruditionis & diuitiarum: pariter rara Nobilitati ſociatio eſt cum virtute; dum ita dona diſpertiat natura, vt nobilitatem vni, virtutem & eruditionem alteri largiatur; & ſupra humanam felicitatem ſit vtraque beari. Vana ſane eſt nobilitas à Parentibus factis & virtute claris; quoniam illorum hæc fuerunt, non noſtra; neque virtutem cum ſemine parentes transfundunt. Senec. *Nemo in gloriam noſtram vixit; neque quod ante nos fuit, noſtrum eſt.* A virtute igitur propria, non ab aliena vera nobilitas pendet; perinde ac fortis & doctus à proprio robore & eruditione; nec ab alienis opibus diues; nec ſplendidus ab aliena menſa, ſeu veſtibus nuncupatur. Bene D. Chryſoſt. monet: *Melius eſt, vt in te glorientur parentes, quam vt tu in parentibus glorieris.* Et in eandem ſententiam Tullius: *Satius eſt me meis rebus geſtis florere, quam maiorum opinione niti; & ita viuere, vt & ego ſim poſteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum.* Hinc illa fortis & vera exprobratio. *Maiores ſuos extollunt, & fortia facta memorando clariores ſe putant; quod contra eſt: nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior* Vtinam omnes cum Magno Mario ſentirent: *Nobilitatem peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe.* Vtinam delectus detur ab ouibus & funda, nullis maiorum imaginibus cum Dauide in Regnum vocari, & victorem omnium in circuitu gẽtium ſtatui; quam poſt tot longa ſerie Reges, cum Manaſſe ab Aſſyrijs vinctum catenis & compedibus duci; aut cum Ioachas vinctum in Aegyptum à

Veranobilitas. C D

Pha-

A Pharaone Nechao mitti; aut cum Ioachim & Sedecia captiuum effossis oculis in Babylonem à Nabuedonosore trahi. Vt autem à cuiusque virtute sit vera nobilitas: Patritius Socrates non fuit, marmorario genitus; Cleanthes rigando hortulo locauit manum; Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit; Euripidis & Demosthenis parentes ipsa illorum ætas ignorauit; incunabula Tulli Hostilij agreste tugurium accepit; Tarquinium Priscum Mercator genuit; Seruius Tullius è seruo Imperium tenuit, protulitque in Imperio conditionis suæ nomen; ex taberna macellaria ad Consulatum Varro conscendit; Porcius Cato, ignobile Tusculi nomen, nobilissimum Romæ dedit. Quod si reliquos Imperatores, Reges, Principes ad initia sua duxerimus, quanti erubescent? Si ad originem vocet Deus omnes, quam multi magnis matribus nati, ignorarent patrem? Verum ne aliquos offendam, contineo manum, & receptui cano.

Sed esto, vt quis sibi nobilitatem suadeat, & se tanquam Hercule aut Agamemnone genitum? Caueat is tamen, ne indignum se maioribus præ-
B beat, nec imitetur Africani filium; vt inde audiat: *Quantas tenebras, à quo fulmine nasci, passi estis Dij immortales.* Sed addat iste nobilitati nobilitatem nouam, maiorum nimirum virtutibus virtutes nouas, vt non tam se ab illis lumen accepisse, quam illos à se lucem mutuatos constet. A robore vnicuique suo, virtute sua, factis nobilibus, non ab alienis vera laus venit; vt merito maiorum virtutibus insolescentem rideat Satyricus.

—— Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? miserum est aliorum incumbere famæ.
Ne collapsa ruant, subductis tecta columnis.
Malo Pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas;
Quam te Thersitæ similem producat Achilles:
Et tamen vt longe repetas, longeque reuoluas
C *Nomen, ab infami gentem deducis asylo.*
Maiorum primus; quisquis fuit ille tuorum,
Aue Pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Vacuus equidem rebus ille est, cui tota gloria, laus tota ab alio est: vt vacuum eruditione, cuius omnis doctrina in alieno calamo sudat: & merito quis rideat illum, qui alienis fortibus dictis, factisque vt à se natis glorietur; nempe qui Benedicti continentia, Augustini doctrina, Ambrosij eloquentia, Laurentij robore, Stylitæ ieiunio, Francisci paupertate, Antonij vigilijs, Pauli raptibus, Salomonis prudentia, Moysis mititate sese efferat. Neque enim maiorum virtutes magis in nos cum semine & lacte transeunt; quam peregrinæ, quas retuli, magnorum virtutes.

Vt igitur propositum thema claudamus: nil confert si quis nobilis sit in carne, nisi nobilior probetur in mente. A sæculi honoribus animum auertet, qui ex innocentiæ suggestu illos deijciet; vt non mirum sanctus Hilarius Can. 3. in Matth. *Meminissemus, quia omnis sæculi honor Diaboli est ne-*
D *gotium.* In quo ita se exercet, vt animas ambientium lucretur. Caueant autem qui ad honores sunt euecti, ne iure illis occinatur, quod habet S. Bernardus præsertim ad Pastores: *Et vos confusi estis in actibus vestris, non honorati, sed onerati dignitatibus vestris, quoniam Deus spreuit vos.* Parum tuta culmina esse, & illis timendum, valide probant, quæ narrat Corn. in cap. 11. Numer. ibi: *Adrianus II. Papa, teste Petrarcha, nullum supplicium maius de hoste poscebat, quam vt Papa fieret. Pius V. Pontif. sanctus dicere solebat: cum essem Religiosus sperabam bene de salute animæ meæ; Card. factus extimui; nũc Pontif. creatus, pene desspero.* Contra honores se munit, qui de honoribus ita sentit, & culminibus incipit esse maior, qui infra culmina se vere humilitatis sensu locat.

De

De Anulis. Cap. X.

A

Dictum est supra de Vestimentis: modo de aliquibus ad vsum, & ornatum corporis subiungemus: & primo de Anulis.

Antiquitas. Anulorum vsum antiquissimum esse vel ex ipsa historia Moysis Genes. cap 18. vers. 18. apud quem Iudas Thamari anulum pignoris loco dedisse scribitur, fideique seruandæ pignus. Tradit quoque idem Moyses Gen. c. 41 vers. 42. Pharaonem Aegypti Regem post somnij Regij interpretationem à Iosepho factam, anulum digito suo detractum, eiusdem Iosephi manui inseruisse: non eum qui solius ornatus causa gerebatur, siue qui fuerit honorarius, sed qui fuerit signatorius, datus illi tanquam Cancellario, ac intimo Consiliario, & Proregi admandata, & responsa Regis obsignanda, & confirmanda. Hoppingius de Iure sigillorum c. 2. n. 3. Fit etiam horum Anulorum mentio Exod. c. 35. vers. 22. Esther cap. 3. vers. 10. & seqq. & cap. 8. vers. 2. Daniel. c. 6. vers. 17. 1. Machabæor. cap. 6. vers. 14. B

Anilis secundum Plinium lib. 37. Polyd. Virg. de Inuent. Rerum lib. 2. c. 21 fabula est, quando Anulorum primordia à Prometheo cœpisse ferunt. Et quamuis à Troianis, & à Lacedæmonijs alij anulorum gestationem deriuent: certò constat antè ea tempora ex sacra Historia, quæ omnes aliarum gentium annales antiquitate, & fidei certitudine excedit; merito eius relationi acquiescere conuenit.

Etymon. Prima Anulorum Etymon est illa ab *An* particula sumpta, quia veteribus *Circum* significat, atque ideo Vinculum, atque compedum, manicarumque oppressionem. Vnde Pythagoræ symbolum, arctum anulum nos gestare vetat, quod ex D. Hieronymi interpretatione, non esse anxiè viuendum admonet, cauendumque, ne nos in eam seruitutem coniciamus, quæ dura sit, & incommoda. Pier. lib. 36. hieroglyph. Ab hac circulari figura sumptum. Anuli nomen; eadem de causa & podici datum, Anum quasi anulum vocamus; Becman de Orig. ling. Lat. in verbo Anus, Sic Annus à circuitu temporis nominatus, quoniam veteres *An* pro circuitu posuerunt: vel ab Anulo, vt Varronis est sententia. C

Materies. Materies Anulorum fuit aurum, argentum, æs, ferrum cum gemmis inclusis: contra vero multi nullas admittunt gemmas, auroque ipso signant. Gemmas vitreas in vulgi anulis notauit Plinius lib. 33. cap. 6. quarum etiam ego plurimas seruo.

Pythagoræ præceptum. Inter Pythagoræ præcepta quæ symbola appellãtur, memoriæ proditum est, nequis anulũ Dei imagine insignitum gestaret, quod Pythagoræ effatum à Clemente Alexandrino lib. 5. Stromat. quasi præceptum, aut consilium fuisse expositum, quod à Moyse iussum fuerat; ne qua scilicet imago adoranda effingeretur: quoniam Dei maiestas, quæ intelligentia tantum percipitur, vilipendi censetur, cum in materia colitur, eaque magis, quæ in anulo gestatur; siquidem contẽptum parit, quæ in prõptu est videndi consuetudo. Nec multum Iamblichus discrepat, vbi singillatim symbola exponit lib. 2. ad Symbol. 24. At vero lib. 1. de Vita Pythagoræ ait, vetitum huiusmodi gestamen, ne cui fortè in locum immundum sacram imaginem deferre contigeret. Quod didicisse Iamblichus ex quodam more temporibus Tiberij Cæsaris, vt refert Suetonius in eius vita cap. 58. Cum reus maiestatis postularetur quicunque effigiem Imperatoris anulo impressam latrinæ, aut lupanari intulisset. D

Imagines in Anulis. Illud certè Pythagoræ documentum neque Græcis probatum fuit, neque Romanis: innumeras enim anulorum veteres gemmas hodie videre est, in quibus Deorum imagines aliaue ethnicæ superstitionis symbola veteres exculpserunt.

Fre-


A Frequenter etiam anuli proferunt vultus Principum. Plinius Iunior l.10. epist.16. Gemmam commemorat habentem imaginem Pacori Regis, & Sueton. in Tiberio cap.58. Sapientiæ quoque sectatores hæresum suarum Magistros in anulis palam habebant. Cicero lib.5. de Finibus in princ. ait: *Nec tamen Epicuri licet obliuiſci, cuius imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in anulis habent.* Gestabant quoque in anulis imagines amicorum, Ouid.eleg.6. lib.1. tristium. & ego sane domi seruo gemmis incisos Socratem, Platonem, & similes Philosophos; sicut etiam Magnum Alexandrum, & alios Reges.

Sane Idolorum facies in his frequētissimæ sunt; item per Zodiacum decurrentia signa, sicuti catamitos, & meretriculas sub argumento Venerū, & Cupidinū cęlatos arbitror; vt etiam penes me imagines Iouis, Martis, Mercurij, Solis, Fortunæ, Serapidis, Cereris, Romæ schemate Militari gemellorum altricis, & alia multa Aegyptiorū deliria. Sicuti & inter meos veteres anulos ex ferro, ære, argento adiectis gemmis diuersimode signatos; quidam repe-
B ritur ex auro purissimo cum imagine virilis membri contra fascinos, vt voluit Varro lib.6. de LL. seu ad procreandam sobolem, vt Ethnici credidere.

Amicorum facies formabant, vt ipsos quasi in oculis semper haberent; vti de Epicuro Cicero lib. de Finibus. Cornelius à Lapide in Ieremiam cap.22. vers. 24. Alij etiam proprios vultus & effigies adijciebant in anulis. Coras. ad l.2.§. *Sed* vt obiter num.4. de Orig. Iur. Theodor. Hopping. de Iure Sigillorum cap.2.num.94.

Militum in Anulis Scarabæus pictus fuit. Lege enim Aegyptiorum constitutum erat, vt fortissimus quisque Cantharon, idest Scarabæum in anulo sculptum gereret; quoniam sine fœminis est illud animal: ita Legum latore innuēte, mares minime effœminatos esse oportere, qui strenuè pro patria essent dimicaturi. Aldrou.lib.4. de Insect. capit.3. Bellatorum enim animi ea maxime ratione commendantur, si viriles fuerint, virorumque sit bella gerere, masculamque virtutem & ferociam in Scarabæo expressam habere, post Aelianum & Plutarch.lib. de Isíde & Osiride, Pierius lib.8. hieroglyph. Aldrouand. dicto loco, Hopping. dicto cap.2.num.95. Reperiuntur quoque plurimæ veteres, & diuersimodæ gemmæ effigie Scarabæorum, ac varijs hieroglyphicis elaboratæ quas Duces strenuis bellatoribus tradebant, vt filo traiecto ab istis ad brachia, seu ad collum gestarentur; tradit Pign. super tabula Isiaca p.22. vt est videre ex meo Musæo: etiam hic delineatas, & apud alios.

C



D

Historiæ, res gestæ & similia in anulis: Seleuci anchora ad hoc adducitur. A
Appian. de Bellis Syriac. Hopping. dicto cap. 2. num. 98 Syllæ anulus post deuictum Iugurtham, Iugurthæ imaginem insculptam habebat. Plutarch. in vita Syllæ & Marij. Valer. Max. lib. 8. cap. 15.

Inter omnes anuli significatus, & hieroglyphica præcipuũ erat hominis ingenui *Silentium*; inde Harpocratis (cuius effigies presso obsignatoque ore, silentij signum habet) sigillum in anulis gestari solitum à veteribus, tradit Plinius. Vt quoque in Anulo Fidei signum agnoscebant; vt in sacro Textu: *Date anulum in manu eius*. Pierius, Valer. lib. 36. & lib. 41. Rub. de Anulo. *Necessitatis* Anulus apud Aegyptios habebat tesseram: apud illos enim necessitas sub specie Anuli figurabatur, nodi scilicet vel circuli, quem duo serpentes in caduceo formabant, post Macrob. lib. 1. Saturn. Pacian. lib. 2. de probat. cap. 42. num. 22. ac etiam *Nobilitatis & bellicæ virtutis* continet mysterium idem anulus; sicuti etiam sunt hastæ, vexilla, phaleræ, coronæ ciuicæ. Pierius lib. 41. hieroglyph. Rub. Nobilitas. Et apud Romanos erat anulus aureus peculiare ornamentum Equestris ordinis à plebe distinguens. B
Hopping. de Iure sigillorum dicto cap. num. 146. & seq. Vt alia innumera in his hieroglyphica omittam.

Christiani etiã signabant anulos.

Neque vero vsum Anulorum repudiarunt Christiani; siue quia hortatus nos est Apostolus Coloss. 3. *Vt quicquid agimus, in nomine Dei agamus*. Ac propterea sacris Symbolis manus suas operum effectrices exornatas gestabant; siue, vt per illas, quas gestamus gemmas in digitis, excitetur memoria ad rerum Diuinarum meditationem: adeo vt ex ijs operæ pretium arbitratus sit Clemens Alexand. Pædag lib. 3. cap. 11. præscribere aliquem terminum, intra quem contineretur hæc licentia, promiscua quidlibet in anulis insculpendi: censet enim à nostris recte geri, non quidem Idolorum facies, vel ensem, vel arcum, vel pocula; multo minus amasios, & amicas inuestes; sed Columbam, Piscem, Nauim, vel Lyram, vel Anchoram, vel Piscantes. Per Columbam intellexit Spiritum sanctum: per Piscem prandium, cum apparuit Christus discipulis, Io. 21. vel Conuiuium, quo quinque millia virorum C
pauit, Lucæ 9. per Nauim, vel Ecclesiam, vel vitam humanam: per Lyram concordiam: per Piscantes Apostolos, vel Baptisma; videmus etiam in gemmis Arcam Noëticam, Symbola nominis Christi, & Crucis: & quod hoc idem signum Christi solitum fuisset apponi in anulis Sponsalibus tradit Card. Baronius in annum 57. & ibidem Spondanus in Epitom. num. 17. & inter cæteros priscorum Christianorum signatorios anulos, lubens ego inter mea cimelia vnum ex ære asseruo, in quo cælatum est præfatum Christi signũ, ac etiam Columba cum Oliuæ ramo, Pacis symbolum, quasi quod Christus in mundum venerit mittere pacem: est quoque Stella adiecta, forsan iuxta illud: *Orietur Stella ex Iacob, &c.* Vt in delineatione hic apposita.



Cauit Solon ex Diogene Laertio, ne anularius sigillum anuli quem vendidisset, seruaret, ad vitandas nimirum fraudes, quæ ex suppositijs anulis enasci poterant; in quo hoc nostro tempore anularij maxime aberrant, dum & typos sigillorum seruant, & in propatulo habent, D
magno periculo eorum, qui hæc negligunt, & habet Tacitus Annalium l. 16. Caium Petronium coactæ morti proximum fregisse anulum, ne mox vsui esset ad subeunda pericula.

Et hæc dicta sint de materia, & forma anulorum.

De vsu anulorum.

Nunc ad vsum veniamus, dicamusque gestatos fuisse plures anulos etiam in vno articulo, seu digito. Martial. lib. 5. Epig. 10.

Sardonicos, Smaragdos, Adamantas, Iaspidas vno
Portat in articulo Stella Seuere meus,

Multas

A *Multas in digitis, plures in carmine gemmas*
Inuenies: inde est hæc puto culta manus.

Ideoque monuit Clemens Alexandrinus loco citato, non esse à viris anulum in articulo ferendum; hoc enim mulieris esse, sed in paruo digito, atque adeo in ima eius parte collocandum. Aulus Gellius lib.10. cap.10. inquit morem Romanum fuisse gestandi anulum in digito sinistræ manus, qui est minimo proximus, cui & anularis nomen est inditum: extant autem eiusce gestaminis rationes apud Macrob. lib.7. cap. 14. quoniam in libris anatomicis volunt aliqui, nerum quemdam de corde natum pergere vsque ad digitum manus sinistræ minimo proximum; quod derisui habetur apud viros peritos, qui inquiunt nihil huiusmodi comparere in humano corpore: vel potius, vt inquit Macrobius citatus, dicamus, quod in eo digito gemma anuli ab omni læsione esset tutissima.

Distinguebat etiam anulus ingenuos ab hominibus seruilis conditionis; ideoque Pater apud Lucam cap.15. ait: *Date Anulum in manu eius*. Et fuisse
B aureum probabile est, ex epist. D. Iacobi in princ. cap.2. qui nec seruis, neque libertis conueniebat: Libertini enim argenteo, serui ferreo vtebantur: cum & ijs conueniret beneficio Principis, vt notat præter cæteros Lipsius lib.11. electorum. Quamuis consueuissent prisci Romani in digitis anulos ferreos gestare, nobilitatis & bellicæ virtutis insigne, vt auctor est Plinius lib.33. cap.1. Vnde propterea forte ferro comparantur à Daniele Romani præter alias causas, quas Pererius & alij expositores assignant. At vero deuicta Asia & aucto luxu Romani depositis ferreis digitorum anulis, aureos acceperunt, additis etiam gemmis, earumque plurimis onerare consueuerint digitis articulum: vt iam diximus supra.

Anulorum ius Liberto tributum, vt scripsit Vlpianus in l.10. §. sed & si iust. ff. de in ius vocand. non eximit illum à reuerentia, quam Patrono exhibere debet: & hoc ea ratione, quia vsus anulorum aureorum beneficio Principis tributus Libertinis, quo ad viuunt, imaginem non statum ingenuitatis
C præstat, vt in l.11. C. de Iur. anulorum aureorum.

Aestiuorum, & hiemalium anulorum vsum, refert Iuuenal. Satyr.1.

Ventilet æstiuum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat maioris pondera gemmæ.

De leuioribus anulis elegans est locus Martial. epigr.63. lib.5.

Per cuius digitos currit Leuis anulus omnes.

Natalitiorum meminit Persius Satyr.1.

Et natalitia tandem cum Sardonyche albus.

Quia anulos quidem habebant, quos die tantum natali gestabant, seu alijs donabant.

De anulorum munere Martial. epigr.122. l.14. Cicero Orat.5. in Verrem inquit: *Sæpe enim nostri Impp. superatis hostibus, optime Republica gesta, Scribas suos Anulis aureis in concione donarunt*. Et hunc anuli honorem in ostentationem luxus vertit Iuuenalis satyr.7. *Anulorum munus.*

——— *Ciceroni nemo ducentos*
D *Nunc dederit nummos, nisi fulserit Anulus ingens.*

Lubet in hoc argumento referre munus quatuor Anulorum Romani Pont. Innocentij III. Richardo Angliæ Regi, vt erga hunc eximium illius amorem commendaret, ex epist. 205. Regist. eiusdem Pont. relata in Annal. Eccles. tom.13. Raynaldi. Anno 1198. num.52. his verbis.

Illustri Regi Angliæ.

Inter opes terrenas, quas mortalis oculus concupiscit, quasi cariora desiderat aurum obryxum, & lapides pretiosas; licet autem his, alijsque diuitijs excellentia regalis abundet, in signum tamen dilectionis & gratiæ quatuor anulos aureos cum diuersis lapidibus pretiosis tuæ Magnitudini destinamus,

in quibus ſpiritualiter intelligere formam, & numerum, materiam, & colorem; vt myſterium potius, quam donum attendas. Rotunditas enim æternitatem ſignificat, *quæ initio caret & fine*: habet igitur regalis prudentia, quid in anuli forma requirat, vt de terrenis tranſeat ad cæleſtia, de tẽporalibus ad æterna procedat. Quaternarius autem, qui numerus eſt quadratus, conſtantiam mentis inſinuat, quæ nec debet aduerſis, nec proſperis eleuari: quod tunc laudabiliter adimplebit, cum quatuor virtutibus principalibus fuerit adornata, videlicet Iuſtitia, Fortitudine, Prudentia, Temperantia. Intelligas igitur in primo iuſtitiam, quam exerceas in iudicijs; in ſecundo fortitudinem, quam exhibeas in aduerſis; in tertio prudentiam, quam obſerues in dubijs; in quarto temperantiam quam in proſperis non dimittas. Per aurum vero ſapientia deſignatur, quia ſicut aurum præeminet vniuerſis metallis, ſic ſapientia donis omnibus antecellit, Propheta teſtante, qui ait: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, &c.* Nihil eſt quod magis oporteat Regem habere: vnde Rex ille pacificus Salomon ſolam à Deo ſapientiam poſtulauit, vt populum ſibi commiſſum prouide ſciret gubernare. Porro ſmaragdi viriditas fidem; ſapphiri ſerenitas ſpem; Granati rubicunditas charitatem; Topazij claritas operationem ſignificat; de quo Dominus ait: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, &c.* Habes igitur in Smaragdo quod credas, in ſapphiro quod ſperes, in granato quod diligas, in topazio quod exerceas; & de virtute in virtutem aſcendas, donec Deum Deorum videas in Sion. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Kal. Iunij.

Anuli ſignatorij.

Adhibebant autem anulum ad ſignandum, quicquid lubebat, vt abditum eſſet, ſecretumque, nempe Cellas, Dolia, & vtenſilia, ſicut & epiſtolas, ac teſtamenta; ideoque Pater pluribus filijs hæredibus inſtitutis moriens claues, & anulum cuſtodiæ cauſa maiori natu filio tradidit l. 79. §. Pater pluribus de legat. 2. & quemadmodum dixit Seneca lib. 6. de Benef. cap. 15. *Anulis noſtris, pluſquam animis credimus.* Quibus videlicet anulis ad contractus roborandos ſigna ſolemus apponere, vt cum aut teſtamentarijs, aut matrimonialibus tabulis, aut ſtipulationum, pactionumque Chirographis illa ſigna imprimerent, id ſe, quodammodo Deo teſte, facere crederent.

Dicebantur iſti Anuli Sigillares, Sigillaricij, & Signatici, qui habent characteras, formas, imagines. Hinc Q. Curtius lib. 3. ait: *Epiſtolamque ſigillo anuli ſui impreſſam puluino, cui incumbebat, ſubiecit.* Vopiſcus in Aureliano ait: *Vxori & filiæ anulum ſigillaricium, quaſi priuatus inſtituit.* Sic Q. Frater ad Tironem l. 16. ep. Ciceron. ait: *Sicuti etiammatrem meam facere memini, quæ lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur aliquæ inanes fuiſſe.* Eodem ſenſu Horat. lib. 2. ep. 2.

Et ſigno læto non inſanire lagenæ.

Ita Plautus in Perſa.

Triparcos homines vetulos, auidos, aridos,
Bene admonere, qui ſalinum ſeruo obſignant cum ſale.

Et idem in Caſina.

Obſignate cellas, referte anulum ad me
Ego huc tranſeo in proximum ad meam viciniam.


Eſt & celebris Herod. hiſt. de Anulo ſignatorio Polycratis Samiorum Principis, mari fortunæ periclitandæ gratia merſo, & in capto piſce recepto.

Concredere hos anulos non niſi ſpectatæ, & probatæ fidei homini veteres ſolebant: ita morientes, vel de vita deſperantes. Q. Curtius lib. 10. de Alexandro Magno, qui ſexta à decubitu die exemptum digito anulum poteſtatis iubendi & mandandi ſummam, Regnique hæreditatem Perdiccæ dedit, eoque gliſcentem amicorum ſedauit ſeditionem. Sic refert Dio lib. 54. circa fin. Auguſti Imp. anulus Mecœnati & Agrippæ duobus ſuis intimis conſiliarijs conceſſus erat, imo & in vim ſucceſſionis creditus. Ita & Suet. in Tiberio

A berio c.73.qui deficiens exemptum digito anulum, quasi alicui traditurus parum pertenuit, deinde rursum digito aptauit.

Non solum ad signandum anulis vtebantur, verum etiam ad claudendum; sicuti claues inseruiunt, vt inquit Tacitus lib.2. Annal in princ. *Irridebantur & Græci comites, at vilissima vtensilium anulo clausa*. In quem locum plura Lipsius: & de prædictis anulis in vsum Clauium, de quibus plurimi in meo Musæo, aliquos hic tantum delineatos propono.

B



Arrha vero, & Sponsio anulo interueniente celebrabantur l.5.de Institor. act. Item Sponsas anulo donatas Iuuen. satyr.6. *Deinde Adamas notissimus, & & Berenices in digito factus pretiosior*. Et Tertullian. in Apolog. capit.6. reprehendens luxum fœminarum inquit: *Circa fœminas etiam illa maiorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ sobrietati patrocinabantur; cum aurum nulla norat præter vno digito, quem sponsus oppignorasset Pronubo anulo*. Quinimo refert Plinius natural. hist. lib.33. cap.1. Ferreum anulum, eumque sine gemma à sponso sponsæ mitti sua ætate apud Romanos consueuisse, apud quos bellicæ virtutis quoque talis ferreus anulus insigne erat.

C

Hinc B. Agnes apud D. Ambrosium inquit: *Anulo suo subarrhauit me Dominus meus Iesus Christus*. Ac si in testimonium inuiolatæ continentiæ traditus esset talis anulus: vt de egregio facinore cuiusdam Anglicæ matronæ nomine Cæciliæ refertur ex historia Angl. Parisij in Eccles. Annalib. tom.13. Raynaldi n.13. Hæc, inquam, defuncto viro coram sancto Edmundo Cantuariensi Archiepisc. continentiæ votum emiserat, & abiectis muliebribus ornamentis vitam magno virtutum exemplo duxerat: moritura autem facta peccatorum confessione, Dominici corporis viatico munita, & extrema vnctione delibuta; cum eam Confessarius respexisset anulum aureum in digito detinentem, dixit ancillis; deponite illico anulum illum, ne moriatur

D sic adornata: ipsa vero licet semiuiua resumpto spiritu, sic loqui conata est: *Absit, absit hoc Pater à me, vt vnquam recedat à me viua, vel mortua iste anulus quem ante tribunal Dei sponsi mei proferam in testimonium inuiolatæ continentiæ, quam ei per hunc anulum promisi, vt recipiam, quam pepigimus retributionem: scio cui credidi, quoniam nobilium amplexus pro ipso cum optimis dotibus recusaui*. Et sic manum retraxit, & recuruato digito anulum, quem famulæ attentabant deponere, retinuit; & ita sermonem cum vita terminauit. Discretus vero Confessarius tam verba deuota, quam pium propositum commendauit.

De

De Fibulis. Cap. XI.

A

QVoniam apud fere omnes antiquitatum ſtudioſos reperiuntur Fibulæ antiquæ, diuerſis formis elaboratæ (quarum aliquas, quia ego, & alij hic Romæ habemus) curaui, nec puto abſurdum, aliquid de eis dicere, cum & illæ ad ornatum etiam veſtimentorum eſſent.

Fibula igitur rox origine Latina teſte Ioanne Meurſio ab antiquo Fibo, vel à Fidendo, vt refert Iulius Scaliger: *Quaſi findat illud, quod perforat*. Vnde apud Columellam de Re Ruſtica lib. 1 cap. 6 Fibulari dicitur idem, quod iungi.

Architectonica. Fibulas diuidemus in Architectonicam, & Veſtiariam, & Gymnaſticam; Vitruuius lib. 1. cap. 5. & lib. 10. cap. 2. expreſſè meminit Architectonicæ: eaq; vulgo Ferramentum eſt, quo tigna coniunguntur, quod comprobaſſe videntur nonnulli, qui Confibulam quoque ferrum dicunt, quo lapides, & ligna coniunguntur inter ſe: inde confibulare, & affibulare, nempe Fibulas colligare, vt apud Iſidorum, & alios. B

Veſtiaria. Fibula vero Veſtiaria propriè eſt ornamentum Cinguli, qua per anulum pars cinguli retinetur ad veſtem ſubligandam. Iſidorus de Origin. lib. 19. c. 31. *Quod pectus fœminarum ornat, vel pallium virorum in humeris, Cingulum in lumbis firmat*. Et apud Iul. Pollucem lib. 7. cap. 13. *Tunica aperta Fibulis circa humeros connectebatur*. Aelianus Var. hiſtor. lib. 1. cap. 11. *Tunicarum vero eam partem, quæ eſt ab humeris, vſque ad manus, non conſuebant, ſed continuis Fibulis aureis; & argenteis conſtrinxere*. Fibulam quoque eſſe vinculum, quo mulieres fluentem retro veſtem ſubnectebant, in Vitruuium adnotat Philander; nec Lunulas in Senatorum Calceis aliud, quam Fibulas fuiſſe Eburneas Lunæ inſtar corniculantes, opinatur Alexander ab Alexandro dierum Genialium lib. 5. cap. 18. & Gangræus ad Iuuenalem ſatyr. 1. *Lunula, nempe illa, fuit Fibula in Malleolo pedis eborea, ſpecie Lunæ*. Imo Arcadum more lunatos, Plutarcho teſte, Patriciorum Calceos declarat Iuuenalis ſatyr. 7. C

Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Talem vero Fibulam nobilitatis olim extitiſſe indicem hoc Statij verſu habemus.

Primaque Patricia clauſit veſtigia Luna.

Eo videtur ſpectare modus, quem è Zonera Magius repetit Miſcel. lib. 3. c. 3. *Patricios in Vrbe calceos geſtaſſe adornatos corrigiarum inflexione, & forma littera*. C. Nec aliter Gallienus apud Trebell. Poll. *Caligas gemmatas annexuit*. De huiuſmodi Lunula in Calceis nobilium: dixi ſupra in cap. 8. de Veſtimen.

Fibula quoq; Capillitium continebat. Lucianus dialogo de Domo: *Aliqua Fibula, vel tænia comam diſſluentem colligans*. De hac Virgil. fortè 10. Aeneid.

Fuſos ceruix, cui lactea crines
Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.

Vſus huius Fibulæ expreſſit Corippus lib. 2.

Subſtrictoque ſinu veſtes Diuina pependit D
Poplite fuſa tenus.

Flamines præterea pro ſua Diuinandi facilitate, infibulatos fuiſſe, voluit Ioannes Rhodius de Acia cap. 5. Ex Varrone de ling. Latin. lib. 4. *Quod in Latio capite velato erãt ſemper, ac caput cinctum habebant filo*. Et clarius idem Varro lib. 5. de ling. Lat. *Eo præter Virgines Veſtales, & Sacerdotem publicum introeat nemo; is cum eat, ſuffibulum haud habeat*. Quamuis ſuffibulum hoc in loco videatur ſubligaculum, Feſto tamen *Eſt Veſtimentum album, prætextum quadrangulum, oblongum, quod in capite Veſtales Virgines ſacrificantes habebant, idque Fibula comprehendebatur*. Vt puta ſub mento.

Fibulæ

A Fibulæ porro vſum ſic docuit Pancirol. de Reb. deperditis pag. 312. *Con-* *Vſus fibulæ.*
ſideratione dign[illegible] qua veteres togam ſubnectebant, & quandoque etiã
inſtar veli
ſupra dex-
Cana licu-
tes adſtrin-
lam nodus
abatur.
empſterus
iæ.

cum armil-
lat.
is. Bayfius
juæ operta
Chlamydi-

nfimæ ſor- *De materia.*
to de verb.
ſimum æreis
haleris ar-
geret. Vo-
ıcedebatur

ſrio pretio-
ulis, & au-
Baltheum.
ollio: *Cum*

ſſiſſe, ſatis
gnificentia.
lende fuiſſe.
ratores, ac
ırum vſus in

xerunt. Vt
omnibus Sa-


rem erit: ex *De forma.*
cunculis di-
ıciuntur e-
leæ, & An-

guium ſpecie; vt in delineatione a me hic appoſita.


Vnus tamen omnium vſus, idemque vtendi modus fuit: veram huiuſmodi fibulæ fabricam, ſic expreſſit Pancirolus: *Inferius, & externa parte grandiorem habebat acum cum æreo, aut aureo filo, quo efficiebatur, vt illa abſque vlla difficultate quaſi fluctuans vagaretur, ipſius præſertim cuſpide in Canalicula,*

quæ


FIBVLAE IN MVSEO AVCTORIS




Cl. Menetrii



L. Pignorii




Fr. Angeloni




M. Milesii



H. Ernstii



H. Gvaldi



De Fibulis Cap. VI

O Voni
antic
hic Romæ h
& illæ ad o
Fibula igi
vel à Fiend
Vnde apud
quod iungi.

Architectonica. Fibulas d
Vitruuius lil
eaq; vulgo
videntur no
ligna coniun
colligare, vt

Vestiaria. Fibula ve
pars cinguli
Quod pectus
lumbis firma
ca humeros c
ro eam parte
nuis Fibulis
quo muliere
Philander; t
burneas Lun
rum Geniali
nempe illa, f
more lunat
satyr. 7.

A
Talem vero
bemus.

P
Eo videtur sp
Patricios in V
tera. C. Nec
De huiusmo

Fibula qu
Fibula, vel t

F
Acci
Vsus huius
S
P
Flamines pr
Ioannes Rh
Latio capite

Varro lib. 5. de ling. Lat. *Eo præter Virgines Vestales, & Sacerdotem publicum introeat nemo; is cum eat, suffibulum haud habeat*. Quamuis suffibulum hoc in loco videatur subligaculum, Festo tamen *Est Vestimentum album, prætextum quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales Virgines sacrificantes habebant, idque Fibula comprehendebatur*. Vt puta sub mento.

Fibulæ

A Fibulæ porro vſum ſic docuit Pancirol. de Reb. deperditis pag. 312. *Conſideratione digna eſt Fibula, qua veteres togam ſubnectebant, & quandoque etiã cingulum: Fibula enim ſuperius annexa in ſinum fundebat togam, inſtar veli vento inflati.* Et mox: *Facta eſt potiſſimum in eum finem, vt togam ſupra dexterum humerum cõnecteret; in quo duæ illius partes ſubiectam acum in Cana licula ſtringebant: nec enim adſuta panno erat Fibula; ſed duas togæ partes adſtringendo, non vero tranſfigendo ſubnectebat. Quapropter ſuper Fibulam nodus quidam conſpiciebatur ex toga, quæ cum venuſtate, & elegantia dilatabatur.* *Vſus fibulæ.*

Fœminarum ornamentis annumeratam fuiſſe credit Thomas Dempſterus Prudentium ſecutus, apud quem lib. 2. in Sym. in Mundo Fœminæ.

Crinalis acus, Redimicula, Vittæ;
Fibula, Flammeolum, Strophium, Diadema, Monile.

Et Plinius lib. 12. cap. 19. *Reuehunt Vitrea, ænea: Veſtes, Fibulas, cum armillis, ac monilibus. Ergo negotiatio illa fœminarum maxime fide conſtat.*

Viris quoque ornamento Fibulæ fuere in Mantellis, ſeu Penulis. Bayfius
B de Re Veſtiaria: ſicuti & in Chlamydibus, ſeu Paludamentis, quæ operta Fibulam deſiderabant. Hinc in lib. 11. Cod. l. 1. *Fibulis quoque in Chlamydibus vtantur ijs, quæ ſolo auro, & argento pretioſæ ſunt.*

Fibula ex ferro, orichalco, argento, auro, aut quouis metallo: Infimæ ſortis hominibus propria erat ferrea; ænea, etiam ſic referente Feſto de verb. ſigniſ. *Infibulati ſacrificabant Flamines propter vſum æris antiquiſſimum æreis fibulis.* Mediocris fortunæ milites manipulares in Baltheis, aut Phaleris argentea vtebantur, donec Aurelianus Imperator ijs aureas indulgeret. Vopiſcus in Aurel. Ditioribus poſtea Leonis Auguſti decreto concedebatur aurea: Principibus frequentior. Ita Didoni Aeneid. 4. *De materia.*

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Quin & gemmis diſtinctas fuiſſe, Aeneid. 5.

Lato quem circumplectitur auro
Baltheus, & tereti ſubnectit fibula gemma.

C Et Claudianus de Raptu Proſerpinæ lib. 2.

Collectæ tereti nodantur laſpide veſtes.

Fibulam Imperatoribus fuiſſe propriam, ac in veſtitu Imperatorio pretioſiſſimam. Ita Gallienus, vt in eius vita Treb. Poll. *Gemmatis fibulis, & aureis vſus eſt.* E diuerſo Adrianus ex Spartiano ſine auro ipſe Baltheum ſumpſit, ſine gemmis fibulas ſtrinxit. Et in Gallieno Trebell. Pollio: *Cum Chlamyde purpurea, gemmatiſque fibulis, & aureis Romæ viſus eſt.*

Fibulæ aureæ, & gemmeæ originem ex veterum ſacris proceſſiſſe, ſatis probabile eſt; nempe ſupremo Sacerdoti dilecti populi tali magnificentia ſub Myſterij velo adornatam imperabat Dominus: quod Reges deinde fuiſſe imitatos, penes quos diu ſacrorum Ius manſit, ac poſtea Imperatores, ac Primates, donec tandem creſcente in dies luxu ſingularis Fibularum vſus in communem tranſiret.

Etiam Mortalium primi Fibula, ſiue ſpina ſibi veſtes adſtrinxerunt. Vt de veterum Germanorum moribus differens Tacitus: *Tegumen omnibus Sa-*
D *gum Fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum.*

Hiſce de materia præmiſſis, Fibulæ formam nouiſſe magis ad rem erit: ex ijs aliquæ circulares, ſiue anulares erant omnes varijs quidem icunculis diſtinctæ, vnica tamen fermè figura ad arcum accedentes: conſpiciuntur etiam forma quadrangulæ, Equi, Hinnuli, Auis, Delphini, Cochleæ, & Anguium ſpecie; vt in delineatione a me hic appoſita. *De forma.*

Vnus tamen omnium vſus, idemque vtendi modus fuit: veram huiuſmodi fibulæ fabricam, ſic expreſſit Pancirolus: *Inferius, & externa parte grandiorem habebat acum cum æreo, aut aureo filo, quo efficiebatur, vt illa abſque vlla difficultate quaſi fluctuans vagaretur, ipſius præſertim cuſpide in Canalicula,*

quæ

quæ in altera Fibulæ parte erat; impressa. Et Iulius Scaliger exerc. 329. de Fibula tractans, eam solius acus nomine exprimere videtur, dum ait: *Talis acus ærea, vel aurea, quæ in anulo transuersa transadigit corrigiam ad cincturas*. Videre est etiam inter cæteras meas Fibulas hic delineatas, acus, cui annexa est Columba ad ornatum, vt inseruiat ad vestes, seu similia subnectenda: neque sane absonum erat, à veteribus variam fibulæ speciem formari, modo rectus ei vsus constaret; non minus formæ magnitudinem immutantes, quam fortunæ conditio, materiæ pretium, aut ingenij solertia figuras. Vt ex Iconibus hic in aperto est. A

Fibula Gymnasiica. Est quoque aliud genus fibulæ, quam Gymnasticam appellant, Cantoribus & Comœdis præcipuè inseruiens: hæc siquidem ponitur pro Circulo aeneo, quo adolescentulorum virilia solent coerceri conseruandæ vocis gratia, quæ ex Veneris vsu debilior reddi solet, & asperior. Corn. Celsus de Re Medica lib. 7. cap. 25. ait: *Infibulare quoque adolescentulos, interdum vocis, interdum valetudinis causa, quidam censuerunt; eiusque hæc ratio est: cutis, quæ super glandem est, extenditur, notaturque vtrinque à lateribus atramento, qua perforetur, deinde remittitur*. Et paulo post: *Tum, qua Notæ sunt cuti, Acu filum ducente transuitur, eiusque fili capita inter se deligantur, quotidieque id mouetur, donec circa foramina cicatriculæ fiant; vbi hæ confirmatæ exempto filo fibula inditur, quæ quo leuior, eo melior est. Sed hoc quidem sæpius inter superuacua, quam necessaria est*. Hinc Martial. epigr. 8. sic ait. B

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Vt sit Comœdis omnibus vna satis.

Et Iuuenalis satyr. 6.

Soluitur his magno Comœdi fibula. sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent.

Porro Athletas etiam in Palæstra pugnantes fibulam vsurpasse ostendit Martial. lib. 7. epigr. 81.

Cæterum quæ fuerit materia, & forma fibulæ huic operi destinatæ, Celsus supra dictus Metallicam fuisse ait: *Quo leuior, eo melior*. Et Martialis l. 9. epigr. 28. C

Iam Pædagogo liberatus, & cuius
Refibulauit turgidum faber penem.

Circulum quidem hanc fuisse æneum arbitrati sunt plerique, vt suggessisse videtur vetus Interpres ad illud Iuuenal. satyr. 6.

Nullius Fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus.

Fibulam dicit Circellos, quos Tragœdi, siue Comœdi in pene habent. Et hæc forma Circularis huic vsui concinnior videtur fuisse: siquidem anulum tenuissimum, argenteum, aureum, siue æneum intelligit, item versatilem, non ponderosum.

Accessisse præterea velandis inguinibus thecam quamdam, vel eius vice Alutam, idest Pellem tenuem, ac mollem, ex Martial. lib. 7. epigr. 34.

Inguina succinctus nigra fiat seruus aluta.

Et Amiculum hoc solis virilibus destinatum satis explicat Isidorus, qui Gymnasium ex eo dictum refert, quod Iuuenes nudi exercerentur in Campo, vbi sola pudenda operiebantur cinctu, siue lata zona, quæ inde Campestris dicebatur, vt ex Thucididis testimonio lib. 1. *Olim in Olympiaco certamine athletæ subligacula circum verenda habentes, pugnabant*. Et mox: *Apud Barbaros & Asianos præmia pugilibus, ac luctatoribus proponuntur, & hi subligaculis in certamine vtuntur*. Et Tullius lib. 1. offic. *Scenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, vt in Scenam sine subligaculo prodeat nemo*. Et ex hoc indumento, seu subligaculo intelligitur Martial. 7. epigr. D

Dum ludit media Populo spectante Palæstra.

Delapsa

A *Delapſa eſt miſero Fibula, Verpus erat.*

Locus certè obicurus, ſi ad Celſi Infibulationem examinetur; etenim cum à fabro refibulari conſueuerat, ab alio demi fibula non poterat, niſi ponderis vi pelle attrita: vt conſiderauit Ioſephus Scaliger.

Et de Theodora Iuſtiniani Imp. vxore, pudoris ſui in ſcena interemptrice, de qua Procopius in Anecdotis, habentur hæc verba: *Sæpe autem in oculis totius Populi nudabatur, & nuda erat in medio; cum tamen ſubligaculo pudenda eius & inguina tegerentur.* Inde ego ex meo Muſæo hic delineandas curaui ex ære hominum figuras, qui Gibberi, capitibus acutis, ijſdemque raſis & in totum monſtroſi infibulati extant. Quæ hominum propudia qui moriones, miriones, & ſanniones nuncupati, non ſolum in ſcenam inducebantur, ſed etiam in diuitum ædibus ad riſum & ludibrium alebantur; de quibus Arnobius lib. 7. inquit: *Delectari ſtupidorum capitibus raſis.*

B



C

Ioannes Britannicus in ſuis ad Iuuenalem Commentarijs Satyr. 6. refert, quod prædicto indumento vtebantur non ſolum ad inguina tegenda, ſed etiam vt libidinem comprimerent. Admittens præterea ad hoc alteram fibulæ ſpeciem, nempe tenuiſſimum filum, ſiue æneum, ſiue argenteum, quod præputio ab vtroque latere ſuper glandem perforato addebatur.

Cæterum diuerſitate notabilis eſt apud Strabonem Geogr. lib. 17. Infibulationis modus, quem ille de quorumdam Aethiopum mulieribus ita protulit: *Armant etiam mulieres, quarum pleræque oris labium æneo circulo traiectum habent.* Eam conſuetudinem hodie ad nares traductam habemus ex plurimis Itinerarijs. Et Odoardus Barboſa tom. 1. Itinerar. Turc. lib. 1. c. 2. refert in Regno Narſica mulierum naſo inauris more Vnionem, vel Pyropum perforatum pendere: viris inter Braſilicæ incolas hoc etiam in labro inferiori vſitatum ex Purchaſij itinerario lib. 12. capit. 16. & 20. Vetuſtiſſimam hanc fuiſſe rationem, quoque conſtat ex ſacris litteris Prouerb. cap. 11. *Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra, & fatua.* Et hæc de Fibulis dicta ſufficiant, de quibus etiam plurima ſcripſit Eruditiſſimus Ioannes Rhodius in Diſſertatione de Acia, cui hæc iam dicta maxime aſcribo.

D Morem Romanorum fuiſſe iam vidimus: vt comprimeretur ſeruorum &

cantorum luxuria, consueuisse istos infibulatos habere: Ecclesiasticorum autem sensualitas quantum Deo displiceat, quorum munus est altari inseruire, Altissimo sacrificia offerre; ideoque Petrus Damiani in princ. ep. 6. tom 1. exclamat: *Tentaui genitalibus sacerdotum (vt ita loquar) continentiæ fibulas adhibere, &c.* Ad comprimendam nempe eorum lasciuiam; quoniam carnis illecebræ in eminentioribus personis durius vindicantur: ideoque caueant, quibus hæc enunciantur. A

De Pileo apud Romanos. Cap. XII.



B

CVM bon. mem. Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Franciscus Vitellius Vrbinas Archiepiscopus ex sua Veneta Legatione attulisset Romam congeriem antiquorum Numismatum, quorum erat ipse peritissimus & inter cætera præbuisset mihi supra delineatum numisma de fœmina exhibente manu dextera Pileum sub Galba Imperatore.

Cumque incidisset sermo inter nos de eo, decretum est fuisse illud Symbolum manumissionis, seu Libertatis constitutæ: Pileus etenim quandoq; pro libertate vsurpatur, & apud Romanarum rerum scriptores seruos ad Pileum vocatos legimus, hoc est ad libertatem. Cuius testis est Liuius lib. 24. *Postero die serui ad Pileum vocati, & Carcere vincti emissi.* Sueton. in Tiber. *Seruisque ad Pileum frustra vocatis in Siciliam profugit.* Et ad rem nostram maximè facit Emblema 150. Andreæ Alciati de Liberata Republica à Bruto, Cassio, & cæteris coniuratis occiso in Senatu Iulio Cæsare; ij ceu libertate Populo restituta fabricari Numisma voluerunt, in quo sculpti erant duo Pugiones adiecto Pileo: Pugio cædem patratam omnino significabat, Pileus vero libertatem, Dio lib. 47. C

Accipiebant Serui pileum raso capite, cum manumittebantur. Plaut. in Amphitr. *Vt ego hodie raso capite caluus accipiam Pileum.* Cœlius Sabinus I.C. Pileati, & raso capite erant, qui manumittebantur. Scribit Aurelius Victor: *Mortuo Nerone sic cunctas Prouincias, omnemque Romam exultasse; vt Plebs induta Pileis manumissionum, tamquam sæuo exempta Dominio, triumpharet.* Et Plutarch. in Flam. *Et alij Pileati sequebantur triumphum.* D

Habeo apud me aliud Numisma supra effigiatum à præcedenti non multum absimile, sed tempore satis recens, quod retuli ex Batauia; ab eisdemque Incolis de eorum prætensa libertate vane exultantibus, in quo pileum est excusum adiecto verbo LIBERTAS.

De Pileo apud Romanos.

Est quoque non incuriosa altera quæstio, quam excitat Lipsius de Amphiteatr. cap 19. Fuerint ne Pileo vsi Romani? & quo tempore?

Caput opertum, & sine tegmine haberi solitum non à Romanis solum olim sed & veteribus Græcis, Germanis, & Gallis reperio. De Græcis apud Home-

A Homerum non Cauſiæ, non Pilei vſquam mentio, ab eodemque ritu eos abſtinuiſſe refert eiuſdem Interpres. Quin Horatius in vita Hippocratis anxius, cur imago eius pileata cernatur, idque alij ad Peregrinationes, alij ad alias cauſas, quas vide, retulere. At de Germanis, cirros eorum, nodoſque commemorat Tacitus de moribus German: tegmina nuſquam. Imo de Sueuis clarè ſatis oſtendit, pugnaſſe eos capite aperto, crinibus religatis in altitudinem quandam, & terrorem: Gallos comatos dicimus ea parte intectos, & pleraſque imò Europæ gentes, demum apud Parthos, vt nouum, Pileum Martialis inuenit.

Fruſtra blanditiæ venitis ad me:
Ad Parthos procul ite Pileatos.

Videmus quoque nos hic Romæ in Traiani Columna ſcalptos eſſe Dacos Pileatos.

Sed de Romanis certius hoc nobis eſt: primum Nummi omnes, vetereſque ſtatuæ (in quibus cultus, & habitus priſcus) ſine tegmine ſemper. Qui-
B bus concordant ſcriptores, Suetonius etenim de Iulio Cæſare refert: *Ex omnibus honoribus illi decretis, non alium libentius, aut crebrius vſurpaſſe ait, quam ius Laureæ Coronæ perpetuò geſtandæ, idque ad Caluitium celandum.* Qua certè aptior, & fidelior ad diſſimulandum Pileus fuiſſet.

Fuere tamen tempora quædam, & homines, quibus ius, & vſus caput tegendi fuit. Tempora quinque, *Sacra, Ludi, Saturnalia, Peregrinatio, Militia.*

Nam Romanos dum ſacrificabant, capite fuiſſe velato, idque priſco quodam ritu. Vt eſt videre in Numiſmatibus, & Marmoribus antiquis, & ex auctoribus,

In Ludis item Pileatos fuiſſe Romanos ex Martiali.

In Pompeiano tectus ſpectabo theatro;
Nam Populo ventus vela negare ſolet.

Vopiſcus in Carino. vbi Iunium Meſſallam, eiuſque effuſionem in Ludis acerbè taxat: *Donati ſunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri canuſini.*
C Saturnalibus etiam, per quos liberrimæ Vitæ dies, Pileus admiſſus, ſignum nempe Libertatis. Martialis.

Permittis puto Pileata Roma.

Idem.

Dumque decent noſtrum pilea ſumpta Iouem.

Sed & Peregrinatio quoque Petaſum ſumpſit contra pluuiam, æſtus, & ventos. Cicero in epiſtolis deſcribens Tabellarios iturientes: *Petaſatos eos venire, & comites expectare ad Portam.* Sueton. de Aug. *Solis hiberni quidem patiens, domi quoque non niſi petaſatus ſub dio ſpatiabatur.* Demum nec militia Pileo exempta: *Vſque ad præſentem ætatem conſuetudo permanſit, vt omnes milites Pileis, quos Pannonicos vocant, ne Pellibus vterentur.* Veget.

Fuere quoque homines, qui Pileo vtebantur: liberti noua libertate donati erant Pileati, vt diximus ſupra.

De Aegris hoc item licuit. Ouid.

D *Arguat & macies animum, nec turpe putaris*
Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Sed & Senibus etiam Pileum tribuerunt. Vt refert Nicephorus Gregoras eum morem cum Romano Imperio etiam Byzantium translatum, lib. 10. in fin. *De capitis tegmine mos erat apud ſuperiores Principes, vt ætate prouectiores Aulici Pileis vterentur, ſerico tectis, Iuniores autem prorſus nudis eſſent capitibus.*

Demum & Conuiuæ fuiſſe videntur Pileati. Horatius.

Vt cum Pileolo ſoleas Conuiua tribulis.

Sed hunc habitum conuiualem de Pileo, & ſoleis non habemus penes alios

auctores: vnde magis credendum Pileorum vsum in Balneis fuisse; à quibus cum exirent, eosdem aliquando retinuisse etiam in mensa. A

Qui mos Romanorum in deferendo honore?

Supereſt demum tertia quæſtio de Pileo. Qui mos Romanus de honore verſus digniorem capite aperiendo, an id ſemper apertum? Quam ſoluit clarè Plutarchus in quæſt. *Romani, ſi cui obuiam facti ſunt, cui honor habendus, & ſi forte caput veſte iniecta tectum habeant, id reuelant.* Hinc capitis tectio, & aperitio Romæ; Laciniam quippe togæ in caput ſæpe reijciebant contra ventum, aut æſtum, eamque detrahebant in honorati alicuius occurſu. Plutarch. idem in Gracchis: *Laciniam togæ reijciens in caput.* Interdum capite incedebant palliolato, ſed ægroti; & delicati non abſque ſuſpicione luxus. Seneca de Mecœnate: *Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput.* Et Petronius de molliſſimo Trimalcione: *Pallio coccino abraſum incluſerat Caput.* Sueton. in Claud. cap. 11. *Ob valetudinem gladiatorio munere nouo more Palliolatus præſedit.* Et Quintilian. *Palliolum ſicut faſcias, & focalia, ſola excuſare poteſt valetudo.* B

Caput aperuiſſe Romanos in honore habendo, ex Salluſtio: *Sullam in victoria Dictatorem, equo deſcendere; Pompeio vni adſurgere de ſella, caput aperire ſolitum.* Item Seneca: *Si Conſulem videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor ſolet haberi, faciam, equo deſiliam, caput aperiam.* Loquuntur quippe prædicti de Militia, aut Peregrinatione, ſeu quia de capite reijciebant Laciniam togæ ad honorem Dignioris. Et hæc ſatis.

Chriſtiani ſalutantes pacem annunciabant.

Quoniam apud priſcos Romanos mos fuit in ſalutationibus caput aperire, vt vidimus: lubet non omnino extra noſtrum argumentum adnectere; ſicuti Chriſtiani naſcentis Eccleſiæ conſueuere ſalutantes, Pacem annunciare. Hac illi voce in ſalutationibus vtebantur, ſalutem, felicitatem, & incolumitatem precantes: vt videre eſt in eo, quod diſpenſator domus Ioſeph reſpondit timore turbatis filijs Iſrael, Geneſ. cap. 43. *Pax vobiſcum, nolite timere.* Et in lib. Iudic. 19. *Cui reſpondit ſenex: Pax tecum ſit.* Quem morem ſeruaſſe videtur Chriſtus Dominus, ſuos hac voce ſalutans, Io. 20. *Pax vobis.* C Quinimo & diſcipulos ſuos hortatur, vt hac vtantur ſalutatione dicens Luc. 10. *In quamcumque domum intraueritis, dicite: Pax huic domui, &c.* Et de hac incolumitate ſciſcitatur Dauid nuncium 2. Reg. capit. 18. dicens: *Eſt ne Pax puero Abſalon?* Et in pſalm. 37. *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Eſt autem omnium ſalutationum amantiſſima illa, quam præcepit Dauid Nabalem ſaluere dicens 1. Reg. 25. *Salutabitis eum ex nomine meo pacificè: & dicetis: ſit fratribus meis, & tibi Pax, & domui tuæ Pax, & omnibus quæcunque habes, ſit Pax.* Quibus omnibus locis integritatem & incolumitatem ſignificat, vt opponitur perturbato rerum ſtatui.

De Priſco vſu ſalutandi ſternuenti & Quare? Cap. XIII.

D

Diximus in præcedenti capitulo de Pileo apud priſcos Romanos, nec non de vſu in ſalutatione apud eoſdem: modo occaſione ſumpta inquiramus quamobrem ſternutamenta honore proſequamur, ſternuentique ſalutem dicere conſueuimus.

Carolus Sigonius lib. 1. hiſtor. de Regibus Italiæ, quæſtionem facile ſoluit, dum annum exequitur quingenteſimum nonageſimum, quo anno Chriſtianam Rempublicam moderabatur Gregorius re quam cognomento maior, inquit: *In dies magis peſtilentia ſæuiebat, ad cæteros autem caſus, quibus homines fœde paſſim abſumebantur, hoc etiam mali acceſſerat, quod multi cum ſternutarent,*

A *nutarent, alij cum oſcitarent, repentè ſpiritum emittebant; quod cum ſæpius eueniret conſuetudo inducta eſt; quæ nunc etiam obſeruatur, vt ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum Crucis ori admouendo præſidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius ad cætera cæleſtis iræ piacula, poſtero anno religioſam in die Reſurrectionis ſupplicationem inſtituit, atque ſolemni pompa ſanctam Dei Genitricis imaginem extulit.*

Sed in hoc hallucinatur Sigonius, cum multis ante Gregorium ſeculis comperta ſit conſuetudo ſternutamenta venerandi, *L. Apuleius*, qui trecentis circiter annis ante Gregorium ſcripſit lib. 2. Metamorph. cap. 15. commemorat ſternutamento detectum, apud Fullonis vxorem, latuiſſe iuuenem marito infenſum, his verbis inquit: *Interim acerrimo grauique odore ſulphuris iuuenis ineſcatus atque obnubilatus intercluſo ſpiritu diffluebat, crebras ei ſternutationes commouebat: maritus è regione mulieris accipiebat ſonum ſternutationis, cumque putaret ab ea ſternutationem proficiſci; ſolito ſermone ſalutem ei precabatur, ſed cum iteraretur rurſum, ac frequentaretur ſæpius, rei nimietate commo-*
B *tus, quæ res erat tandem ſuſpicatur, &c.* Ex quibus verbis: ſolito ſermone ſalutem ſternutamenti dictam; non ergo à Gregorij tempeſtate inductam conſuetudinem.

Petronius Arbiter (quem Tiberio Principe vixiſſe fama eſt) in ſatyrico ludens de iuuene intra culcitram occultato inquit: *Gyton collectione ſpiritus iam plenus, continuo ita ſternutauit, vt grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus conuerſus, ſaluere Gytona iubet.* Hinc videmus ſalutem ſternuentibus imploratam quinque fermè ſæculis ante Gregorium.

Tiberius Imp. dum curru vehebatur per Vrbem, ſternuenti honorem habebat ipſe; ſibique ab alijs exigebat: refert Plinius in hiſtor. lib. 28. cap. 2.

In vltima pene antiquitate *Ariſtoteles*, dum naturæ cauſas in Problematicis quæſtionibus inueſtigat ſect. 33. problem. 7. & 9. merito ait homines venerari ſternutamentum, ac bene ſternuentibus augurari, eaque ſuper re ſapienter definit.

C Nec iniucunde Græcus Poeta ludit in Proculum hominem prolixe, ac liberaliter naſutum; vt quando ſternuebat, non imploraret ſibi Deorum opem; nimirum naſus tam longe aberat ab aure; vt ad eam ſternutamenti ſonus non niſi aliquanto poſt tempore perueniret, ſic ait lib. 3. Florid.

Non potis eſt Proclus digitis emungere naſum,
Namque eſt pro naſi mole puſilla manus.
Nec vocat ille Iouem ſternutans: quippe ne audit
Sternutamentum, tam procul aure ſonat.

Clarum eſt igitur; morem ſalutis implorandæ ſternuentibus ex ea commorientium calamitate tempore Magni Gregorij non proueniſſe; ſed multo ante; contra placitum Sigonij valuiſſe. Quærendæ adhuc ſunt cauſæ, ad quas huiuſmodi conſuetudo reducenda? Ex quibus tres referam, nempe Religioſa, Medicinalis, Auguralis hæ erunt. *Cauſa ſalutationis ſternuentis*

Principio, vt exordiar à *Religione*, ea ſalutatio, quam ſternuenti impertimur, non ſalutis imploratio, ſed veneratio eſt, ac honoris ſignificatio, ſicuti
D cum obuios amicos ſalutare conſueuimus: hinc ſternuenti aſſurgimus, caput detegimus, reuerenter cum eo agimus, quæ omnia venerationis ſunt argumenta. Refert Nicolaus Cadignus in vita Siluerij lib. 2. cap. 11. de Monomotapæo Imp. apud Aethiopas, à quibus more gentis Princeps cum ſternuit adoratur, & tanto clamore, qui adſunt concepta verba venerabundi proferunt, vt qui agant in aula proximiſque cubiculis exaudiant, ac fauſtas ſalutationes & ipſi clara voce congeminent, & illico qui verſantur in foro, & domibus adiacentibus alios ſimiliter inuitantes, & precationum verba præeuntes, per totam ſimul Vrbem ſternutamentum Principis illico celebretur. At quam ob rem hæc religio veneratioque præſtetur? dicunt quod ſternu-

tamen-

tamentum è capite est, nempe à prima partium humani corporis, quæ à veteribus sacrosancta habita, sicuti & Pallas è Iouis cerebro nata dicitur; quod idem refert Aristot. in Problem. sect. 33. probl. 7. his verbis: *Cur sternutamentum pro numine habetur, non tussis? An quia de capite membrorum maxime omnium diuino, ex quo prouenit cogitatio, suam duxit originem?* Atque ex hac fortasse causa transmissam ad nos consuetudinem sternuentem capitis honore, officiosaque verborum appellatione venerari. A

Altera causa è *Medicina* petenda: sternutamẽtum esse cerebri motum expellentis superuacaneum humorem adiumento aeris per nares attracti; eò autem sonum edere, quia per angustias ei sit exitus, vt volunt Philosophi & Hippocrates. Hæc porrò salutaris expiratio est, vt meritò sternutamentum appellet Aristoteles indicium valetudinis dicta sect. 33. probl. 6. cuius causam ille inuestigans, ait, illo significari bene caput valere, & posse concoquere: cum enim capitis calor humorem spiritumque conuincit; tunc excitari sternutamentum solet. Illud etiam inter medicorum arcana ab eodem Aristotele ponitur, Aegros, affectosque, & graui morbo decumbentes excitandos esse, vt sternutent; id nisi valent efficere, eorum salutis nullam spem supereſſe: adeo sternuere, ac valere sese excipiunt, ac consequuntur, cuius causam inuestigat Albertus Magnus de Animal. lib. 1. cap. 8. Quorsum igitur sternuenti *Prosit* dicatur (vt intelligamus eam vrbanitatem, qua sternuentem salutamus, lætitiæ significationem esse, qua ei accidisse aliquid boni gaudemus, officioseque gratulamur; adeo, vt nec vulgus ignoret effectum hunc esse bonum è mala causa; idque Aristotelem vidisse dum loco superius citato ait: *Homines perinde quasi bonæ indicium valetudinis, partis optimæ, atque in primis sacræ, sternutamentum colere, beneque sternuentibus dicere atque augurari*. B

Supereſt *Auguralis* causa: & sternutamentum quidem inter Auguralia signa fuisse. Aristotel. lib. 1. de histor. animal. Tullius libr. 2. de Diuinat. Atque sternutamento arcanam significationem inesse aduersus insidias, ac dolos. Homerus in Odyss. cum Penelope post recensitas iniurias sibi à Procis illatas, hæc addit. C

An ne vides ad singula dicta sonorè
Sternutasse mihi natum? ergo turba Procorum
Cæsa omnis, sed non incerta morte iacebit.

Nec desunt, qui affirment; si mane sternuissent, ominosum putabant, credebantque irritos fore conatus rei, quam eo incœpissent die; contra si sternuissent à meridie, feliciter euentura omnia sperabant: cuius causam inuestigat Aristoteles dicta sect. 33. probl. 11. Præterea exaudire ad dexteram partem sternuentem, felix omen habebatur, triste ad læuam; sic Themistocli ante nauale pugnam sacrificanti, ait Plutarch. in vita: *Clara ex hostijs flamma repente fulsit, & bonum omen sternutamento à dextera parte datum est.* Legimus etiam Socrati quidpiam agere meditanti; si dextrorsum aliquis fortè sternuisset, lætum ea re Socratem; solitum fuisse conferre tunc se ad agendum: si sinistrorsum Genio ita significante restitisse atque cessisse. Atque id intellexisse Catullum de Aeme & Septindo Carm. 46. quam vt ad approbationem dexteram referatur, dum ait. D

Hoc vt dixit amor, sinistra vt ante,
Dextera sternuit approbatione.

Omen Anceps, ac medium etiam apud veteres habitum sternutamentum; neque ex augurali disciplina planè patuisse, prosperè ne aliquid aut inprospere portenderet? refert sanctus Augustinus lib. 1. de Doctr. Christi. Veteres manè surgentes è lecto, si dum calceum induebant, sternutamentum obtigisset, confestim lectum repetebant, vt auspicatius surgerent, infortuniumque eo die fortè secuturum euitarent. Herodotus lib. 6. in Herato de

Hippia

A Hippia Pisistrati filio: *hic dum milites suos in hostilem terram sapienter disponit, sternutamento solito vehementiore dentem expuit, quem cum iussisset ex arena sustolli, nec tamen vspiam diu multumque conquisitus appareret; suspicans Hippias, inquit: Hæc terra nostra non est, milites: nec eam nobis subijcere vlla armorum vi poterimus, sed tantum in ea partem obtinebimus, quantam dens modo excussus tegit.* Refert Front. lib. cap. 11. Gubernator Athenienſiũ classis, quæ in Corcyræ os dimicatura, vix soluerat è portu, cum ille sternuentem quempiam ex remigibus fortuitò audiuit; metu correptus receptui canere statim cœpit, recepissentque se in portum, nisi Timotheus Imp. contempto augurio augurem meticulosum obiurgasset inquiens: *Miraris è tot hominũ millibus vnum esse, cui caput humidius sit.* Ex his igitur agnoscimus sternutamentum medij, ancipitisque ominis fuisse; & modo secundæ, modo aduersa præmonstrasse; quare cum ex Augurum disciplina non appareret, quæ fausta, & quæ ominosa sternutamenta forent; factum est, vt veteres rem dubiam existimauerint bonis esse verbis adiuuandam, atque Deo-
B rum auxilium sibi alijsque sternuentibus implorarent: vsque adeo vnius gregarii militis sternutamentum ad rempublicam pertinere arbitratæ sunt Græcorum copiæ, ac vt omen illud feliciter caderet precibus, votisque à Deo poposcerunt, vt inquit Xenophon in Cyro Minor. lib. 3.

Superstitiosas sternutationes in hunc modum damnat Diuus Augustin. sermon. 68. Appendice de Diuersis, his verbis: *Fecit Deus omnia bona valde. Illas vero non solum sacrilegas; sed etiam ridiculas sternutationes considerare, & obseruare nolite; sed quoties vobis in quacunque parte fuerit necessitas properandi, signate vos in nomine Iesu Christi, & Symbolum, vel orationem Dominicalem fideliter dicentes, securi de Dei adiutorio iter agite.*

In Christianorum porro mores immigrauit hæc precatio, retentaque est, non augurij, sed officij causa: & vt illi ad omen auertendum; sic nos ominum securi ad salutem implorandam, officiosa hæc obsequia & salutationes sapientius sanctiusque transtulimus.

C

De vario Tesserarum vsu. Cap. XIV.

APVD priscos Romanos plura Tesserarum genera in vsu fuisse, ex quibus præcipua fuere, nempe Tessera Frumentaria, Numaria, Conuiualis, Lusoria, Comitialis, Hospitalis, Theatralis, Militaris, de quibus Reuerendiss. Thomasinus Aemonienſis Præsul in suo de Tesseris Hospitalitatis libello cap. 16. eruditissimè, vnde ego plura in præsenti argumento desumpsi, sicut & alia plurima ab ipsius ore eruditissimo sæpius apprehendi.

Frumentaria igitur Tessera erat signum quo exhibito vnusquisque frumentum pro portione accipiebat à Principe, de quo Iuuenalis.

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti.

D Et Persius.

Scabiosum tesserula far
Possidet.

Mos fuit apud Romanos menstruum distribui frumentum in pauperes in cuiusque mensis initio, siue nonis, vt Suidæ visum, vnde idem & Annonas deriuat: hæc autem distributio quoniam per Tesseras fiebat; quique eas habebat, ad Curatores frumenti diuidendi ibat, munus ab Augusto institutum: quatuor enim viri erant, ijque ex honestioribus, & qui ante quinquẽnium Prætura functi essent, quod Dio notauit lib. 54. Et si Præfectus etiam

Annonæ

Annonæ proprius, qui de aduehendo & adſeruando in horreis ſatageret, non A
propriè de diſtribuendo frumento. Frumentatio igitur vetus Romæ & ab ipſo etiam Senatu, qui arcta annona quaſi benignus Pater Plebis miſertus, frumentum aliquando diuiſit modico ære: acceſſerunt Tribuni, ex quibus Clodius *Annonariam legem tulit, vt frumentum, quod antea Populo ſemiſſe eris, ac trientibus in ſingulos modios dabatur, GRATIS daretur.* Ita Aſconius. Creuiſſe autem ſub Impp. largiter hanc diſtributionem, cum plures adſcripti, & claſſes etiam inſtitutæ ad tranſuehēdum frumentum. Fuit autem numerus accipientium aliquando ad trecenta viginti millia, ſed Iulius Cæſar minuit, de quo Sueton. *Ex viginti trecentiſque millibus accipientium frumentum è publico, ad centum retraxit.* Sed Auguſtus deinde ad ducenta millia auxit. Tiberius etſi minime popularis, recenſet tamen in Senatu apud Tacitum: *Quibus è prouincijs, & quanto maiorem, quam Auguſtus rei frumentariæ copiam adueĸtaret.* Ergo & in plures, ni fallar, diſtribuendam. De hac vero frumenti diuiſione & teſſeris Suet. in Aug. cap. 40. *At ne plebs frumentationum cauſa frequentius à negotijs auocaretur, ter in annum quaternum menſium teſſeras dare* B
deſtinauit, &c. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus ipſe leuiſſimo, interdum nullo pretio, viritim admenſus eſt, teſſeraſque numarias duplicauit. Hinc Iſidorus: *Teſſeræ ſunt quibus frumenti numerus deſignabatur.* Quod quidem ſæpè Impp. honoris cauſa facere ſolitos, ex Numiſmate Neruæ, in cuius aduerſa parte eſt modium menſura frumenti, in quo eiuſdem ſpicæ hoc titulo: *PLEBI VRBANAE FRVMENTO CONSTITO. S. C.* Cum ſimilibus aliorum Impp.

Numariæ. Teſſeræ Numariæ, quibus ſumma præſcripta numerum repræſentari ſolet. Dio: Domitianus *Ad ſuſtentandam Ciuium vitam decies & quinquagies centena millium erogauit, & quoſdam Senatorij ordinis delegit, qui agros emerent, eoſque egenis diuiderent.* Commune ferè Imperatoribus Teſſeras Frumentarias, & Numarias populo dare.

Conuiuales. Conuiuales fuiſſe Teſſeras conſtat ex Lampridio de Antonino Heliogabalo in hæc verba: *Sortes ſane conuiuales ſcriptas in cochlearibus habuit tales,* C
vt alius exhiberet decem camelos, alius decem muſcas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem ſtruthiones, alius decem oua pullina, vt vere ſortes eſſēt & fata tentarentur, quod quidem & ludis ſuis exhibuit, cum & Vrſos decem, & decem glires, & decem lactucas, & decem auri libras in ſorte habuit: primuſq; hunc morem ſortis inſtituit quem nunc videmus. Et infra, *Quæ Populus tam libenter accepit, vt eum poſtea imperare gratularetur.*

Luſoria. De Luſoria teſſera meminit Ouid. lib. de Arte.

Seu ludet, numeroſque manu iactabit eburnos
Tu male iactato, tu bene iacta dato.

Et Martialis lib. 14. epigr. 13.

Hic mihi biſſeno numeratur teſſera puncto:
Calculus hic gemino diſcolor hoſte parit.

Et in hanc ſententiam Iulij Capitolini verba in Aelio Vero: *Poſt conuiuium luſum eſt teſſeris vſque ad lucem.* Iaciebant porrò hoſce talos in fritillum, ideſt turricellam, vel pyxidem corneam: quale ex ære extat hic Romæ in Muſæo D
Equitis Franciſci Gualdi Ariminen.

Comitialis. Teſſeras inſuper Comitijs adhibitas à ſuffragatoribus, dum honores diſtribuerentur. Varro de Re Ruſtica lib. 3. cap. 5. inquit: *Cum hæc loquerēmur, clamor fit in Campo: nos athletæ comitiorum vna cum id fieri miraremur propter ſtudia ſuffragatorum, & tamen ſcire vellemus, quid eſſet, venit ad nos Pantuleius Parra: narrat ad tabulam, cum diriberent, quemdam deprehenſum teſſerulas conijcientem in loculum, eum ad Conſulem tractum à fautoribus competitorum.*

Hoſpitales. Fuit antiqui moris Teſſeram Hoſpitalem dare Hoſpitibus dimidiatam, in

qua

A qua communi consensu symbolum quoddam insculpebant, quæ quidem testimonium erat contractæ amicitiæ; & hanc quicunque attulisset ad hospitem, continuò agnosci posset & hospitio accipi tanquam amicus, & vetus hospes. Hoc autem ius necessitudinis ad posteros transibat, quasi iure quodam hæreditario, vt significauit Homerus l.6. Iliad. loquens de Diomede & Glauco; propterea Tesseram Hospitalem diligenter asseruabant. Plautus in Pœnul. Act.5. Scen.2.


Ego sum ipsus quem tu quæris P. Hem quid ego audio?
AG. Antidamæ me gnatum esse P. Si ita est Tesseram
Confer si vis hospitalem. AG. Eccam attuli.
P. O mi hospes salue multum, nam mihi tuus Pater,
Pater tuus ergo Hospes Antidamas fuit.
Hæc mihi Hospitalis Tessera cum illo fuit.
AG. Ergo hic apud me Hospitium tibi præbebitur.

B Tessera Hospitalis, siue Hospitij fuit, quam Hospites eorumque liberi secum ferebant, vt facilius à veteribus & paternis hospitibus agnosci possent: Luctatius. Gram. ad lib.7. Thebaid. Statij inquit: *Veteres quoniam non poterant omnes hospites suos noscere, tesseram illi dabant, quam illi ad hospitia reuersi ostendebant proprio hospiti; vnde intelligebantur Hospites.*

Huius formam Euripidis Scholiastes in Medeam optime describit. Qui hospites inuicem fieri volebant, talum quemdam discindebant in duas partes æquas, vnam ij, qui hospitium præbebant sibi retinentes; alteram dantes ei, qui hospes fieri solebat: et si contigisset de cætero, vti alter alterius hopitium subiret, producentes dimidium tali renouabant iura hospitalia.

Tales in meo Musæo binæ asseruantur, ex ligno annorum diuturnitate, velut petrefacto, quod est Prune um siluestre lublutei coloris; ac illæ iunctæ forma totunda, & parte interiore hospitum nominibus inscriptæ; quas hic delineandas curaui.

C



Ipsius vero hospitij symbolum, siue tesseram apud Lingones fuisse dexteram narrat Tacitus lib.17. his verbis: *Miserat Ciuitas Lingonum vetere instituto dona legionibus, Dextras hospitij insigne.* Huiusmodi tesseram hospitalem
D Dexteræ manus symbolo lubens quoque ego asseruo in meo Musæo, cuius typum in eruditorum gratiam hic exposui, ex pruno syluestri pariter fabrefacta, vt infra.



Tessera Hospitalis accuratè descripta reperitur in monumentis Danicis lib.27. Olai Vormi, Virgulæ eroticæ titulo his verbis: *Bacillus est quadratus trium pollicum longitudine, latitudine tertia parte pollicis, latera quatuor characteribus insignita habens ex pruno syluestri, vt videtur fabrefactus.*

Tesseram Hospitalem confregisse dicebant, qui ius hospitij violarat: hoc est, vt ait Erasmus, qui sibi re-

ditum in domum aliquam præcluſerat. Plaut. in Ciſtellar. *Hic apud nos Alceſimarche confregiſti Teſſeram.* Infames vero habebantur teſte Tullio Orat. in *Verrem*, qui huiuſmodi amicitiam violabant, niſi prius ei renunciaſſent, vt inquit T. Liuius lib. 5. Belli Punici ſecundi: *Badium Ciuem Campaniæ renunciaſſe huiuſmodi amicitiæ contractæ cum Q. Criſpino Romano, prius quam pugnaret contra eum.* Hæc autem fuit conſuetudo Græcorum & Romanorum; de qua Græci & Latini ſcriptores meminerunt.

Ioannes Alba Carthuſianus in ſuis Selectis ſacræ Scripturæ Centuria 73. inquit: Hanc hoſpitalium teſſerarum conſuetudinem reſpexiſſe videtur Chriſtus Redemptor noſter (& forſan ea à Romanis ad Iudæos tranſierat) præcipiens Diſcipulis apud Lucam 9. & Matth. 10. Ne in prædicatione Euangelij deferant Virgam ſiue Teſſeram huiuſmodi: ac ſi dicat: Non ob amicitiam iure humano contractam volo vos percipere victui neceſſaria; nolo vt exigatis hoſpitium, vel victum propter Teſſeram, cui hæc ex conſuetudine & iure quodam debentur: non ergo feratis Virgam ſiue Teſſeram in via prædicationis, ſed hoſpitium & victus dentur vobis propter Me & Euangelium, propter laborem & operam: dignus eſt enim operarius mercede ſua; ſi enim ſeminetis hominibus ſpiritualia, quid mirum, ſi eorum carnalia, ideſt temporalia metatis? Nec repugnat quod Saluator noſter Chriſtus apud Marcum c. 6. præcipiat Diſcipulis, ne quid tollant in via niſi Virgam, non peram non panem, & cætera: quoniam in hoc loco pro Virga non Teſſera, ſed baculus intelligitur, quo pedites niti ſolent, vt ex prædicto Alba Centur. 73.

Theatralis. Theatralem Teſſeram non inconcinnè dictam cenſeo, mentio cuius frequens in ludis & theatris: ſic de Ludis Stellæ Martial. lib. 8. epigr. 78.

Nunc veniunt ſubitis laſciua numiſmata nimbis:
Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.

Nimirum ludos tam celebres fieri iuſſit in gratiam Principis Stellæ, vt teſſeræ ligneæ (ex pruno ſylueſtri vt forſan dixi) mitterentur & ſpargerentur in populum è loco ſuperiore in theatrum & propalam, quibus ſigna inſcripta erant ferarum & aliarum rerum, quas editor cupiebat populo largiri ad illum alliciendum, quæ magno certamine legitimè in omnibus ludis diripiebantur: quorum pretia ex Sueton. in Nerone referuntur his verbis: *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies, ſingula quotidiè millia auium, cuiuſque generis multiplex penus, Teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemma, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atque etiam manſuetæ feræ; nouiſſimè naues, inſulæ, agri.* Nota Inſulas nempè Vrbanas & habitabiles domos: & Dio Caſſius de eodem Nerone ſimilia aſſerit: *Omnia delicatiſſima, quæ homines comedunt, omnia pretioſiſſima, equos, mancipia, eſſeda, aurum, argentum, variam veſtem, hæc dabat per ſymbola quædam, & teſſeras: Globulos etiam paruos inſcriptos, vt quæque eorum erant, hos iaciebat in populos, & re ipſa mox dabatur, quod quiſque eorum in teſſera haberet.* Hæc de more fiebant, ſed alius alio largius, parciuſque pro opibus præbebat: ſanè Titus Veſpaſiani filius profuſiſſimè in ludis, quos per centum dies in dedicatione Amphitheatri ſui fecit. Dio Caſſius de eo: *Dedit & quædam vtilitatem, non ſolum voluptatem ſpectantibus præbentia: nam globulos ligneos quoſdam de loco ſuperiore in theatrum iaciebat, qui ſymbolum haberent, hic alicuius eſculenti, ille veſtis, alius argentei vaſi, alius aurei, equorum, iumentorum, mancipiorum, quæ oportebat eos, qui rapuiſſent, ferre ad Curatores ludorum, & & ab ijs accipere quamque rem inſcriptam.* Et hæc per illos centenos dies magna impenſa facta; vt nec profecto mirum, cum Adrianus Imp. in adoptione Ceconij Commodi multa in populum profudiſſet per ſimiles ludos, & in militem; atque Ceconius cum ægro corpore vitalis non videretur, ſæpè Adrianum dixiſſe: *Perdidimus quater millia HS. quod Populo, & militibus dedimus.* Qui ſunt ipſi noſtri decem milliones.

In

A In spargendis missilibus verbera frequentia, & cædes erant; ideoque prudentissimus quisque, ait Seneca, cum induci videt munera, fugit à Theatro, & scit magno parua constare: nemo enim fugit exeuntem. Nouella Iustiniani 105. *In spectionibus istis plebeij saltioſt*. *Militaris.*

Tessera Militaris erat, qua exercitus ex Ducis præcepto, vel ad aliquod opus, vel ad bellum mouebatur: vnde Tesserarij, Vegetio auctore, erant, qui tesseras per contubernia militum nunciabant; ita Seruius ad 7. Aeneid. *It bello tesseram signum*. Symbolum bellicum quo ad pugnas exeuntibus datur confusionis euitandæ causa; eamque Vegetius duplicem facit, Vocalem & Mutam. Vocalis ea est, quam hodie circitores flagitant vulgo *Il nome*, nempè symbolum bellicum, quo socij milites ab hostibus dignoscebantur: Cyri maioris Tessera fuit ex Xenophonte lib. 3. *Iupiter belli socius & Dux*: Minoris, *Iupiter seruator*, *& Victoria*: eam fuisse in castris Cæsaris narrat Appianus l. 2. *Venerem Genitricem*; Aliquando *Felicitatem & Victoriam* auctor est Hircius: apud Neronem, *Optimam matrem*, Auctor est Suet. in Vita
B cap. 9. *Primo Imperij die signum excubanti Tribuno dedit Optimam Matrem*. Pompeius Magnus elegit signum: *Herculem inuictum*, & alter iuuenis *Pietatem*: in Antonij & Marij exercitu *Lar Deus* signum fuit, Seruio teste ad 7. Aeneid. In exercitu Syllæ *Apollo*: quod idem elegit Brutus in Philippis, vt ex Plutarcho in eius vita: Caius Caligula Cassio tamquam molli signum dedit *Priapum*, *& Venerem*, ex Suet. cap. 56. Seuero Septimio placuit *Laboremus*, & Pertinaci *Militemus*: Aurelianus, vt refert F. Vopiscus signum exercitui apposuit: *Manum ad ferrum*. Antiochus cognomento Soter aduersus Galatas exercitum ducens signum dedit, *Bene valete*, refert Cedrenus: scribit Vegetius lib. 3. cap. 5. nonnullis fuisse tesseram, *Deus nobiscum*.

Mutæ apud Turnebum Aduersarior. lib. 30. cap. 35. duæ memorantur tesseræ Belli & Pacis, scilicet lignea frusta, vel tabellæ ligneæ quibus nomen Pacis & Belli inscriptum erat; sic Pomponius de Origine Iuris lib. 2. *Q. Fabius ad Carthaginenses missus Legatus, cum essent duæ tesseræ positæ, vna Pacis,*
C *altera Belli, arbitrio sibi dato vtram vellet Romam referre, vtramque sustulit, & ait: Carthaginenses petere debere, vtram vellent accipere*. In hunc fere modum A. Gellius lib. 10. cap. 27. *Q. Fabius Imp. Rom. dedit ad Carthaginenses epistolam, vbi scriptum fuit, Populum Romanum misisse ad eos hastam, & caduceum signa duo belli & pacis*. Et paulo post. *Marcus autem Varro non hastam ipsam neque ipsum caduceum missa dicit, sed duas tesserulas; in quarum altera caduceum, in altera hastæ simulacra fuerunt incisa*. Ad hoc argumentum Pacis & Belli facit tessera militaris, quæ indicat forsan Fuscina tamquã bellicum instrumentum, ac etiam Palma Pacis symbolum; quam hic vna cum alijs similibus fabrefactis siue ex osse, siue ex ligno pruni syluestris, vt dixi; Militares, Hospitales, Theatrales, vel ad alium vsum illæ essent, ne à cupido lectore desiderentur, hic delineatas proponimus.

D 

Cæterum quoniam Tesseræ, non solũ solitæ erãt dari militibus, vt amici ab inimicis dignoscerentur; & hæc symbola nominabantur; cum armorum habitus, & sonus vocis, idem mos vnus sit: sed vt belli ne subreptio fieret; propterea symbola discreta vnusquisque Dux suis militibus tradere erat solitus; vt si fortè quis occurreret, de quo dubitaretur, interrogatus symbolum proderet, si sit hostis an socius?

Ita quoque nascentis Ecclesiæ temporibus quoniam multi pseudoprophetæ, & falsi Apostoli insurgebant falsam doctrinam prædicantes, ad hoc institutum fuit *Credo*, quod symbolum nominatur, vt illi agnoscerẽtur an veri vel falsi essent. Ita Ruffinus Aquileiensis ex Cõmentario in symbolum: pro- *Symbolum Apostolorum.*

pterea veteres Patres hoc non ſcribi membranis, ſed retineri cordibus tradiderunt, vt certum eſset neminem hoc ex lectione, quæ peruenire interdum etiam ad Infideles ſolet; ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe: diſceſsuri ergo ad prædicandum Apoſtoli iſtud vnanimitatis & fidei ſuę indictum compoſuerunt. Iſidorus de Eccleſiaſt. off. lib. 2. cap. 22. Rabanus Maurus de Inſtit. Cleric. lib. 2. cap. 56. A

Conſideratio. Ad hoc igitur, vt ex hoc Capitulo aliquid nos profeciſſe ſentiamus. Virtutis teſseram in ſenſibus noſtris ſic feramus, vt docet ſanctus Iſidorus Peluſiota, & cauſam adijcit lib. 4. epiſt. 187. *Quemadmodum mulier pudica caſtitatis notas in facie geſtans, eorum qui impudicos in eam oculos conijciunt, expectationes reprimit, eodem modo pudica anima VIRTVTIS TESSERAS in ſenſibus ferens, eorum, qui ipſius pulchritudinem corrumpere cupiunt, ſpes exſcindit.*

De Re Nummaria. Cap. XV. B

INter cætera veterum eruditorum monumenta, quæ immani exterorum hoſtium barbarie offuſcata, & vecordia imperitorum turbata remanſerunt; quorum nitor virorum doctiſſimorum prioris, noſtrique ſæculi arbitrio fuit redditus: & quæ iam ante obſcura, ſic hodie explanata, vt nil fermè curioſorum induſtriæ ſit relictum. Rei nummariæ reſtitutam cognitionem potiſſimum à Iuſto Lipſio, & à Io. Rhodio recognoſcit poſteritas, eruditiſſimo libello ipſius Lipſij poſthumo; nuper à Domino Rhodio in lucem prodito, & à mendis purgato, cui titulus: *De Re Nummaria*.

In hoc argumento nos indagabimus: quid Nummus, Pecunia, Moneta; quando & à quibus inuenta? Ex prædictis tribus nominibus quibus metallum ſignatum appellamus: Nummi nomen à Græcis, aut Siculis eſſe teſtatur *Nummus.* Varro de L. L. lib. 4. & Pollux lib. 4. cap. 6. inquit: *Nummus videtur Romanorum nomen eſſe: eſt autem Græcanicum eorum, qui in Italia, aut Sicilia Dores habitarunt.* Et addit auctoritates Epicharmi & Ariſtotelis, in Tarentinorum Republica Nummum ab his dici pecuniam cum impreſſa effigie Tarentis filij Neptuni. A Græcis ergo vicinis Romani ſumpſere, & duplici M. etiam ſcripſerunt: etſi alij tamen à Numa nomen deriuant. Tranquillus eius ſententiæ auctor apud Suidam, qui vult primum Numam Regem pecuniam è ferro atque ære ſignaſſe apud Romanos, atque ab eius nomine Numos dictos; quæ deriuatio vnicum M. approbat. C

Pecunia. Vox altera Pecunia, quam natam ſub Seruio Rege volunt: quod hic ſignauerit æs, teſte Plinio lib. 33. cap. 3. *Nota pecudum, vnde & pecunia.* Et idem Plinius lib. 18. cap. 3. *Seruius Rex ouium, boumque effigie primum æs ſignauit.* Et Plutarch. in Poplit. ait, vetuſtiſſimis nummis ſignum Ouis, Suis, Bouis conſpici impreſſum. Et quod Theſeus apud Athenienſes, nummum Bouis nota ſignauerit, vti Pollux & veteres ſcriptores teſtantur. Sed diſconuenit, quod pecuniæ nomen communius & fortaſſe antiquius eſt; nec aliunde quam à pecude ductum. Varro lib. 4. de L. L. *Pecuniosus à pecunia magna: pecunia à pecu; à paſtoribus enim horum vocabulorum origo.* Itaque quia veterum opes in pecude, aut frugibus, omnis res familiaris pecunia largiter dicta in leg. 12. tab. & in tit. de Verb. ſignif. l. 5. item 158. & 222. & Columel. lib. 6. in præfat. & D. Auguſt. de Diſciplin. Chriſt. aliiſque. Paulatim tamen anguſtior ea vox facta, & pro numerata fere pecunia, ideſt nummis; quoniam in ijs præcipuè opes. D

Moneta. Moneta autem; quod ſigno, ſigniſue in metallum impreſſis, de precio monemur: atque hinc Triumuiri Monetales, qui pecuniæ flandæ, feriundæ, præfecti erant: atque ideo Ariſtotel. lib. 5. Ethic. cap. 5. inquit: *Numiſma*

non

A *non natura, ſed lege eſt.* Hoc eſt vim preciumque accepit à lege.

Sed nomina quidem iſta: Res vbi & quando orta ſit, quæro? Antiquitus enim emptiones, ac venditiones rerum non nummo, aut moneta, ſed rerum commutatione tantum agebantur, vt in Geneſi cap.21. quod cum diſſenſio eſſet inter Paſtores Abrahami, & Abimelech. de puteo effoſſo à ſerui: Abraham, inquit textus: *Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech.* Et hoc non alia cauſa, niſi pro emptione loci, in quo ſerui illi puteum effoderunt; neque apud Romanos, neque apud alias nationes æris, aut argenti ſignati vſum fuiſſe affirmãt communiter ſcriptores niſi longo poſt tempore; quamobrem rerum commutatione mercimonium exercere, neceſſariaque inuicem recipere conſueuiſſe homines, teſtatur Alexander ab Alexandro lib.4. Genial.dierum cap 15. necnon in priori illo ſæculo bobus, pecudibus, ferro, ære, auro, & argento rudi, atque inculto, & alij huiuſmodi res coemere conſueuiſſe comperimus ex vſu Romanorum, & Maſſilienſium in Africa teſtatur prædictus Alexander ab Alexandro, & tradit Homerus 7. Iliad. in Troiana obſidione Græcos non alijs profectò nummis vinum emiſſe, commeatumque reliquum, quam ære, ferro, pellibus, bobus, & ſimilibus ex hoſtium præda. *Origo numiſmatum.*

B *Dedit Iaſonides ducere vini mille lagenas,*
Hinc vinum emebant comati Achiui,
Alij quidem ære, alij autem ardenti ferro,
Alij autem pellibus, alij autem ipſis bobus,
Alij autem captiuis rebus poſuerunt commutium abundans.

Quamuis pellium, boumque numiſmata intellexiſſe forſan Homerum ſuaderi poſſet; ſiquidem ex moneta, quæ Bouem ſculptum habebat, atq; Bouis vocabulo appellabatur apud Athenienſes & tale fuiſſe commercium, vt inde etiam emanarit vetus prouerbium: *Bouem habet in ore.* Pro homine pecunia corruptos teſtatur Pollux lib.9.cap 6. dicens: *Vetus autem erat Athenienſibus Nummiſma, Bos appellatum, eo quod Bouem inſculptum haberet.* Non immerito igitur aliquis ſuſpicari poteſt, Homerum omnia Numiſmatum genera, C quibus in caſtris negotia agebantur, voluiſſe recenſeri auro, argento, ære, ferro; atque nomine Boum; & pellium; ac propterea, nequaquam animalia ipſa, ſed monetas in ſupra allatis carminibus indicaſſe.

Fuiſſe propterea notiſſimum vſum pecuniarum ſacræ teſtantur litteræ in Geneſi cap.23. vbi Abraham empturus argento agrum, ad vſum Sepulchri in funere Saræ vxoris his verbis: *Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, audientibus filijs Heth quadringentos ſiclos probatæ monetæ publicæ.* Qui locus, quamuis abſque dubio de moneta appenſa ſit intelligendus ex illo verbo Appendit, non propterea negatur numerata quoque pecunia conſueuiſſe veteres negocia agere: ſacra enim oracula noſtra non ſolum appenſam, ſed etiam numeratam in ſolutionibus pecuniam tradunt: *Quadringentorum ſiclorum numero Abraham ab Ephrone agrum ad ſepulchri ius emiſſe ſcribunt.* Quæ tamen ſolutio pretij pondere, numeroque retinuiſſe rationem lance probatur.

D Ac etiam in cap.3. Eſther: Aman volens Populum Iudæorum perdere, ſic Aſſuerum alloquitur: *Si tibi placet decerne, vt pereat, & decem millia talentorum appendam Arcarijs gazæ tuæ.* Sic pariter lib.1. Eſdræ cap. 8 dicitur de ſacerdotali ærario, quod ab Eſdra Sacerdotibus cuſtodiæ cauſa traditum fuerat: *Et appendi in manibus eorum argenti talenta ſexcenta, quinquaginta, & vaſa argentea centum, auri centum talenta.* Si igitur pecuniæ, dum appendebantur, nequaquam numerarentur, ſed rudi maſſa conſignaretur valor illius, dicendum eſſet ſacris oraculis appenſum argentum ad pondus ſexcentorum quinquaginta talentorum: ſic etiam apud Eſther dixiſſet Aman, ſe publico ærario præſtiturum argenti maſſam ad pondus talentorum decem millia, non

verò

verò decem millia talenta se appensurum Arcario regio: quibus liquido constat veterum consuetudinem fuisse non solum pecuniam appendere, sed numerare. A

Appensio & numeratio pecuniæ.

Quod quidem apertè confirmat id, quod de ære graui Romanorum tradiderunt scriptores, de quo ita Festus Pauli Diaconi. *Graue æs dictum, à pondere: quia deni asses, singuli pondo libra, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum; sed Bello Punico Populus Romanus pressus ære alieno, ex singulis assibus librarijs, senos fecit: qui tantumdem valerent.* Dicebatur igitur æs graue à pondere monetæ, quod singuli asses, quorum decem efficiebant denarium, maximi essent ponderis, vnius nimirum libræ: non tamen decem æris rudis libræ denarium constituebant, nisi decem asses numerarentur, quorum singuli libram æris haberent.

Eamdem pecuniam, quæ numerabatur apud veteres, eamdem etiam appendi, vt nihil in ea fraudis committeretur, iam vidimus: verum quia hæc numeratio, atque appensio fieri potuisset metallorum frustulis, quæ nullo essent percussa signo, propterea huiusmodi signatæ monetæ initia breuiter cognoscamus. B

Ab exordio Romanæ Reipublicæ vsum fuisse in negotiationibus solum corijs Boum nummorum loco voluit Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 15. & cum eo alij eo argumento vsi, quod Numam Pompilium Scorteos asses in congiarium Populo dedisse, velit Plutarch. in Numa; sicuti quoque Lacedæmonios aliquando Scorteo Numismate vsos tradit Stobæus serm. 42. dicens: *Pecuniæ studio Spartanum vacare turpe dicitur; Numismate vtuntur Scorteo: aurum, argentum, vt apud quempiam deprehendi capitale est.* Similiter Seneca lib. 5. de Benef. cap. 13. inquit: *Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui Corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vsum numeratæ pecuniæ præstat.* Quibus testimonijs prius ex Corijs Boum nummos publico signo cusos fuisse probabile est; quamuis alij velint vsum fuisse pecuniæ ex dictis Corijs solum in defectum æris, argenti, non apud veteres tantum, sed nostris quoque temporibus scorteis quoque nummis stipendia milites meruisse, quod tamen non tollit vsum præcedentis signatæ monetæ aureæ, argenteæ, vel æreæ: ea etenim conditione ex corijs animalium cusi aliquando asses fuere, vt ij postmodum publico signo ad valorem, vel argenti redderentur: & cum primum cessasset defectus æris, vel argenti, cessauerit quoque omnino dictus vsus monetæ cusæ ex corio Boum. C


Signati nummi inuentor.

Aeris igitur primo signati inuentum Iano plurimi ascribunt. Lactantius Firmianus lib. 1. de falsa Religione cap. 13. inquit, quod senex Saturnus à iuuene Ioue filio victus, & spoliatus Imperio fugit expulsus, & in Italiam nauigio venit, cum errasset diu, sicut refert Ouid. in lib. Fastorum.

Causa ratis superest, Thuscum rate venit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.

Hunc errantem, atque inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta sunt Nummi veteres satis frequentes, in quibus cum duplici fronte Ianus in altera parte Nauis, de quibus aliqui penes me, quorum vnum hic delineatum apposui. D

Hoc

A 

Hoc idem refert Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 7. afferens in honorem Saturni Nummum primum in vſum: *Hic igitur Ianus cum Saturnum claſſe peuectum excepiſſet hoſpitio; & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet; regni eum ſocietate munerauit: cum primus quoque æra ſignaret, ſeruauit in hoc Saturni reuerentiam, vt quoniam ille naui fuerat aduectus, ex vna quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero Nauis exprimeretur, quo Saturni memoria in poſteros propagaretur.* Sicuti & idem Ouid. Poeta ſubiecit.

At bona poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Omnes ergo non tantum Poetæ, ſed hiſtoriarum quoque ſcriptores hominem fuiſſe Saturnum conſentiunt, qui res eius in Italia geſtas memoriæ prodiderunt, Græci Diodorus, & Trallus: Latini Nepos, Caſſius, & Varro; nam cum agreſti quodam modo in Italia vita duceretur.

Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit: Latiumque vocari
Maluit, his quoniam tutus latuiſſet in oris.

C Quamuis alij velint, prædictum Ianum fuiſſe eundem, ac Noe, & Saturnum ipſum, quem etiam tradunt ad Latium appuliſſe, & à filio Iaphet hac in Regione regnante, hoſpitio exceptum; illius igitur memoria, vt ſeruaretur, qui anteriora Diluuij, poſterioraque viderat, arcaque fabricata humanum genus à Diluuio redemerat, nummos cuſos credunt; licet Ouid. lib. 1. Faſtor. Biceps caput Iani ad anni exordia referat, eoque nomine Ianuarium menſem appellari credat, dicens.

Iane biceps, anni tacitè labentis origo,
Solus de ſuperis, qui tua terga vides.

Plutarchus in Quæſtionibus Romanis quæſt. 41. quamquam ipſe nolit prædictum numiſma in præfatam cauſam inſculptum; ſed quoniam Vrbibus bona legum conſtructio maxime ſit neceſſaria, ideo Iani bifrontis imago, qui Vrbes moribus & legibus ad manſuetudinem redegit. Præterea quoniam abundantia eſt in Republica neceſſaria; & ideo nauis in numiſmate expreſſa, quæ

D per fluuios & mare abundantiam omnium rerum neceſſariarum ſubminiſtrat. Hæc Plutarchus. Sicuti etiam imago Regum & Principum monetis inſculpitur, vt ſubiectos videantur paſcere per commercium, quorum conſilia inuigilare non deſunt pro ſalute cunctorum. Caſſiodor. lib. 6. cap. 7.

Argenteum nummum primo ſignatum apud Romanos dicunt aliqui Seruio Cæpione, & Gn. Sempronio Coſs. poſt Attilium Regulum: at verò Plinius lib. 33 cap. 3. ſignatum eſſe argentum anno Vrbis 585. Q. Fabio Conſule., quinque annis ante primum bellum Punicum; equidem ante victum Pyrrhum Regem argento ſignato nequaquam vſos Romanos, ſcribit Plinius loco citato. Qui autem ex auro primus monetam ſignauerit Plinius ibidem ignotum

putat;

putat; apud Romanos tamen non ante signatum aurum, quam anno sexagesimo secundo post nummum argenteum, qui annus respondet vigesimo tertio Principatus Hyrcani in Iudæa, quando nimirum Romani Numidas subiecerunt. A

Apud Israelitas multo ante sanè monetam signatam sacra Oracula tradũt, quam Romanum Imperium initium habuisset; quinimo Cain primus Adæ filius, cum pessimum vitæ genus gessisset, ex auro primum denarium signauit ex Iosepho tradit Polydorus Virg. de Rerum Inuentor. lib.2. cap.22. ac etiam monetæ vsum extitisse constat apud eumdem Iosephum lib.3. Antiquitatum cap.2. in quo, dum Israelitarum Duce Iosue, & Amalecitarum pugnam describit, de qua in Exod. cap.17. legitur relatio prædæ. *Multum enim argenti, & auri in castris fuit repertum, & vasa ærea coquinaria, & escaria, magnus etiam pecuniæ signatæ numerus.* Sicli argentei etiam meminit sacer textus in morte Saræ vxoris Abrahæ, vidimus supra in cap. Genes. 23. quibus in locis præclarè ostenditur nomine Sicli non rudes metalli frustulos, sed monetam signatam signo publico intelligendam fore: sed & adhuc aurei sicli B signati habemus vsum in sacris litteris de seruo illo, qui ab Abraham in Mesopotamiam abijt, vt filio Isaaco quæreret vxorem, dedit Rebeccæ *Inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.* Quod intelligendum; vt sicli nomine signatam monetam accipiamus, alias enim insolens esset, quod delicata puella decem auri libras circa manus, & brachia ornatus gratia deferre voluisset. Et in 1. Paralipomenon cap.21. *Dedit ergo Dauid Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.* Siquidem solutiones debitorum non solum pondere, sed etiam monetæ signatæ numero determinabantur.

Ferreæ monetæ apud Romanos, Græcos, & cæteras nationes vsus erat, & hic erat nummus paruus, teste Polluce lib.9. cap.6. dum ait: *Byzantinorum autem nummus ferreus erat sic appellatus: ferreum autem numisma paruum erat, ita, vt loco dicendi, Eme mihi tria ærea, diceretur, Eme mihi tria ferrea.* Quemadmodum de Lacedæmonijs idem Pollux: *Ferrea quoque moneta idem Lacedæmonij vtuntur ingentis magnitudinis, sed minimi valoris.* Ac etiam C apud Hebræos dicitur cap.17. lib.1. Regum: *Ferreum lanceæ Gigantis Goliath fuisse ponderis sexcentorum siclorum ferri.* Quod, vtique de valore ferreæ monetæ intelligitur, non autem de pondere, cum impossibile fuisset, vt tantum ponderis haberet ferrum illud, quantum habebant sexcentæ libræ rudis ferri.

Consideratio. Vt aliquid tandem proficuum nobis ex vsu rei nummariæ desumamus; sit satis asserere quod effrænata pecuniarum cupiditas ad omnes humanæ vitæ vsus prorsus inutilis reddatur: vt eleganter Martialis ad Scæuolam libr.1. Epigram.

Si dederint superi decies mihi millia centum,
Dicebas, non dum Scæuola factus Eques;
Qualiter ò viuam! quam largè! quamque beatè!
Riserunt faciles, & tribuere Dij. D
Sordidior multò post hoc toga, penula peior:
Calceus est sarta terque, quaterque cute,
Deque decem plures semper seruantur oliuæ,
Explicat & cœnas vnica mensa duas.
Et Vecentani bibitur fæx crassa Rubelli:
Asse cicer tepidum constat, & asse focus.
In ius ò fallax, atque inficiator eamus.
Aut viue, aut decies Scæuola redde Deis.

Verum hod ipsum melius multò, ac sine sugillationis felle, sine figmento-

rum

A rum fallacijs, ſignificantiſſimis verbis expreſſit Eccleſiaſtes cap. 6. his verbis: *Eſt & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus, vt comedat ex eo.* Magnum equidem Dei flagellum partis diuitijs non poſſe, ſeu neſcire vti, vt voluit Antiphanes apud Stobæum tit. 93.

Nunquam beatum credidi, quamtumlibet
Opulentum, qui reparta neſciret vti.

Quinimo etiam aliquando mentem deprauant diuitiæ, vt Menander apud Stobæum tit. 92.

Immodicæ diuitiæ, poteſtate addita
Dementant hominem, quamuis ſapientiſſimum.

Qui vero diuitias & bonam mentem poſſidet, hic beatus erit, vt idem Menander tit. 94.

Felix, qui mentem cum diuitijs poſſidet;
B *Namque is ſcit opibus vti recte, atque ordine.*
Diuitias ferre diſce: pars ſapientiæ eſt:
Quia multis pariunt magnam inhoneſtitudinem.

De Ritu Nuptiarum. Cap. XVI.

FVIT mos priſcis temporibus, vt qui vxorem ducturus eſſet, eam in matrimonium datum iri ſtipularetur, qui contractus ſtipulationum, ſponſio numque dicebatur ſponſalia, vt ex Seruio Sulpitio, Neratio, & alijs refert Gellius lib. 4. Noct. Attic. cap. 4. quod & Vlpianus in l. 2. & 3. de Sponſal. l. Sponſio D. de Verborum ſignif. & ex Plauto in Aululari a Megadorum ab Euclione filiam ſtipulantem facit: *M. Quid nunc etiam mihi deſpondes filiam E. illis legibus, cum illa dote, quam tibi dixi. M. Sponden ergo. E. Spondeo.* In C Trinummo quoque Lyſiteles à Charmide ita ſtipulatur: *Sponden ergo tuam gnatam vxorem mihi? Ch. Spondeo, & mille auri Philippum dotis.* *Stipulatio.*

Ad conſtituenda ſponſalia nudus conſenſus ſufficiebat; cumque & abſenti per Nuntium, ſeu epiſtolam deſponderetur l. ſufficit l. in ſponſalibus D. de Sponſal. In tabulas tamen Sponſalitiæ conuentiones referebantur. Tertul. lib. de Virg. Veland. *Hæ ſunt tabellæ priores naturalium Sponſaliorum, & nuptiarum.* Quæ tabulæ ſignatorijs eorum, qui interfuerant, annulis obſignabantur; vnde Iuuenalis de nuptijs contrahendis ait: *Veniet cum ſignatoribus auſpex.* Apuleius Apolog. 11. *Habes, cur tabulæ nuptiales inter me, & Pudentillam non in oppido ſint, ſed in Villa Vrbana conſignatæ.* *Conſenſus.*

Arrhæ à ſponſo ſponſæ dabantur, vt in l. ſi quis officium D. de Ritu nupt. cum ſimilibus. Quia & annulus ſponſæ pignoris loco mittebatur, quem Pronubum Tertull. lib. de Cultu fœmin. vocat: *Aurum nulla præter vno digito, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo.* Dabatur annulus, ex Iſidor. lib. 2. de Diuin. offic. cap. 15. vel propter mutuæ dilectionis ſignum; vel vt eodem D pignore eorum corda nuda iungantur: ferreum vero annulum, eumque ſine gemma ſponſæ mitti ſua ætate refert Plinius lib. 33. cap. 1. & de his vide, quæ latè diximus in Cap. de Annulo. *Arrha, ſeu annulus.*

Cæterum quæ ætate ſponſalia contrahi olim poterant, ex Modeſtino l. in Sponſalibus D. de Ritu nupt. quamuis ætas contrahentium definita non ſit; tamen ſponſalia effici poſſunt, ſi modo id fieri ab vtraque perſona intelligitur, ideſt ſi non ſint minores, quam ſeptem annorum. *Ætas.*

Poſt contrahentium pubertatem ſæpè iuſtæ, ac neceſſariæ cauſæ non ſolum annum, vel biennium, ſed etiam triennium, & quadriennium, & vlterius trahunt ſponſalia; nempe eorumdem valetudo, vel mortes Parentum, aut

capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex neceſſitate fiunt. A

Dici indictio. Sponſalibus factis conſequens erat nuptijs diem dici, nec temerè, aut quolibet die nubebant, ſed in ea re non leuem menſium, ac dierum delectum habebant: nouarum certe calendarum poſteros omnes dies à nuptijs habitos alienos, Sex. Pomp. l. 12. ſcribit. Menſis item Maius ex Plutarcho nuptijs infauſtus habebatur, vt ex Ouid. 5. Faſt.

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupſit, nec diuturna fuit,
Hac quoque de cauſa, ſi te prouerbia tangunt
Menſe malas Maio nubere vulgus ait.

Dies etiam alios, qui contrahendis nuptijs vitabantur, refert Macrobius l. 1. cap. 15. & Ouidius 2. faſtor. indicat Cicero ad Q. fratrem epiſt. 11. Pomp. nuptias pridie Idus Febr. celebratas infauſto, & ominoſo die. Sed & Saliorum diebus feſtis abſtinendum à nuptijs idem Ouid. ſuadet 3. faſt.

Nubere ſi qua voles, quamuis properabitis ambo:
Differ, habent paruæ commoda magna moræ. B

Contra coniugio aptiſſimum eſſe id tempus, quod idus Iunias ſequitur, Ouid. lib. 6. faſtor.

Hanc ego cum vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cauenda forent:
Tunc mihi poſt ſacras monſtratur Iunius idus
Vtilis & nuptis, vtilis eſſe viris.

Tribus generibus vxores quæſita. In contrahendis matrimonijs tribus generibus vxores quæſitas, Vſu, Farre, Coemptione: Arnob. lib. 4. aduerſus Gentes ait: *Vxores Dij habent, atque in coniugalia fœdera veniunt conditionibus ante quæſitis, vſu, farre, & coemptione genialis lectuli ſacramenta conducunt.* Atque in propoſito de farris vſu inquit Plin. lib. 18. cap. 3. *Quin & ſacris nihil religioſius confarrationis vinculo erat, non æque nuptæ farrum præferebant.* Et Apuleius l. 10. de Aſino, *Matrimonium confarreare*, dixit.

De Ritu Coemptionis, Boethius lib. 11. Comment. ad Topica Ciceronis C
ſic ait: *Coemptio certis ſolemnitatibus peragebatur: & ſeſe in coemendo inuicem interrogabant: vir ita, an ſibi mulier materfam. eſſe vellet? illa reſpondebat velle: item mulier interrogabat, An vir ſibi Paterfam. eſſe vellet? ille reſpondebat velle: itaq; mulier in viri cõueniebat manum, & vocabãtur hæ nuptiæ per coemptionem, & erat mulier Materfam. Viro loco filiæ.* Cui interpretationi accedit Iſid. 15. Etym. Gell. l. 18 c. 6.. vnde non mirũ, *Nuptias* à Modeſtino *Diuini, & humani Iuris coniũctionem* definiri, l. 1. D. de Ritu nupt. & à Gord. in l. aduerſus, C. de Crim. expil. hæred. *Vxorem rei Diuinæ, & humanæ ſociam appellari.*

Cæterum de Vxorum vſu quærendarum, videtur formam indicaſſe Cicero, dum Flacci partes tuetur.

Vſu parras, ac quæſitas vxores eas fuiſſe, quæ matrimonij cauſa in domum abſque coemptionis ſolemnibus deductæ, toto vertente anno cum viro adfuiſſent; quæ poſt id temporis ex l. 12. tab. in manu, mancipioque viri fuerint, quaſi vſu, ideſt poſſeſſione viro mancipatæ: vſum enim pro poſſeſſione veteres dicebant, atque legitimum fuiſſe modum adipiſcendorum dominorum, & præter Iuris ciuilis auctores, teſtis eſt Horatius. D

Si proprium eſt; quod quis libra mercatur, & ære,
Quædam ſi credis conſultis mancipat vſus.

Et ſicuti res mobiles anno poſſeſſæ poſſeſſoris fiebant; ita mulierem, quæ cum viro vna matrimonij cauſa anno integro morata eſſet, ei vxorem cum re, & effectu partam, conciliatamque fuiſſe ſuſpicari poſſumus, dummodo talis annui vſus trinoctio perfecto à viro vxor non abnoctauerit, quia tunc ex lege 12. tab. interrumpebatur vſus. referunt Macrobius, & Aul. Gellius: Ex earum verò mulierum, quæ vel in matrimonio, vel in concubinatu promiſcuè

A scuè haberi poterant, ex destinatione animi eorum, qui eas habebant, pendebat.

Nuptiæ antiquitus nonnisi captatis prius Augurijs fiebant: sic Tacitus de nuptijs Messalinæ lib. 11. & de Neronis cum Pythagora coniugio libr. 15. agens, vtrobique auspicum adhibitorum meminit, Cicero pro Cluentio: *Nubit Genero Socrus nullis auspicibus, nullis auctoribus, funestis omnibus.* Lucanus lib. 11. Bello Pharsal. *De augurijs.*

Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui,
Iunguntur taciti, contentique auspice Bruto.

Symmachus lib. 11. epist. *Sororem Pompeiam olim viro maturam te auspice in manus optat accipere.* Seneca in Troade act. 4. Scen. 1.

Quicumque hymen funestus, illætabilis,
Lamenta, cædes, sanguinem, gemitus habet;
Est auspice Helena dignus.

Et latè ad Rosinum Paralipomena lib. 5. cap. 37.

B His expositis, ad nouæ nuptæ vestitum, ornatumque transeamus: ac vt à vertice incipiam: senis crinibus ornari solitum scribunt, sicuti Vestales virgines ornabantur ex Sexto Pompeio. Celibari præterea hasta, quæ in corpore Gladiatorio stetisset, nubentis caput eodem auctore comebatur; vel quia matronæ in Iunonis Caritis tutela essent; vel vt fortes viros ominarentur, & alia huiusmodi, refert Plutarchus in Romulo, & de tali more Ouidius 2. fastorum. *De ornatu sponsæ.*

Nec tibi, quæ cupida matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.

Arnobius lib. 11. aduers. Gentes inquit: *Cum in matrimonio conuenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios aduocatis, nubentium crinem celibari hasta mulcetis.* Corona deinde redimiri nouæ nuptæ consueuerant. Tertull. de Corona militum. *Coronant & nuptiæ Sponsas.* Catull. de nuptijs Iuliæ, & Manlij.

C *Cinge tempora floribus*
Suaueolentis amaraci.

Et Lucanus de nubente: *Turritaque premens frontem matrona Corona.* Texta Tunica nouæ nuptæ induebantur, Plin. lib. 18. cap. 48. ait: *Quod quidem ex felici textricis coniugio in vsum venisse non dubito, cuius memoriam boni ominis causam nuptialibus ritibus nouas nuptas vsurpasse constat.*

Cingulo insuper nupta cingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum id ex lana ouis. Sex. Pomp. scribit, quasi vt vir suus secum vinctus, cinctusque esset. Circulum id Herculano nodo iunctum, vir ominis gratia soluebat, vt sic ipse felix in suscipiendis liberis esset, sicut Hercules fuit, qui LXX. liberos reliquit. Inde Catull. in nuptijs Iuliæ, & Manlij. *Cingulum nouæ nuptæ.*

Te suis tremulus parens
Inuocat; tibi Virgines
Zonula soluunt sinus.

Et idem ad Ianuam ait: *Quod Zonam posset soluere Virginem.* Et Ouid. in
D epist. Phyllidis ad Demophoontem.

Cui mea Virginitas auibus libata sinistris,
Cestaque fallaci Zona reuincta manu.

Cingulum seu Zona ista virginea, quam maritus prima nocte dissoluebat, Cestus sine diphthongo nominabatur; quo Venus Martem, & Iuno Iouem sibi conciliabant. Martial. in epigr. 13. lib. 6.

Vt Martis reuocetur Amor, summique Tonantis;
A te Iuno petit Cestos, & ipsa Venus.

Vnde Cestus dicitur communiter Cingulum sponsæ, quæ legitimè matrimonium contrahit, aliter tale coniugium Incestus nominatur, cui cingulum illud

iustarum nuptiarum non adhibetur: Papianus in *l.* si adulterium D. ad *l.* Iuliam de adulter. Ab hac Cingulorum replicatione Iunoni, quæ coniugalibus fœderibus præesse credebatur, *Cinxiæ* cognomen inditum est, vt ex Sext. Pomp. & Arnobius 2. aduersus Gent. ait: *Cingulorum Cinxiæ replicationi.* Et Statius in Syluis: *Dat Iuno verenda vincula, & insigni geminat concordia tæda.* Vnde Athenis templum Iunoni *Soluizonæ* structum legimus apud Pausaniam & alios, in qua suspendebant nouæ nuptæ zonas, quas soluerant sponsi ad illas ingressi. Ad quod alluisse videtur Propheta Baruch. capit. 6. vers. 42. *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent.* &c. Idem, vt ex Herodot. lib 1. interpretamur: fœminæ ad ædes Veneris zonis præcinctæ, quibus virginitatem professæ, hospitibus ad Deæ fanum aduentantibus pudorem prostituunt. Apud scriptores fasciam pudoris virginei signum fuisse reperimus: quandoque etiam Castitatis coniugalis hoc est fidei intemeratæ erga maritum; vt in psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circũdata varietate.* Et iterum: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis.* Hoc est vt exponunt, in fascijs aureis: quasi significare velit, omnem gloriam castæ sponsæ non esse in externo cultu sitam, sed intus in Pectorali fascia, hoc est in fidelitate coniugali, quam fascia repræsentat. Quod in fœminis Fascia, idem in viris eadem apud lumbos religare, vt Christus admonet apud Lucam cap. 11. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Idest ne fidem adstrictam Deo violetis. Porro sponsæ fascia pectoralis bissina à sponso dono accepta, ipsam admonebat fidei coniugalis atque puritatis, vt scilicet mammillas, quæ cordis sunt diuerticula hoc est affectus suos continentia, coerceret, seque mundam sponsi toro conseruaret. Vt Latius Villalpanda in Ezechielem tom. 1. part. 1. cap. 16. pag. 187. collat. 1.

Præterea vt ad propositum reuertamur: Iunoni quoque nubentes sacra facientes fel cum reliquis victimarum extis non porrigebant, sed demptum, & diuulsum abijciebant; mysticè significantes omnem bilem, & amaritudinem à nuptijs abesse oportere, ex Plutarcho refert Brixonius de Ritu nupt. Plutarchus quoque, & Macrob. 11. Satur. cap. 12. volunt Iunium mensem propitium contrahendis nuptijs, vt diximus hunc à Iunone denominari; quod etiam refert Beda lib. de ratione temporum, Censorinus in lib. de die natali cap. 18.

Iugum contrahentibus matrimonium imponi consueuerat, Seruius, & Isidorus commemorant, vt etiam Plautus ex Curcullione: *Iam ne ea fert iugum?* quemadmodum etiam Horatius: *Nondum subacta ferre iugum valet ceruice.*

Velo obnubi solita noua nupta, cum ad virum deduceretur, Tertull. de Virgin. veland. ait: *At qui etiam velatæ ad virum deducuntur.* Vnde nuptiarum nomen ductum esse, omnium Gramaticorum fert opinio: nubere enim, & obnubere priscis velare, & operire significabat, vt Sext. Pomp. Nonius Marcellus, & alij notant. Quo in significatu Arnob. lib. 3. aduersus Gentes, hoc verbo vsus est, inquiens, Quod aqua nubat terram, appellatus cognominatusque est Neptunus: Velum autem id, quo nuptæ caput operiebatur Flammeum appellabatur, Martial. 11. epigr.

Flammea texantur sponsæ: iam Virgo parata est,
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Et idem lib. 12. *Præluxere faces, velarunt flammea vultus.* Sanctus Ambrosius in lib. de Viduis: *Suasimus, vt vestem mutares, non vt flammeum sumeres; vt à sepulchro recederes; non vt thalamum præparares.*

De ritu in traductione sponsæ. Exposuimus, quo cultu, & ornatu noua nupta ad virum procederet; videbimus nunc de Pompæ apparatu, ac Ritu traductionis. In viri igitur domum tamquam in coniugis mansionem; ad domicilium nuptæ traducebãtur. Plautus in Aulularia: *E. Quod sempiternum tibi salutare sit procreandis liberis. M.*

Ita

A *Ita Dij faxint. Volo te domum vxorem ducere.* Et in Trinummo. *Numquid causa est, quin vxorem cras domum ducas?* Item vnam post matrimonium viri, & vxoris domum dici. Plutarchus lib.4. Symposiacon. cap. 3. & est text. in l. 1. §. si vir. D. ad senat. sylleian. Enimuero deductio hæc antiquitus nonnisi noctu fiebat, Sext. Pomp. lib. 14. & Val. Max. lib. 1. cap. 5. ibi: *More prisco noctu connubia nuptialia petit.* Et Tacitus lib. 11. à Nerone cum Pythagora confectas nuptias referens ait: *Et interdiu in viro nubente spectata, qua etiam in fœmina nox operit.* Et Catullus in Epithalamio.

Vesper adest, iuuenes consurgite, vesper olympo:
Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas,
Iam veniet virgo, iam dicetur hymenæus.

Pueri vero tres Patrimi nubentem deducebant, ex Sext. Pomp. in verbo. Patrimi, quorum vnus facem præferebat, reliqui duo nubentem tenebant.

Fax porro, quæ præferebatur ex spina alba fiebat, vt idem Pomp. scribit, ideoque Catullus de Nuptijs Iuliæ, & Manlij.

B *Pelle humum pedibus, manu*
Spineam quate tædam.

Hinc Plinius: *Spineam nuptiarum facibus auspicatissimam*, ait. Non desunt, qui velint nuptiales faces ex Pinu confici solitas, vt apud Catullum: *Pineam quate tædam.* Et Ouidius 2. fastor. Suadet à coniugio per aliquot dies abstinendum.

Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ;
Expectet puros pinea tæda dies.

Et D. Ambrosius de huiusmodi facibus in lib. de Viduis ait: *Vel cum accensis funalibus mox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putat, quam thalamum præparari.* Præterea in altum tolli nubentes priscis temporibus consueuisse, vt ex Optato Meleuitano lib. 6. contra Donatistas; tradit etiam Brissonius de Ritu nupt. ex Apuleio, Polluce, Synesio, & Suida. Ac etiam apud Pœnos, Græcos, & Aegyptios vsu receptum fuisse, vt nubentes sellæ
C insidentes, curruque sublimes vectæ à Patris domo in mariti domicilium transferretur, quamuis apud Romanos solum à pueris manu ductam nubentem, ex Sext. Pomp. vidimus. Et Pausanias scribit; vt noua nupta dum ad domum sponsi traduceretur, solita erat curru geniali vectari, in quo tres tantum ducebantur; nimirum sponsa, quæ sederet in medio, sponsus, & Paranymphus, qui annulum maritalem traderet.

Comitabatur præterea nubentes Colus compta cum fuso, & stamine, ex Plutarcho, & ex Plinio lib. 8. cap. 48.

Vtensilia item mulieris, & quæ in vsu, & ministerio eius erant, per puerum impuberem in vase operto gestari consueuerant: Puer Camillus; vas ipsum Cumerum proprio nomine vocabatur: Varro lib. 6. de ling. Latin. Cumerum vocabant antiqui vas quoddam, quod opertum in nuptijs ferebant, in quo erant nubentis vtensilia; quo vero ad Camilli vocem, sicuti & Flaminium, puerum dictum ingenuum patrimum, & matrimum, qui Flamini Diali ad sacrificia ministrabat. Ita ex Sexto Pompeio, ac etiam ex Macrob. lib. 6. c. 9.

D Quin etiam Asses tres ad maritum nubentes deferebant, vt apud Nonium Marcellum, Varro scribit, vbi de illorum significatu.

Fores ædium mariti floribus, & frondibus ornari consueuerunt, vnde Catullus de nuptijs Pelei.

Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.

Claudianus de raptu Proserpinæ, lib. 2. ea excepta in thalamos Plutonis ait: *Pars aulæa tenent alij, prætexere ramis limina.* Lauro quippe Postes ornare, tam in publicis, quam priuatis gaudijs moris erat. Tertull. in Apolog. c. 35. *Cur die læto non laureis postes obumbramus?* Plin. lib. 15. cap. vlt. *Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus, ianitrix Cæsarum, Pontificumque*

sola

ſola, & domos ornat, & ante limina excubat: Ex hoc more Iuuenalis de Mu- A
liere ſtatim poſt nuptias diuertente.

Ornatas paulo ante fores, pendentia liquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Præ foribus ædium mariti interrogatæ nubentes, quænam eſſent? Caias ſe eſ-
ſe reſpondebant, ex Plutarcho: fertur enim Caiam Cæciliam Tarquinij
priſci Regis vxorem optimam Lanificam fuiſſe, ideoque nouæ nuptæ ante
ianuam mariti ſic interrogatæ reſpondebant. Quintil. lib. 1. cap. 7. Nam &
Caius, C littera notatur, quæ inuerſa mulierem declarat; quia tam Caias vo-
citatas eſſe, quam Caios ex nuptialibus ſacris apparet. Poſtes ianuæ lana
tangi à nubentibus, adipeque vngi conſueuerant; Seruius in 4. Aeneid. ait:
*Moris fuit, vt nubentes puellæ, ſimul ac veniſſent ad limen mariti, poſtes ante-
quam ingrederentur, ornarent laneis vittis, & oleo vngerent, & ideo vxores
dictæ Vnxores*. Et refert etiam Iſidor. lib. 9. cap. vlt.

Sponſa ingrediendo limen domus mariti pedem attollebat; illud enim tan- B
gere ominoſum erat, & ideo ſaltu illud tranſgrediebatur: hinc Catullus in
Epithalamio.

Tranſfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Raſilemque ſubi forem.

Et hoc in nouis nuptis Religioni habebatur, Plautus.

Senſim ſuper attolle limen pedes noua nupta.

Cauſas ex Seruij, & Plutarchi problematis require. Muretus in Comment
ad Catullum de nuptijs Iuliæ, & Manlij.

Ingredienti nuptæ Claues dabantur, ex Sexto Pompeio in verbo Clauis,
vt ſignificaretur ei rerum omnium domeſticarum, quæ clauibus concludi ſo-
lent, cura, & adminiſtratio demandata.

Ac etiam in pelle lanea noua nupta ſtatuebatur, ex Sexto Pompeio, quo
teſtaretur, ſe lanificij officium viro præſtituram.

Sed etiam aqua, & ignis nuptiarum ſolemnibus adhiberi conſueuerat; C
vnde Scæuola in l. penult. D. de donat. inter virum, & vxorem: *Die nuptia-
rum priuſquam ad virum tranſiret, & priuſquam aqua, & igni acciperetur*:
Quem morem refert quoque Seru. in 4. Aeneid. vnde poſtea faces prælucе-
bant, & aqua per puerum de fonte petita, qua nubentibus pedes lauari ſo-
lebant. Et ex Varrone lib. 4. de ling. Latin. ignis, & aqua adhibebantur; vt
hæc nupta cum viro communicaret; cum ea ſint cauſa naſcendi, & Halicar-
naſſeus lib. 11. huius inſtituti originem à Romulo deducit, de quo etiam Val.
Flaccus lib 8. Argonat. ait: *Pariterque precati, Incipiunt; ignem Pollux, vn-
damque iugalem Prætulit*.

In cœna nuptiali oppiparè, & laute acceptos conuiuas fuiſſe, Plautus in
Curculio, ait:

Tu miles apud me cœnabis: hodie fient nuptiæ.

Legibus ſumptuarijs, quibus efferueſcens Romanorum luxuriæ æſtus coer-
cebatur: nuptijs aliquid indulſiſſe lex ſiquidem Iulia, C. Auguſto imperante
pro feſtis diebus ducentos æris impendi permiſit, Kalendis, Idibus, Nonis D
trecentos: nuptijs autem, Repotijſ. H. S. millies eſſe conceſſit, quemadmo-
dum Gell. lib. 2. cap. 24. refert.

Maxima populi frequentia, & celeberrimo officio nuptæ deducebantur.
ex Suetonio in Caligul. cap. 24. de Liuia Horeſtilla Piſoni nubente; & Quin-
til. declam. 306. *Aſpice illam virginem, quam pater tradidit euntem die celebri
comitante populo*.

Tibiam quoque nuptialibus feſtiuitatibus interueniſſe: Terentius Adel-
ph. *Verum hoc mihi mora eſt Tibicina, & Hymenæum, Turbam, Lampadas,
Tibicinas*. Et Claudianus in epithalamio.

Ducant

Ducant peruigiles carmina tibiæ.

A Præterea Talaſſionem in nuptijs Romanorum, non ſecus, atque Hymenæum inclamare conſueuiſſe ſciendum eſt; Martial. epigr. 36. lib. 1.

Quid ſi me iubeas Talaſſionem
Verbis dicere, non Talaſſionis?

Euſebius in Chronico, ait Sabinæ raptæ, & vna virginum pulcherrima cunctorum acc'amatione rapientium Talaſſio Duci Romuli decernitur: vnde in nuptiarum ſolemnitatibus Talaſſio vulgo acclamitant, quia ſcilicet tali nupta ſit, quæ Talaſſium habere mereatur, quod etiam Seruio placet in lib 1. Aeneid.

Nuces à nouis maritis iaci, & pueris ſpargi conſueuiſſe, Virg. Eclog. 8.

Sparge marite nuces: iam deſerit Heſperus Oetan.

Quod ideo feciſſe Varro tradit, quoniam à rapientibus pueris fieret ſtrepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis poſſet audiri; alijs placuit id fa-
B ctum, vt ſe puerilibus omnibus ludis renunciare, & iuuenilia cuncta relinquere eo indicio teſtarentur. Perſius:

Et nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum ſapimus patruos.

Nubentes præterea prætextis depoſitis à multitudine puerorum, qui ad eam celebritatem conueniebant, obſcæna omni licentia occinebantur, qui verſus Feſcennini dicti ſunt, ſiue quod ab vrbe Feſcennia eſſent allati, ſiue quod Faſcinum arcere putabantur. Seruius in 7. Aeneid. & Catull. in Epithal. Iul. & Manl.

Heu, heu diu taceat procax Feſcennina locutio.

Et D. Hieronym. in epiſt. ad Gerontiam: *Reſponde mihi cariſſima in Chriſto filia inter iſta nuptura es? & Feſcennio carmine terribilis tibi rauco ſonitu buccina concrepabit, vt quas habeas pronubas, habeas forte lugentes.* Erant autem Feſcennini verſus ioculares, incompoſiti, rudes, qui alternis iaciebantur. Ho-
C rat. lib. 11. epiſt.

Feſcennina per hunc inuecta licentia morem,
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.

Et Liuius lib. 7. *Non ſicut ante Feſcennino verſui ſimilem incompoſitum, temerè, ac rudem alternis iaciebant.*

Interea vero Lectulus nuptialis componebatur, qui propriè genialis dicebatur à generandis liberis, ex Seruio 6. Aeneid. & Cicero pro Cluentio: *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtrauerat.*

Toga vero ſterni lectos, & maritorum genios aduocari conſueuiſſe, refert Arnobius lib. 3. Aduerſus gentes.

Antequam ſponſa viro iungeretur, ſupra Priapi faſcinũ ſedere noua nupta iubebatur: nempè quod in templo Mutini, ſeu Priapi apponeret illa propria pudenda ſupra illius idolum lapideum, ſicuti expreſſum erat in altero ſimili paruo ſimulacro a tergo ad indicationem (vt etiam hodie extat ſimile idolum hic Romæ apud Clariſſimos D. D. de Gottifredis Numiſmatum & Anti-
D quitatum eruditiſſimos) hoc nobis expreſsè demonſtratur auctoritate Arnobij lib. 4. Aduerſus gentes, ibi: *Etiam ne Mutinus, cuius immanibus pudendis, horrentique faſcino veſtras inequitare Matronas & auſpicabile ducitis, & optatis.* Idem refert Lactantius de Falſa Religion. lib. 1. cap. 20. ibi: *Et Mutinus in cuius ſinu pudendo Nubentes reſident, vt & illorum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur.* Et D. Auguſtinus de C. D. lib. 6. cap. 9. *Sed quid hoc dicam; cum ibi ſit & Priapus nimium maſculus, ſuper cuius immaniſſimum, & turpiſſimum faſcinum ſedere noua nupta iubebatur more honeſtiſſimo, & religioſiſſimo matronarum.* Hoc idem referunt Cartarius de Dijs Antiquorum, vbi de Baccho & Priapo pag. mihi 296. ac etiam Briſſonius de Ritu Nupt. pag. penult. & Roſinus Antiquitatum lib. 5. cap. 37. col. fin. Et ad hunc Ethnico-

De Idolo Mutini ſeu priapi.

rum

rum ritum videtur etiam congruere, quod refertur de Hebræorum Idololatria; & videtur *innuere textus in* Scriptura ſacra 3. Reg. cap. 15. vbi Macham matrem ab Aſſa filio amatam, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, cuius etiam ſpecum ſubuerterit, & confregerit ſimulacrum turpiſſimum, coram quo obſcœna quæque impundentiſſimè exercebantur. Præterea Card. Bellarmin. in pſal. 105. num. 28. ſuper illa verba *Initiati ſunt Beelphegor*, refert hiſtoriam lib. Numer. c. 25. quod filij Iſrael decepti è filiabus Mohab, cœperunt fornicari coram eis, & colere Idolum earum dictum Beelphegor, ex quo iratus Deus iuſſit ſuſpendi in patibulo omnes Principes populi. Io. Lorina in dicto cap. 25. Num. n. 3. ſuper illa verba: *Initiatus eſt Iſrael Beelphegor*, ſecundum expoſitionem Rabbinorum inquit, Quod filiæ Iſrael coibant quotidiè cum ſimulacro obſcœniſſimo in virilis membri ſimilitudinem efficto. Ad quod aduerte verbum illud *Initiari*, quod idem eſt ac ſacrificare, ex Tertul. in Apolog. cap. 16. ibi: *Atque ita inde præſumptum nos quoque eidem ſimulacro initiari, &c.* A

Pronuba. Deinde in lecto pronubas collocaſſe Nuptam ſciendum eſt. Donatus in Eunuchum Terentij ad ea verba: *Deinde eam in lecto collocauerunt*. Lampridius in Heliogabalo: *Nupſit & coïit; vt & Pronubam haberet*, Et Claudianus de Raptu. B

Ducitur in thalamum virgo: ſtat Pronuba iuxta,

Ad huiuſmodi autem officium ſpectatæ pudicitiæ mulieres, quæ vni tantum viro nupſiſſent, adhibebantur; vt & matrimonij perpetuitatem auſpicarentur, ex Sexto Pompeio, & Tertul. in lib. Exhortatio ad Caſtitatem: *Monogamia apud Ethnicos in ſummo honore, vt & virginibus legitimè nubentibus vniuira pronuba adhibeatur*.

Et hæc de Nuptijs dicta ſit ſatis.

Quoniam in hoc eodem Capitulo; dum de ornatu nouæ ſponſæ ſupra dicebamus; quod Cælibari haſta, quæ ſupra caput Gladiatoris mortui ſtetiſſet, nubentis caput comeretur, vt ex Plutarch. in Problemat. quæſt. 97. & Ouid. citatis: ſeu, vt inquit Feſtus, ſicut illa coniũcta fuerat cum corpore gladiatoris, ſic cum viro noua nupta eſſet copulata: eademque haſta ab ipſa nupta frontem, & capillos diſcriminari fuiſſe in vſu: quod inde fortes ſe viros genituram ominaretur; aut quod ſponſi diſciplinæ ſe ſubditam fateretur. C

Ex hoc antiquiſſimo Græcorum & Romanorum ritu, ſubducitur difficultas ex altero ſimillimo etiam ritu hic Romæ quoque in præcedenti ſæculo ſeruato; vt Notarius accedens ſtipulationi contractus matrimonialis poſt mutuam interrogationem, & reſponſionem *Vis, Volo*; ſuperimponeret ille gladium ſuper capita contrahentium; vt illi forſan matrimoniali diſciplinæ ſubducerentur: & præter atteſtationem nobiliſſimæ Romanæ Matronæ mihi cognitæ & adhuc viuentis, quæ in ſuo Matrimoniali contractu etiam poſt ſacrum Tridentinum Concilium idem fuiſſe ſeruatum illa aſſerit; accedit quoq; inſtrumentum matrimoniale mihi traditum à Clariſſimo & Eruditiſſimo D.D. Didaco Cinquino, inter D.D. Franciſcum de Cinquinis eiuſdem Didaci Proaum & Iuliam Aſtalliam nobiles Romanos, quod inſtrumentum hic de verbo ad verbum propono; vt conſtet plurimos ex ritibus noſtri ævi ab illis priſcæ antiquitatis originem habuiſſe. D

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

PRæſenti publico Inſtrumento cunctis vbique pateat euidenter, & ſit notum, quod anno à Natiuitate eiuſdem D.N. Ieſu Chriſti Milleſimo quingenteſimo vndecimo Indictione Decima. Die vero decimaquarta Decembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D.N. Iulij Diuina prouidentia Papæ Secundi

A *cũdi anno eius nono. In præsentia mei Notarij personaliter constituti Illustres D. D. Franciscus de Cinquinijs & Iulia de Astallijs animo & intẽtione matrimonium inter se contrahendi: & primo interrogatus per me Notarium dictus Franciscus, si vellet præfatam Iuliam recipere in eius legitimam vxorem, &c. Ad quam interrogationem, &c. respondit & dixit, Volo: deinde interrogata similiter dicta Iulia si volebat similiter dictum Franciscum in eius legitimum maritum, quæ similiter respondit, volo: post quas interrogationes & responsiones superimposito ense super eorum capita, & præmisso signo Venerabilis sanctæ Crucis præfatus Franciscus actualiter subarrhauit dictam Iuliam præsentem & consentientem per annuli & sigilli aurei immissionem in digito annulari dictæ Dominæ Iuliæ. & tunc dicta fuerunt per me Notarium illa verba Dominica: quas Deus coniunxit, &c. Et rogarunt me Notarium. Actum Romæ in Regione Pineæ in sala Domus & cothabitationis præsentis nobilis viri Mariani de Astallis patris dictæ Iuliæ præsentibus nobilibus & spectabilibus Viris Augustino Ghisio Mercatore Senen. Prospero de Mutis, Iulio & Hippolyto Petri Matthei de Albertonibus testibus.*

B

Et quia q. Simon Antonius Pirotus prædecessor meus de præmissis regatus fuit. Ego Dominicus Tullius C.C. Notarius & in illius Officio successor præsens Instrumentum subscripsi & publicaui requisitus, &c.

De Iure Connubiali inter Ciues Romanos. Cap. XVII.

C Ognito in præcedenti capitulo solemni nuptiarum ritu; consequens huic est de iustis, iniustisque Matrimonijs inter Ciues Romanos addere, vt iuris ciuilis, & antiquitatis Romanæ studiosis satisfaciam. Igitur, vt ab Aetate ordiamur, eam in matrimonijs contrahendis definiuit Iustinianus. *Aetas.*

C Instit. de Nuptijs in princ. masculos quidem puberes, fœminas autem viripotentes, ac etiam refert Dio lib. 4. A duodecimo quidem anno pubertatem fœminas auspicari prudentibus placuit; idque ea ratione factum Plutarchus in Numa interpretatur, vt celerius coniugum mores tenella adhuc ætate imbiberent, & ad obsequium virorum facilius flecti, fingique possent. Macrob. verò lib. 7. Saturn. voluit pubertatem fœminis legibus definitam, quod generationi essent ab eo tempore aptæ, nempe duodecimus, & quartodecimus in masculis, quoniam, vt inquit Euripides apud Stobæum: *Muliebre corpus citius in senium cadit*. Vndeque testamenta fœminis citius, quam masculis facere licet, l. à qua ætate D. de testamentis. Cæterum si fœmina minor duodecim annis domum pro vxore deducta esset, non ante iusta & legitima vxor fiebat, quam apud virum duodecimum annum impleuisset, l. minorem, D. de Ritu Nupt. Interim vero, dum pubertas coniugis expectabatur; si quidem sponsalia intercessissent, sponsæ tamen loco ea habebatur, l. cum hoc status §. si quis sponsam D. de Donat. inter virum, & vxorem: nuptijs autem cessantibus, nec in concubinatu minor annis duodecim puella haberi iure licito poterat, l. 1. in princ. D. de Concubinis.

D

Quod adolescentulis vxores ducere non liceat; eadem militat ratio in hominibus quo ad appetitum coniunctionis, quæ est in beluis: belluæ autem si in tenuiori ætate congrediantur, imperfecti tunc nascuntur fœtus, fœpiusque fœminæ quam mares; hinc fit, vt idem etiam in Ciuitate contingat, si adolescentuli vxores ducant. Atque ex consequenti, quanto virtus generandi est imbecillior, tanto deinceps dolor pariendi est acrior & laboriosior; imò hinc nani & homunciones nascuntur; hinc genitores, ac geniti propeæquales fiunt; hinc circa administrationem familiæ oriuntur querelæ;

hinc accretio & augmẽtatio corporum iuuẽilium tollitur; hinc fœminis crebrius quã maſculis procreatis, ſpes belli & ſuperandi hoſtis penitus deletur; hinc abortus; hinc mutilati; hinc monſtra; hinc alia ſexcẽta mala euenta fluũt. Atq; huc infinita referũtur teſtimonia, Aegyptiorum qui non ante annos 30. Lacedæmoniorum, qui non ante triginta quinq; Romanorum, qui non ante triginta ſeptem ſuos adoleſcẽtes ducere permiſerunt. Huc addi poteſt quod lex iſta plurimum conferat ad temperantiam, & experientiam; ad temperantiam, quia adoleſcentiores vſu Veneris præmaturo fiunt libidinoſi; ad experientiam, quia ſedatis affectibus ratio magis & prudentia in hac ætate viget; ac etiam futurum vt Ciues longe robuſtiores corpore & animo vegetiores naſcantur. A

Nuptias vero, quas vir ſexagenarius cum vxore quinquagenaria contrahebat, fuiſſe improbatas, ex textu in l. penult. C. de Nuptijs: vnde ſcitè Lactantius lib. 1. de falſa Religion. c. 16. ait: *Vtrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit.* Inquit enim Euripides apud Stobæum tit. 71. B

Res ſenibus importuna matrimonium,
Et triſte natos tollere ætate in mala.
Seni marito quippe matrona imperat.

Hoc in legibus condendis agebat Auguſtus, vt exhauſtam bellis Ciuilibus ciuitatem ſobole repleret, l. ſi ſterilis. D. de action. empti, l. ſi maior Cod. de legit. hæred. Ariſtoteles certè in Politeis finem gignendi, vt plurimum viris ſeptuageſimum annum adferre, mulieribus vero quinquageſimum ſcribit, & Plinius lib. 7. cap. 14. abſolutè definit mulierem poſt quinquageſimum annum parere, maioremque partem quadrageſimo profluuium genitale ſiſtere; at planè, quibus cruor menſtruis interuallis fluere deſtitit, eas iam concipere non poſſe, confirmat D. Auguſtinus lib. 3. contra Iulian. Pelag. Et ideo alienam à nuptijs contrahendis ſuperius memoratam ætatem, veluti liberorum ſuſcipiendorum ſpe deſtitutam præmijs afficiendam non exiſtimarunt. Nihilominus Claudius Cæſar cum comperijſſet etiam ſexaginta annos natis, aut eo amplius generandi vires ineſſe, derogauit in eo capite prædictæ legi; ſic enim Suetonius in eius vita cap. 23. ait: *Capiti Papiæ Popeæ legis à Tiberio Cæſare quaſi ſexagenarij generare non poſſent, edicto abrogauit.* Quam vero importunum ſit ſenibus matrimonium, ſic docet Euripides apud Stobæum. C

Audite iuuenes: omnibus dictum volo,
Differre thalamos ad ſenectæ terminum.
Nolite: prolem ſerite dum tempus ſinit.
Res eſt moleſta fœminæ coniunx ſenex.
Properate: iuuat hoc educendis liberis,
Pulchrumque iuueni natus alludens patri.

Et Theognis apud eundem Stobæum.

Tempeſtiua ſeni primæuo flore puella
Non eſt; nec clauo, ceu ratis, apta regi:
Anchora non illam teneat: ſed funè ſoluto
Nocte illam ſtatio non tua ſuſcipiet. D

Sed Deus bone, quot hodie curuos & decrepitos ſenes in amplexibus, & vlnis Laidum inuolutos vbique videas. Natura illos Spadones fecit, & tamen vt loquitur Propheta, *Viſa puella hinniunt.* Et quamuis in Cymba Charontis vnum pedem habeant, de Helena cogitant, & loquuntur. Heu quam indecora res eſt & impia, delirantes ſenes, cum oculis cœcutiant, cum careant dentibus, cum ex naribus & ore pus & ſpumam ætatis mittant, cum totis naturæ viribus deficiant, de ſponſa, & libidinoſa Venere ſomniare? Natura hoc in belluis ſemper abhorruit: ſapientia maiorum hoc ſemper prohibuit.

Vtrum virgo poſſit concipere?

Quoniam ſicuti ſenectus impedit generationem, ac etiam apud priſcos

Roma-

A Romanos matrimonium dirimebat. Obiter hic modo proponitur difficilis & ambigua quæstio: vtrum valeat fœmina virgo concipere? non inquam, conceptus & partus absque viri semine sequatur, cum hoc vires omnium creaturarum excedat: sed solum contigit dubitatio, vtrum virgo recipiendo semen viri, valeat inde concipere absque virginitatis læsione? nec loquimur de partu, cum id naturaliter sit impossibile, nec nasci potest infans nisi claustra virginalia rumpantur: sed de conceptu non est adeo clarum: nam D. Thom. quodlibet. 6. art. 18. dubitare videtur, ait enim: *Posset tamen fortè absque miraculo mulier salua omnino virginitate concipere, sicuti dicitur accidisse de quadã puella pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo Pater habebat, qui dum somno pollueretur, semen ad matricem descendit, & puella concepit.* Simile quiddam etiam narrat Auerroes 2. Collibet. de Muliere virgine in balneo se lauante; ad cuius matricem semen viri, qui ibidem se polluerat, aquæ motus perduxit. Quare tamquam certam hanc sententiam tradit Alphonsus Tostat. parad. 1. cap. 38. vbi ait: *Ad conceptionem perficiendam claustrorum virginalium aperitionem esse necessariam, falsum esse liquet; interdum namque sine aperitione claustrorum conceptio sequi potest, & aliquando secuta est; & non solum hoc, sed & aliquid alterum, quod satis videtur mirabile, contigit, scilicet, quod aliqua mulier totaliter virgo carne, & mente, nullam omnino corruptionem perpessa, prolem concepit naturaliter.* Quod etiam non impugnat Mart. Del Rio Disquisition. Magic. lib. 2. cap. 15. Huius autem problematis decisionem, ex Anatomia pendere crederem; si enim ita disposita sunt in muliere membra, vt viri semen absque eo quod claustra virginalia frangantur ad locum vbi proles concipitur, peruenire possit, non video cur virgo concipere non possit, nam vel ad viri conceptionem sanguis eius menstruus simul cum virili semine sufficit; & hunc clarum est posse absque virginitatis læsione concurrere; vel requiritur etiam mulieris semen, & hoc sicuti interdum accidit in somno, posset absque eius culpa, & voluntate, & consequenter salua virginitate decidere. Probabilius tamen communiter creditur, id
B fieri non posse; alioquin in prima virginis cum viro copula non esset necesse
C virginale sigillum frangi, vt euenit. Ad exempla autem allata crederem, mulieres illas fabulas finxisse, ne grauiter peccasse proderentur; quod si modo supradicto concipere posset; sequeretur posse Dæmones efficere, vt virgo mente & corpore permanens, conciperet, quod non est asserendum. Ad illud quod narrant scriptores de varijs, quæ conceperint dumtaxat ex semine, quod in balneo, in quo illæ lotæ, fuerat prius effusum, non est probabile; quia neque virtus attractiua matricis tam à se longe valet vim exerere; & semen illud, si fœcundum fuisset, fundum aquæ petijsset, nec supernatasset: vt etiam supponit Mart. del Rio lib. 2. quæst. 15.

An possit virgo concipere.

Hoc tetigisse sit satis, vt cognoscatur: vtrum virginitas possit in conceptione fœtus conuenire; adeo vt fœmina virgo (etiam secundum plurimorum opinionem) possit recepto semine viri concipere salua virginitate. Nec talia de sanctissima Deipara vllatenus intelligenda, cuius virginitas non solum in ipsa Verbi Incarnatione, verum & in partu, & post partum illibata per-
D manst; & omnia ad verum eius matrimonium interueniisse sit certum; vt ex D. Thoma 3. part. quæst. 29. art. 4.

In vxore petenda, quam sit perpendenda conditio bona, & aliæ qualitates, audiamus prudentes: Euripides enim apud Stobæum tit. 70.

De conditione huius.

Moneo nunc omnes semel,
Vt ex honesto genere progeniem ferant:
Non illa quippe semper infelix erit.

Vbi etiam Theognis.

Nobilitas Asinis, & Equis simul, Arietibusque
Dat pretium: nec de semine degeneri

Admissura placet. Sed praua è sanguine prauo A
Si dos sit, præsto est optima conditio.

Et Hesiodus ibidem.

Quære toro intactam, pulchris quam moribus ornes,
Neu sit læta tua vicinia labe, caueto.

Et Euripides prædictus.

Sublimiori genere, qui natas petunt,
Opibusue opimas coniuges, optant male.
Vbi namque potior res domi est vxoria,
Vir mancipatus iura non retinet sui.
Dotalis iste Census infelix viro est,
Qui difficilius efficit diuortium.

Hinc apud Romanos inter liberas, & seruiles personas, nuptias olim non constitisse certum est, l. Proculus D. de Iur. dot. l. 3. C. de Incest. nupt. quam ob rem si ancilla libero nupsisset, dotisque nomine pecuniam numerasset, nec matrimonium erat, nec viri ea pecunia fiebat, quam tempore iure statuto penes se vsu cœpisset; planè si apud virum ad libertatem peruenisset, conualescebat matrimonium, eodemque soluto, dotalis pecuniæ repetitio competebat, d. l. Proculus. B

Præterea iusta matrimonia non inter liberas quascumque personas, sed inter solos Ciues Romanos contrahebantur. Instit. de Nuptijs in princ. Nam cum Latinis, Peregrinisque connubium, nisi eis concessum esset, non erat. Senec. lib. 4. de Benefic. ait: *Promisi tibi filiam in matrimonium; postea peregrinus apparuisti; non est mihi cum extraneo connubium.* Macrob. 1. Saturn. cap. 6. *Libertinis vero nullo iure vti prætextis licebat: ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo.* Hinc maximam apud Populum inuidiam sibi conflauit Antonius, quod contra leges patrias nupsisset Cleopatræ, refert Plutarch. Necnon quod Titus Berenicen Aegyptiacam vxoris loco haberet, vt proinde repudiare eam sit coactus, narrat Xiphilinus; quod eo processit, vt ex Peregrino, & Ciue Romana natus Peregrinus nasceretur. Vlpian. in fragment. tituli 5. At eiusmodi peregrinitatis obseruationem tandem exoleuisse Prudentius lib. 2. contra Sym. ait. C

Nunc per genialia fulcra
Externi ad ius connubij: nam sanguine misto
Texitur alternis ex gentibus vna propago.

At à Prouincialibus, cuiuscumque ordinis, aut loci essent, cum Barbaris coniugia contrahi Valentinianus, & Valens prohibuerunt, l. vnica de nuptijs Gentilium in Cod. Theod. etenim Patribus cum plebe connubium ne esset 12. tab. sancitum est, quemadmodum refert Halicarnas. 11. antiquit cum Liuio lib. 4. ab V.C.

Senatores quoque Senatorumque filij vxores ducere prohibebantur Libertinas, quarumue parentes artem ludicram fecissent. Paulus in l. qui Senator. D. de Ritu nupt. eumdemque Senatoris filium accipere debemus non tantum naturalem, verum etiam adoptiuum: dummodo talis adoptio emancipatione subsecuta non fuisset soluta:, l. senatoris filium D. de senator. Senatoris autem filia, quæ corpore quæstum, vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit, impune Libertino nubit: nec enim honor ei seruatur, quæ se in tantum scelus deduxerit, l. Senatoris filiam. D. de Ritu Nuptiarum. D

Senatorijs personis exceptis, cæteris omnibus ingenuis Libertinas vxores ducere lege Papia concessum fuisse Celsus in l. lege Iulia D. de Ritu nuptiarum, & Dio lib. 54. affirmant, & hoc idem indicare voluit Mauritianus in l. obseruandum D. de Ritu nupt. his verbis: *Vt inferioris gradus homines equestris, vt puta, vel plebeij ordinis, vxores ducant eas, quas qui altioris dignitatis sunt;*

A *sunt; veluti Senatores ducere legibus propter dignitatẽ prohibẽtur.* Excipiebat tamen lex quasdam personas, quas ne inferioris quidẽ ordinis hominibus, dummodo ingenuis, ducere permittebat: veluti Lenam ã Lenone, Lenaue manumissam, vel eam, quæ palam quæstum corpore faceret; item in adulterio deprehensam, vel iudicio publico damnatam, &c. vt ex fragmentis titulorum Vulpiani titulo de Cælibe, orbo, solitario, & latè Brissonius de Iure Connubiorum pag. mihi 123. & seq.

Captiuitate Mariti matrimonium soluebatur, quod is in seruilem causam deductus, seruus hostium factus iam pro nullo habeatur. Nouell. Constitut. 37. itaq; Triphonius in l. in bello §. medio tempore D. de Captiu. ait: *Captiui vxor, tametsi maximè velit, & in domo eius sit, non tamen in matrimonio est.* At vero Iulianus I. C. satis diuersæ sententiæ in l. vxores D. de Diuort. inquit: *Et generaliter definiendum est, donec certum est maritum viuere in captiuitate constitutum, nullam habere licentiam vxores eorum migrare ad aliud*
B *matrimonium, nisi mallent ipsæ mulieres causam repudij præstare: sin autem in incerto est, an viuus apud hostes teneatur, vel morte præuentus: tunc si quinquennium à tempore captiuitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias, ita tamen vt gratia dissolutum videatur primum matrimonium: & vnusquisque ius suum habeat imminutum, eodem iure, & in marito in Ciuitate degente, & vxore captiua obseruando.* *Solutio.*

Tutores prohibentur pupillas suas vxores ducere, & filijs suis nuptum dare ex S. C. Marci Antonini, & Commodi, l. Senatus consulto D. de Ritu nupt. cuius præcipua hæc ratio, ne Pupillæ in re familiari circumscriberetur ab ijs, qui rationes gestæ tutelæ eis reddere necesse habebant, neue fraudes huiusmodi domestici matrimonij velamento, quo tutelæ reddendæ ratio compellebantur, tegerentur, l. libertum §. 1. D. de Ritu nupt. Præterea & adolescentum Curatores, necnon & ventri Curatores, bonisque dati: ij quoque, qui Tutores quidem non sunt, periculo tamen tutelæ suo nomine
C ostringuntur, à pupillarum nuptijs arcentur, l. si quis Tutor D. de Ritu nuptiarum. Hæredes quoque Tutorum licet extranei, quoniam rationes reddere debent, Senatus Consulti prohibitione concluduntur, d. l. Libertum §. 1. vbi etiam subditur, quod Tutor pupilli non prohibeatur ex hoc filiam suam pupillo suo collocare in matrimonium. *Prohibentes sẽ frahere.*

Ex gradu ascendentium, & descendentium duci vxores non posse, l. nuptiæ 53. D. de Ritu nupt. §. ergo Instit. de Nuptijs: nec interest, an ex iustis nuptijs eiusmodi personarum coniunctio descendat, an non? l. & nihil D. de Ritu nupt. *Iniusta nuptiæ.*

Ac neque cum his quidem personis, quæ vel affinitatis ratione parentum liberorumue vicem repræsentant, iustæ sunt nuptiæ; quare nec nouercam Proaui nostri vxorem, nec socrum, ideſt vxoris nostræ matrem, nec eiusdem Auiam Proauiam ducere licet l. si quis mihi §. 1. & l. adoptiuus §. nunc videamus D. de Ritu nupt. §. ergo Instit. de nupt. Fuit siquidem tam infausti matrimonij cupiditate incensus Imp. Antoninus Caracalla, de quo sic Spartianus ait: *Interest scire, quemadmodum Nouercam suam Antoninus Imp. duxisse*
D *dicatur, quæ cum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam se maxima corporis parte nudasset, dixisse tque Antoninus, vellem si liceret, respondisse fertur; si lubet, licet: an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? quo audito furor inconditus ad effectum criminis roboratus est: nuptiasq; eas celebrauit, quasi sciret se leges dare, cum vere solus prohibere debuisset.*

Ab earum quoque, quæ in parentum fuerint concubinatu, nuptijs abstinendum Imperator Alexander constituit, l. liberi C. de Nuptijs. Contra religionem quippe, ac pudorem est cum ea matrimonium coire, quæ pudicitiam Patri prostrauerit.

Ex transuerso etiam cognationis gradu prohibitas esse nuptias, nemini dubium

dubium est; siue ab eodem Patre, eademque matre progeniti fuerint, siue ab altero eorum, §. inter Instit. de Nuptijs Aemil. Prob. in Procem. de Vit. Imp. ait: *Neque enim Cimoni fuit turpe Athenienſium ſummo viro ſororem germanam in matrimonio habere: at id quidem noſtris moribus nefas habetur.* Romanis vtique semper detestabilis, & execranda talis coniunctio visa est; ideoque de Caligula non vt de Principe, sed vt de monstro Sueton. refert cap. 24. quod cum sororibus suis stupri consuetudinem fecerit: quem etiam Drusillam germanam Longino Consulari collocatam abduxisse, & in modum iustæ vxoris propalam habuisse, vt etiam refert Dio lib. 59. eademque se, ac famam suam turpitudine fœdasse Othonem, Xiphilinus memorat. Plutarch. in Parallelis refert, Papyrium quemdam Romanum *impatientia*, & ardore amoris victum Camillam sororem grauidam fecisse, quod vbi Papyrius Tolucer eorum communis pater resciuit, ensem filiæ misit, quo puella pectus transfodit, eodemque lethi genere scelestum, ac nefarium facinus suum Papyrius deinde expiauit. Planè per adoptionem factam sororem, adoptione soluta, vxorem ducere nihil vetabat, l. quin etiam D. de Ritu nupt. B

Adoptiuæ vtique sororis filia vxor duci, vel constante adhuc adoptione licito iure poterat, quod ea cognata non esset; siquidem per adoptionem contrahitur solum cognatio, cum agnatorum ius adiunctum habet, l. 2. §. patrui D. de suis, & legit. & Claudius Imp. Neronem à se in locum filij adoptatum cum filia sua Octauia matrimonio iunxisse, refert Dio lib. 59. verum ne frater sororem ducere videretur, adoptionis commento necessitudinis species dissoluta est. Inde Iunoni Octauia à Seneca comparatur: sic in Tragœdia eius nominis habetur.

Tu quoque terris
Altera Iuno, soror Augusti
Coniuxque graues vince dolores

Et alio loco.

Mœret infelix soror,
Eademque coniux.

Fratrum, sororumue filias vxores ducere licebat nemini, C. de nupt. §. fratris Instit. de nuptijs; tametsi talium coniugiorum vsum inuexit Claudius Imp. Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ amore incensus, vt publici iuris velamento eius matrimonij à se cum ea contrahendi turpitudo tegeretur, refert Tacitus lib. 12. *Claudius Senatum ingressus decretum postulat, quo iustæ inter patruos, fratrumue filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur.* Tranquillus in Claudio ait: *Verum illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ per ius oſculi, & blanditiarum occaſiones allectus in amorem, ſubornauit proximo Senatu, qui cogerent ſe ad ducendum eam vxorem, quaſi Reipublicæ intereſſet, dandique cæteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id tempus iniuſta habebantur: ac vix vno interpoſito die de nuptijs confecit.* Verum Imp. Nerua vetuit, ne fratrum filiæ ducerentur, ne tam mali exempli nuptiæ in posterum frequentarentur, refert Xiphilinus in Nerua. Eadem flagitiosa libidine incitatus Heraclius Imp. cui non aliunde id morbi, quo laborauit, quam ob illicitam cum fratris filia coniunctionem accidisse vulgo creditum, tradit Zonaras. Acerbissimè huius generis nuptias, vt incestas, ac nefarias Impp. Anastasius & Zeno constitutionibus suis damnarunt, in quas etiam inuehitur B. Ambros. lib 8. ep. Sed nec in concubinatu haberi sororis filia, licet Libertina absque incesti crimine potuit, l. etiam D. de Ritu nupt. non modo autem fratris, aut sororis filiam, verum etiam neptem, proneptemue ducere non licet, l. fratris Instit. de nuptijs. C D

Mortuorum fratrum coniuges fratribus superstitibus, dissolutis, seu morte, seu repudio nuptijs, duci citra incesti crimen non posse Imperatorum Constitutionibus cauetur, l. nemini C. de nuptijs: quamquam non defuerint

A fuerint in Romana historia eiusmodi matrimoniorum exempla: Lucius enim Tarquinius, cui Superbi cognomen, Tulliam minorem natu, quæ Arunti nupserat, Arunte veneno ab ea sublato, cum ipse coniugem quoque suam eodem genere interemisset, duxit, refert Halicarnass. lib. 4. Vtcumque sit, huiusmodi matrimonia aliquot Impp. Constitutionibus sunt interdicta, l. fratris, & l. vlt. C. de Incest. nupt. l. nemini C. de nuptijs, vt quoque in Concilio Neocæsariensi can. 2. prohibita: quia etiam cum quidam Aegyptiorum mortuorum fratrum coniuges matrimonio sibi copularent hoc colore, quod virgines mansisse dicerentur, Zeno eas nuptias, & qui eas contraxisset, & inde susceptos libros incestarum nuptiarum pœnis subiacere voluit, l. licet C. de Incest. nupt.

Vxoris etiam sororem ducere, & sic duabus sororibus coniungi, licentiam dissoluto quoquo modo coniugio Impp. Valens, Theod. & Arcad. vetuerunt: Honorius tamen Imp. duas Stilichonis filias vnam post alteram in matrimonio habuisse fertur exitu infelici, ex neutra enim liberos suscepit
B morteque immatura vtraque obijt, Zonaras lib. 3. Annal. Paulus Diaconus lib. 44. Appendicis ad Eutropium.

Verum duorum fratrum liberi inuicem rectè matrimonio iungebantur, §. duorum Instit. de nuptijs, l. 3. & l. non solum §. 1. D. de Ritu nupt. namque Augustum filiam Iuliam Marcello Octauiæ sororis suæ filio iunxisse, apparet, ex Dione lib. 53. & Sueton. in August. cap. 63. At Theodosius Maior religiosus Imperator etiam has nuptias prohibuit, vt refert S. Ambros. ep. 66. & S. Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 16.

Amitam, & Materteram vxorem ducere non conceditur, quoniam parẽtum loco habentur. §. Item Amitam. Instit. de nuptijs.

Requiritur maxime consensus contrahentium, vt nuptiæ iustæ sint; quare cum furioso, furiosaue matrimonium contrahi nequit, l. furor D. de Sponsal. l. oratione in fine D. de Ritu nupt. quoniam nec voluntatem, intellectumue habent: mutorum, surdorumue dissimilis causa est, quibus non obest
C talis defectus, vt contrahere possint matrimonium, l. in quibuscumque, D. de oblig. & act. quamquam matrimonium furor contrahi non sinit; contractum tamen non dirimit, l. furor D. de Ritu nup. *De consensu.*

Præterea non solum consensus eorum, qui contrahunt; sed & eorum, in quorum potestate sunt, exigitur, l. 2. de Ritu nupt. adeo vt legitimi non habeantur liberi inde susceptι, vt inquit Apuleius lib. 5. de Asino. Nepoti siquidem vxorem ducere tam Auum, quam Patrem consentire debere, inquit Paulus, l. Oratione §. 1. D. de Ritu nup.

Filiæ, quæ vigesimum quintum annum sunt egressæ, inconsultis parentibus impunè pro arbitrio nubunt, nec pœnam exhæredationis ob eam rem timent. §. Causas Nouell. Vt cum de appellat. cognos.

Definit quoque Paulus I. C. lib. 2. sententiarum titulo 19. eorum, qui in Patris potestate sunt, sine voluntate eius matrimonia iure non contrahi, sed contracta non solui.

Duas eodem tempore vxores habere Romæ non licuit, §. affinitatis. Inst. de nupt. js. Et hoc crimen infamiæ pœna vindicatum edicto Prætoris,
D l. 1. in fin. & l. quod ergo §. 1. D. de his qui notant. infam. vnde Impp. Valerian. & Galien. in l. eum qui C. ad l. Iul. de adult. ait: *Eum, qui duas simul habuit vxores, sine dubitatione comitatur infamia: in ea namque non iuris effectus, quo Ciues nostri plura contrahere matrimonia prohibentur, sed animi destinationi cogitatur.* Necnon capitali pœnæ huiusmodi matrimonia obnoxia esse, vt ex Constitutione Constantini in l. vxor C. de Repudijs, vbi de mulieribus, quæ viuis maritis militibus nullo accepto de eorum sospitate nuncio, post quatuor annorum spatium alteri nupserint: & quamuis Aelius Cœcina Tribunus plebis iussisset, vt vxores liberorum quærẽdorum causa, *De pluritate vxorum.*

quas,

quas, & quot vellent ducere, Quiritibus liceret. Sueton. in Iulio cap. 52. ea tamen lex promulgata non fuit. Valentinianus quoque, Imp. alteram Seueræ Iustinam vxorem superinduxit, ex qua Valētinianum Iuniorem sustulit, ac vt facti turpitudinem amoliretur, lege sanxit, vt cuilibet duas simul vxores habere liceret, quemadmodum Socrates lib. 4. histor. Eccles. cap. 30. Paulus Diaconus lib. 11. append. ad Eutrop. sed nec ea lex accepta fuit: nam Iudæos, qui colore quod primis generis humani satoribus Polygamia multiplicandæ sobolis necessitate permissa fuisset, quasi maiorum vestigijs inhærentes, plures sibi vxores habere licere existimabant, Impp. Theodos. Arcad. & Honor. prohibuere in diuersa sub vno tempore coniugia conuenire, l. nemo C. de Iudæis. A

Sicuti nec Concubina vxori iure Quiritum adiungi potuit, est Constantini Magni Constitutio, l. 1. C. de Concubinis dum ait: *Nemini licentia conceditur constante matrimonio concubinam penes se habere.*

Dicam hic obiter veteres sanctos Patriarchas legis Mosaycæ tempore, pluribus vxoribus coniunctos culpæ immunes fuisse, quod asserit Innocent. 3. cap. Gaudemus, de Diuortijs, atque multis relatis, & explosa eorum sententia, qui dicunt numquam licuisse vxorum pluralitatem; sed permissam fuisse tamquam minus malum, probat latè Card. Bellarm. lib. 1. de Matrimon. cap. 21. Hæc autem dispensatio non concessa est externa aliqua scriptura, aut locutione; sed inspiratione interna facta Patriarchis, quæ deriuata est vi exempli, & consuetudinis ad reliquos è populo Israelitico, ac proinde omnibus illis pluralitas vxorum licebat: quod tanquam notum supponitur. Deuteronom. cap. 20. *Si habuerit homo duas vxores.* Et ita docent sanctus Thomas, sanctus Bonauentura, Sotus, & alij, quos refert, & sequitur Sanch ex, de Sacramento Matrimonij lib. 7. disput. 80. n. 12. B

Nuptiæ intra tempus luctus.

Nuptiæ, quæ à mulieribus intra annum luctus contrahuntur, turpitudine non carent. Luctus autem tempus regia lege definitum decem mensium erat, per quos mulier abstinere à nuptijs iubebatur, vt est testis Plutarch. in Numa. Ouid. 1. Fastor. C

Quod satis est vtero matris, dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere coniugis vxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Et idem lib. 3. Fastor.

Assuetos igitur numeros seruauit in anno,
Hoc luget spatio fœmina mœsta virum.

Itaque, quod apud Senecam epist. 65. ad Lucill. legitur: *Annum fœminis ad lugendum constituisse maiores.* De anno vtique Romuli, qui decem dumtaxat mensibus constabat, fusè à Macrob. l. 2. c. 12. Primi namq; Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Impp. luctus tempus duobus mēsibus auctum anno definiere, vt ex eorum Constitut. in Cod. Theodosiano, l. prima de secundis nupt. At Caligula die suo natali, quo & Augusti templum consecrauit, luctus inhibuisse; & præterea Viduis intra constitutum legitimum tempus nubere, nisi prægnantes essent, concessisse fertur. Dio lib. 59. & de Heliogabalo refert Xiphilinus cum Pomponio Basso è viuis sublato, vt ab vxore, cuius amore flagrabat, viri memoriam diueller et, eam protinus duxit, nullo ad lugendum virum spatio dato: simili etiam ratione mulier post missum ex iusta causa repudium, alij nubendi potestatem nō habebat, ex Impp. Theodos. & Valentin. Constitut. vt in l. si constante, C. de Repud. ne, vt ipsi aiūt, de prole dubitandi occasio daretur: fuere tamen Imperatores, qui etiam prægnantes sumpsere vxores, vt de Augusto refert Suetonius cap. 62. *Cum Scribonia diuortium fecit, pertæsus morum peruersitatem eius, & statim Liuiam Drusillam matrimonio Tiberij Neronis, & quidem prægnantem adduxit, dilexitque* D

A *lexitque, ac probauit vnice, & perseueranter*. Cæterum Liuia apud Augustum, Claudium, Drusum, Neronem intra trium mensium spatium peperit, quem natum Augustus patri Tiberio reddidit, refert Dio lib. 48. Octauiam quoque Augusti sororem post Marcelli viri sui mortem adhuc grauidam, ventreque pleno Antonio de sponsam, Dio dicto lib. 48. Vt etiam Caligula Milioniam Cæsoniam adulterio sibi ante cognitam; & iam tum patrui propinquam duxisse, ac trigesimo die pater fieri ex vxore, glorioſum duxit. Dio lib. 50. Sueton. *in* Calig. cap. 25.

Cum Virginibus Vestalibus iam nonnisi nefarias, & incestas nuptias contrahi potuisse: Heliogabalum tamen humani generis portentum Aquilam Seueram Vestalem duxisse, narrat Xiphilinus, quod etiam perstrinxit Lampridius in eius vita: *In Virginem Vestalem incestum admisit*. Atque hæc sunt, quæ habui de legitimis, incestisque Ethnicorum Quiritum coniugijs.

Qui plura desiderat, legat Andream Tiraquellum de Legibus connubialibus, & alios scribentes.

B Veteres legislatores, vtpotè præstantiorum virtutum ignari, Respublicas suas Ciuium numero aucturi, coniugia quibusdam immunitatibus & prærogatiuis donarunt. Sanciuit Lycurgus, ne intheatris locum haberent Misogami, ideſt, qui vitæ solitariæ dediti matrimonium detrectarent: statuit etiã, vt sub hyemem nudi per Vrbem trahantur; & à pueris si essent seniores, honore coæuis debito, neutiquam afficiantur. Et quo commendatius redderet coniugium *in contrahendis matrimonijs, potiorem voluit esse rationem virtutis* in fœminis, quam diuitiarum: dotem ducentibus dandam negans. Idem quoque placebat Soloni, pro dote fœminis nullam omnino pecuniam, ne empræ viderentur, dari, sed paucas dumtaxat vestes, & supellectilia volenti. Atque vt legitimis tantum nuptijs operam liberis darent, promulgauit Spurios filios obedientia, reuerentia, amore filiali non debere esse obstrictos.

Matrimonia contrahentium immunitates.

Philippus Secundus Macedonum Rex arma moliens aduersus Romanos
C ne deesset miles, edixit serio; vt qui per ætatem possent, vxoribus ductis liberis operam darent. Studiosè hoc etiam obseruarunt Romani: id quod probat eximia Oratio à Q. Metello Censore habita: in qua omnibus, qui maturæ essent ætatis, vt nuberent suasit. Quæ etiam Oratio postea ab Augusto Imp. vberrimis laudibus decorata, publico edicto confirmata est.

Ne vero paupertas à iugo matrimonij absterreret, agri, aliaq; bona pauperibus donata sunt. Plerique enim, qui extrema paupertate conflictantur & de die in diem viuunt, procreandæ soboli nihil intenti: aut dum maximè suscipiunt, adeo affectus paternus friget, vt nisi plane torpeat; minimus tamen est in educanda prole.

Quamquam sine maris & fœminæ coniunctione humanum genus propagari non possit: tamen & hoc notandum, sola multitudine contrahentium non multiplicari genus humanum; nam præter lecti consuetudinem etiam educationis cura, conseruandique facultas requiruntur. Hæc nisi coniungantur, aut præmatura morte liberos anteuertunt, aut ad obeunda munia
D ineptos reddunt, inerti pondere patriam replentes. Causam adducit Strabo: *Galliæ mulieres*, inquit, *temperato corpore, naturaq; fua fœcundæ; nec minus prolis probe educandæ sunt studioſæ*.

Multiplicatio non fit solo matrimonio nisi educatio accedat.

Porro quam necessaria sit diligens liberorum cura, atque educatio; id exemplis tam rerum visibilium è terris nascentium, quam brutorum etiam animalium probari potest. Cultura namque humana in propagandis lactucis, alijsque satiuis herbis vim naturæ superat; vrticas aliaque eius generis zizania sponte producentis. Lupæ & Vrsæ plures pariunt catulos quam oues, ac etiam plures agni quam lupi & vrsi mactantur; & nihilominus longe maior est agnorum copia quam vrsorum aut luporum. Nec alia in hoc adducitur

causa, quoniam agni hominibus curæ sunt, educantur, à pastoribus in pascua producuntur, custoditi à Molossis, qui lupos adorti discerpant. A

Turcis cum Mauris communis lex est, licere plures ducere vxores: omitto iam tot millia, qui Deo perpetuam Castitatem vouerunt: neque tamen orbis Christianus propterea destituitur ciuibus, imò lõge est populosior quã Turcia. Plaga Septentrionalis, quæ tot dedit Imperij Romani euersores, pluribus semper inhabitata fuit, quam Australis, cum tamen indubium sit, Septentrionales minus sentire libidinum flammas quam Meridionales. Plures Præterea vxores vni Meridionali simul iunguntur, licet Septentrionali vna sit satis: nec alia adducitur ratio, nisi difficillima copiosæ prolis ex vxorum multitudine susceptæ educatio: & destitutio commoditatis educandi paucos liberos, qua illi gaudent, quibus vna tantum vxor est. Nunquam tanto amore ardet in plures vxores maritus, sicuti in vnicam, quo fit vt affectus paternus in liberos debilior, diuagansq; de liberis ritè educandis parum sit solicitus: copia namque liberorum obrutus, non potest officio paterno omnibus numeris absolutè satisfacere. B

Quid prodest vrbi Cayro magnitudine & ciuibus insignem esse, at quotannis sæuissima pestilentia tot incolarum millibus priuari? Quorsum attinet Constantinopolim plurimis ciuibus refertam esse, cum quolibet triennio pestis furor maximam ciuitatis partem absorbeat? talis namque materia & tale pabulum est vnde luis contagio enascitur, ac proserpit, eamque auget angustia & incapacitas habitationum: impura & vitiosa alimenta: sordes vrbium aerem inficientes. Hæc & similia liberos adolescere vix sinunt; tametsi quotidiè infiniti enascantur, pauci tamen ad iustam ætatem perueniunt.

Hac de causa genus humanum, quod ab vno marito, & vxore vna originem trahens ante tria millia annorum tanta copia, & numero, quo & iam est, constitit; non amplius sicut olim multiplicari videmus. Pleræque ciuitates, quarum incunabula parua, incolarum multitudine ad certũ numerum excreuerunt, acquisitam metam non trãscendunt. Roma tribus millibus hominum cœpta, tandem ad quadringenta quinquaginta millia eorum, qui arma ferre possent progressa substitit, nec vnquam plures inibi numerati fuerunt, cum tamen ratione incrementi prioris magis, magisque in infinitum vsque augescere debebat. Sic Neapolis, Venetiæ, Mediolanum amplius ducenta millia Ciuium nunquam habuerunt: id quod de alijs ciuitatibus quoque, quæ plerumque consuetum ciuium numerum non transcendunt, dictum volo. C

Difficultas homines alendi, procul dubio in causa est: quam peperit aut soli sterilitas; aut habitus vicinarum prouinciarum, è quibus victualia tanta, quæ alendis ipsis sufficiant, commodè transportari non possunt.

Duo itaque ad incrementa populi requiruntur, liberorum, procreatio, & educatio. Multitudo quidem coniugum maximam partem sibi vendicat: sed non hæc satis, altero requisito destituta. Vnde plane certa ea est sententia, propagationi humani generis nihil accedere, vel diminui ex coniugio sacerdotum & Monialium. Licentia nubendi, quam sibi sacerdotes Angliæ & Germaniæ sumpserunt, multitudini populi nihil addit. Adauctus quidem est coniugum numerus, at educandi commoditas nihil est facta locupletior. D

Satis hæc declarant non sufficere Principi numerum coniugum auxisse: nisi pariter quoque de educatione liberorum ipsis prouideat, eleemosyna pauperibus, beneficentia egenis, virginum indotatarũ elocatione, filios honestis rebus assuefacere, eosque ab iniuria famis vendicare, clementer alendo senio, & virium infirmitate affectos. Tanta erat Alexandri Seueri beneficentia, vt pauperum liberos suis sumptibus educari curaret: de matre Mammæa Mammæos postea dictos.

Vt

A Vt aliquid morale & nobis proficuum desumamus ex præfatis priscorum Romanorum, quæ de Nuptijs & Connubijs sunt relata: cauendum maximè ne quis Dominam, aut superiorem patiatur vxorem, quæ imperare quidem sciat sed obsequi nesciat: opum namque generisque disparitas animorum disparitatem prouocat. Hinc infelix illa seruitus, qua melior deteriori sexui parere cogitur, & famulari didicit, qui imperare debebat. Turpe stolam togæ imperare, turpe colum gladio: hinc illa domestica verborum, vnguium, capillaturæ, tanquam cestuum bella; Oceani tempestatibus, fluctibusque sæuiora. Consideratio.

Sexusque oblita minoris
Spumat, & ingentes imitatur fœmina tauros.

Et verum nimium illud Poetæ.

Non sic in incerto mutantur flumine syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto.
Quam cito fœminea non constat fœdus in ira,
B *Siue ea causa leuis, siue ea causa grauis.*

Sed neque tot vomunt serpentes venena, quot indignabunda effundit mulier: vt in Eccles. 25. *Non est caput nequius super caput colubri; & non est ira supra iram mulieris.* Vt proinde exclamet Sapiens in Prouerb. cap. 25. *Melius est habitare in terra deserta; quam cum muliere rixosa & iracunda.* Hercules, Samson, Salomon nos docent. Herculeas flãmas Poetæ loquuntur: de Samsone illud Ambrosij: Samson validus & fortis *Leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula soluit hostium; sed suarum non soluit nexus cupiditatum: messes incendit alienas; sed vnius mulieris accensus igniculo messem suæ virtutis amisit.* De Salomone inclamat scriptura 3 Reg. capit. 11. *Auerterunt mulieres cor eius.* De quibus audet Chrysost. homil. 11. *Quid est mulier nisi amicitia inimica, ineffabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni decore depicta.* Et Græcus Poeta Euripides: *Cum multæ in terra, marique feræ sint, omnium maxima mulier fera est.* Beatus
C qui se eximere huic potuit, potuitque qui voluit.

Quod si carere hoc malo graue sit, cum *Melius sit nubere quam vri.* 1. Corinth. 7. Vxorem deligat, mitius flammis malum. In cuius delectu sequatur Chrysostomum: *Quære pudicam & religiosam puellam.* Vt implearis benedictionibus Sapientis Ecclesiast. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.*

De Forma vltima cura sit: ferè enim pulchritudini solicitudo adiuncta, & comes formæ metus est, torque propè anxietatibus maritus inuoluitur, quot elegantias in vxore legit: testatur hoc in Prouerb. cap. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.*

Neque nimis blanda & exculta mulier optanda; ne alienum calorem prouocet: rara verecundiæ cum nimia elegantia mistura est. Nolo in exteriore membrorum compositione & mollem teneram; quoniam nimia morum teneritudo libidinis prouocatorium est.

D Nolo eloquentem; ne tot iaculetur ignes quot verba. Ecclesiast. 9. *Colloquium illius quasi ignis exardescet.* Iob. 41. *Halitus eius prunas ardere facit.*

Non cultam nimis, & ornatam laudo memor Hieronymi ad Demedriadẽ: *Vir aut mulier suo ornatu oculos hominum ad se trahens etsi nullum inde sequatur damnum; supplicium tamen æternum meretur, qui venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Nec pœnitebit seuerioris castimoniæ exempla à Romanis mutuari: audiamus V. Maximum lib. 6. cap. 3. C. Sulpitius Gallus: *Vxorem dimisit, quod eam capite aperto foras versatam cognouerat; lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes, his esto speciosa, horum te certiori crede notitiæ: vlterior tui conspectus in suspicione & crimine*

ſubhæreat neceſſe eſt. Ergo dum ſæpius fœminis occurritur, pars magna inue- A
recundæ ſcenæ ſunt illæ; & tota capillatura, oculis, vultu, pectore flammas iaculantur nocituras, factæ viris fulmina & gladius.

Pigmenta vero mulierum quis ferat? quibus mentitus decor candoris & purpuræ homines decipiat, & amari ab alio quam à marito velit: fallere enim hæc maritum non poſſunt; alijs vero ludunt hæc mendacia, & doli ſtruuntur; vt in ſene & deformi iuuenis & formoſa ametur: in fraudem hæc inuenit amor, & libidini pediſſequam purpuram dedit, quæ ancillari amori docta incautos rapit.

Nec nimis Muſicam vxorem volo; *fundit namque illa venena vocis*, vt auidius auditores hauriant, & doli modulationibus incitantur. Iam vbi vocem depreſſerit, vbi extulerit, vbi ridentibus labris & oculis, aut in commiſerationem flentibus, ac dolentibus, melleos modulos exornauerit, cuius viri pectus ſtabit? cuius luſciniarum harum cantus non flectet in ſtuporem? & caſtam credam, quæ tot mentes in ſe vocat quot aures? Quod ſi eamdem B
Saltatricem dederis: audi Sapientem Eccleſ. cap. 9. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia eius*. Video Herodiadis filiam, regiaſque exinde ſponſiones, caput Ioannis in diſco pſaltatrici præmium: & timeo.

Nolo nimis Doctam, ne ſupra ſexum ſapiat: turpe viro ab ignobiliore ſexu diſcere: nam quæ docere mulier didicit, imperare didicit: parere neſcit docta, cui ſupra ſexum animus eſt.

Non multarum linguarum peritam, ne multarum linguarum de linimenta diſcat: ac etiam in vna muliere linguarum ſuarum delicias amabunt plures; forſan & in vna amores legent, & gentis ſuæ inuerecundos igneſ?

Nec omne ſecretum committendum vxori: aliquid maritus habeat, quod ignoret vxor, cum ſecretum res poſtulat: nam ſilentium qui ab vxore ſperauit, ſexum exuere voluit: neque enim ſecreti legibus teneri mulier videtur: adeo, vt quæ ſecretiora fuerint, plus propalatura mulier erit, vt propterea nemo prudens à muliere ſecretum ſperabit; nec aberrauerit, qui fœmineum C
os cribro aſſimilauerit; cum arbitrentur elegantiæ aliquot genus in hoc ſexu plurimum effundere, minimum continere.

Domeſtica tamen vxori committenda velim; & plurima inuenies muliebri magis quam virili ingenio manibuſque nata; & ferè frugalior vxor viro eſt, minutarum domeſticarum rerum intelligentior; nimirum quidquid ancillarum & filiarum eſt; etiam filios in octauum, ac nonum annum; inde in ius abeant Patris, & virum diſcant induere, fœminam exuere: minoribus enim nata mulier, maioribus vir eſt: prudentis proinde eſt tribuere cuique, quod natura eidem competit. Sed neque domeſticas res opeſque omnino ignorare vxorem conſultum puto, ne peregrinam, rerumque ignaram mariti mors reperiat nõ vulgari ſuo & filiorum damno. Errant profectò, qui in otio vxorem habent: audi Eccleſ. *Multam malitiam docuit otioſitas*. Magis in fœmina, quam in viro; hinc doli, & fraudes, & plures iam mariti, & torus non vnus, & patres multi, & dubius partus. Nihil cogitare non eſt hominum: D
doctis ſermocinationibus, lectionibus, ſcriptionibus diem noctibus iungere; gubernacula, rempublicam, imperia, bella, exercitus, & triumphos meditari, hoſtem ferire, ſanguinem dare, propugnacula erigere, hoſtilia euertere, claſſem parare, inſidias inimico agmini ſtruere, virorum eſt. Mulier ergo otioſa quid agat? ambit alternis occupari mens humana; nec ſemper cæleſtibus, nec ſemper perituris detineri. Deſtituitur demeſticis occupationibus mulier? ac etiam mentem otioſam ſolicitudinibus vacuam paſcet. Quare ſi vxorem vni ſibi maritus volet, domeſticis potius negotijs obruat, quam occupet: neſcit namque obruta rebus amare, neſcit erubeſcenda illa meditari: quinimo quod creſcat amor fideſque illius in maritum, cuius fiduciam

A ciam in concreditis ſibi experitur; vt proinde, *Beatus qui habitat cum muliere ſenſata*. Et cui benedixit Dominus rara hac ſæculorum benedictione.

Domeſtici tamen imperij fræna maritus omnino retineat: nec magni moliminis hoc videtur; ſi namque primis matrimonij menſibus, dum adhuc verecundia, & modeſtia amori miſcentur, ad viri mores vxor componatur, & obſequi aſſueſcat: vt talem ſperare vxorem in ſequentibus annis debeat maritus, qualem ſibi primis matrimonij menſibus finxerit: & certè obſequetur ſi virum nacta fuerit: quippe dum amori & benignitati multa concedet, nihil tamen de imperio remittet, vt amare vxor ſciat, & reuereri. A principijs hæc pendent: *qualem enim primis diebus virum vxor ſenſerit, talem habebit*: ſi remiſſum & indulgentem, contemnet: ſemel ſi contempſerit, perget: nec ad cultum ſine ingenti conatu reuocabit. Vbi enim ſemel excuſſerit mulier iugum, impatiens fræni erit; nec calcaribus quidem & ferro domanda.

B Nolo autem haberi vxorem vt ancillam, ſed neque vt dominam: vtinque, à non paucis peccatum; minus autem peccatum pro ancilla habere, quam dominam pati. Vtrumque vitabit vir prudens, & indulgentior etiam erit in coniugem quam in prolem; & dum agnoſcit ſobolis ſuæ matrem, ſe patrem meminerit, & imperio natum: etenim inter minas Iſraeli in delictum intentatas, mulierum imperia Propheta Iſaias c. 3. numerat: *Populum meũ exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis*. Portentum namque eſt, vt pedes manuſque capiti imperent: mulieris vero caput virum eſſe docemur ab Apoſtolo Epheſ. 5. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris*. Ita tamen vir dominetur vxori, vt hæc non ſit ancilla, ſed vxor, vt cap 2. Geneſ. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit ei*. memineritque partem ſui vxorem eſſe; adeoque duas in vnam coaluiſſe animas, indiſſolubili mutuo vinculo innexas. Quod ſi quando monenda, aut erudienda vxor, non audiant monentem Patrem li-

C beri, non ſerui dominam; ne contemnere incipiant illi Matrem, ſerui dominam, & imitari etiam diſcant: omnino danda opera marito, vt quam maxima veneratio ſit liberorum in matrem, ſeruorum in dominam.

Inuigilandum etiam marito, vt quam optimis vxor aſſueſcat, memor veteris dicti: *Corrumpunt bonos mores congreſſus mali*. Perpaucas nouerit, ac non niſi probatiſſimarum conſuetudine vtatur; eo magis quod muliebria ferè colloquia in liberiores ſexus illius narrationes eant: profiliunt exinde non caſtæ narrationes; hinc ignes & flammæ, & in alio viro maritus nouus. Vt auſim profiteri plures matronas, virgineſque mutuis inuerecundis narrationibus, quam virorum conſuetudine perijſſe: dum enim minore metu in eodem ſexu verſantur, incautius nocitura bibunt; & quo liberius, eo altius venena demittunt: ſuſpecta virorum colloquia; mutua mulierum ſuſpicione carent: nec pudet in hoc ſexu videre & diſcere, quod in viro pudet audire. Paucarum ergo familiaritatem permittet; & earum tantum, quarum nota integritas, modeſtia, verecundia, prudentia, & in maritos cultus & obſer-

D uatio, reliquarum arcebit: & quamquam illa exinde indignetur, ſat melius id eſt; dummodo pudica & obſequens domi ſit vxor: & quamuis ſolam domi deſtituant reliquæ; non propterea ſola, quæ marito, liberis, & domeſticis ſociatur: ac etiam felix illa ſolitudo eſt, quæ caſtam vni marito vxorem ſeruat: & quamuis comtemnant eam aliæ fœminæ; contemni enim à non laudatis, laudari eſt; & virtutis ſignum eſt ab improbis damnari.

De Thermis, seu Balneis. Cap. XVIII.

A

Vnde dicta?

ADEO studiosi fuere prisci Romani Thermarum: vt inter præcipua Vrbis ornamenta censerentur: de quibus nunc institutus nobis sermo est. Porrò Thermæ calida dicuntur loca, in quibus non solum aqua, sed etiam vapore halituq; corpora incalescunt. θερμὸν enim calor est. Plinius enim saltum Thermopylarum in Græcia inter duo altissima iuga cum describeret, inquit: *Ideo Pylæ, & ab alijs, quia calidæ aquæ in ipsis faucibus sunt; Thermopylæ locus appellatus: nobilis Lacedæmoniorum aduersus Persas morte magis memorabili, quam pugna.* Thermæ igitur Romanis BALNEA fuere calidarum aquarum, vnde ædificijs adhæsit nomen, quamquam in his frigida etiam perfunderentur. Admiranda autem erat earum Amplitudo & Luxus, de quibus plura retulimus supra in cap. 6. primæ partis. At numerus vero sine numero: supra octingentas P. Victor, Plinius lib. 36. capit. 15. de prædictis inquit: *Quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum.* Itaque præter lauacra Principum, quæ gratuita Populo præbebant, & alia quæ conducebãtur sua quisque balnea domi ferè habebat, præsertim nobiles Ciues ad priuatos vsus. De modo ædificandi Vitruuius lib. 5. cap. 10. & apud illum interpretes. Hic autem de Thermis Principum solum est sermo.

B

Thermæ Agrippæ.

Fuere in finibus Campi Martij Thermæ Agrippæ, quas excitauit Agrippa propè Pantheon Dio l. 53. *Agrippa Vaporarium Laconicum fecit: Laconicum autem vocatur id genus Balnei, quoniam hic tum nudari corpora, tum inungi oleo præcipue videbantur.* Et infra: *Moriens Agrippa Populo hortos & balneum à se denominatum legauit, vt gratis lauarentur.* Ad ornatus Thermarum præter statuas, de quibus idem Dio, pertinent etiam picturæ, de quibus Plin. l. 35. c. 4. *In Thermarum quoq; calidissima parte marmoribus incluserat Agrippa paruas tabellas, paulo ante eum reficerentur sublatas.* Idem lib. 36. cap. 25. *Agrippa in Thermis quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit, in reliquis altaria adornauit: non dubiè vitreas facturus cameras, si prius inuentum id fuisset.*

C

Therma Neronis, seu Alexãdri.

Nero suas etiam in Campo extruxit eximij operis, Martial. lib. 7. epigr. 33.

——— Quid Nerone peius?
Quid Thermis melius Neronianis?

Statius lib. 1. Syluar. laudans Balneum Etrusci.

——— (Fas componere magnis
Parua) Neronea nec qui modo lotus in vnda
Hic iterum sudare neget.

Euseb. in Chronic. inquit: *Hæ nono Imperij anno ædificatæ à Nerone, quas Neronianas appellauit.* Sed P. Victor inquit: *Thermæ Neronianæ postea Alexandrinæ dictæ.* Et Cassiodor. in Chronic. *Thermæ à Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellauit; cuius odio mutato vocabulo, nunc Alexandrinæ nominantur.* Et Lampridius in vita Alexandri, inquit: *Opera veterum Principum instaurauit, ipse noua multa instituit. In his Thermas nominis sui iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur. Nemus Thermis suis de priuatis ædibus suis, quas emerat, dirutis ædificijs fecit.* Dicendus ergo Alexander veterum operum instaurator, atque ornasse Neronis Thermas: illiusque nomen Thermas desumpsisse; quoniam semper in nouos principes prona adulatio est: cum præsertim ille Neronianis circumcirca lucos & sylvas addiderit: neque his tantum, sed etiam alijs lumina adiecerit, vt nocte etiam vsui essent, vt inquit Lampridius: *Artium vectigal pulcherrimum instituit. Ex eoque iussit Thermas, & quas ipse fundauerat, & superiores populi vsibus exhiberi: sylvas etiam in Thermis publicis deputauit. Addidit*

D

A *didit & oleum luminibus Thermarum, cum antea non ante auroram paterent, & ante solis occasum clauderentur.* Sed Tacitus Cæsar auctore Vopisco: *Denuo Thermas omnes ante lucernam claudi iussit, ne quid per noctem seditionis oriretur.* Apparent harum vestigia propè templum S. Ludouici nationis Gallicanæ in ædibus Mediceis ad Circum eiusdem Alexandri, hodie Nauonium.

Erant Thermæ Domitianæ, seu Traianæ, sed in Palatio, de quibus Plutarch. in Poplic. his verbis: *Si in Domitiani domo videant Porticum, vel Basilicam, vel Balneum, &c.* Verum Ecclesiasticæ historiæ de sancto Syluestro tradunt: *Eum Ecclesiam fecisse & constituisse iuxta Thermas Traianas alias aiunt Domitianas.* Rursus de eodem: *Titulum suum constituisse iuxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Traianæ.* Rursus: *Concilium celebrasse iuxta Thermas Domitianas.* Titulus autem ille Equitij dictus est, quo ædes sancti Martini in Montibus hodie insignitur, certisque vestigijs sancti Pontificis memoriam designat, & in Templum conditum iuxta Thermas Traiani, ex Anastasio. *Domitiana seu Traiana.*

B Thermæ Antonianæ sunt omnium, quæ Romæ essent nobilissimæ in Regione decima Piscinæ publicæ, inter Auentinum, & Cœlium. Spartianus in Seuero inquit: *Vixit diu in odio Populi Antoninus, quamuis & vestimenta Populo dederit, vnde Caracallus est dictus, & Thermas magnificentissimas fecerit.* Et idem Spartianus in vita Antonini Caracallæ inquit: *Thermas nominis sui eximias, quarum cellam solearem Architecti negant posse vlla imitatione, qua facta est, fieri. Nam & ex ære, vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est, & tantum est spatij, vt id ipsum fieri negent potuisse docti Mechanici. Idem viam nouam muniuit, quæ est sub eius Thermis, Antonianis scilicet, qua pulchrius inter Romanas plateas non facile quicquam inuenias.* Refert de prædictis Thermis Olympiodorus: *Habebant in vsum lauantium sellas mille sexcentas è polito marmore factas.* Has postea ornatas ab Heliogabalo, etiam Alexander, quod refert Lampridius perfecit & ornauit. Earum Ichnographiam ex his, quæ supersunt parietinis per- *Antoniana.*

C uestigatam Serlius Architectus descripsit: asseruitque symmetria partiumque dimensionibus esse omnium, quæ extant pulcherrimas. Vbi sanè multo maior inspicitur ambitus, quam stantes reliquiæ demonstrant.

In Viminali Thermas Diocletianas omnium maximè integras religio seruauit, vt verterentur in templum, quod præter cæteros piè, eruditeque obseruauit Card. Baron. tom. 2. Annal. 298. Diocletiani 15. Nam Diocletianus hostis Christiani nominis infestissimus aliquot militum Christianorum millia, quos cum ignominia exautorauerat, mancipiorum instar ædificationi destinauit: perfectoque ædificio trucidari iussit, quorum corpora in templo ad Aquas Saluias condita sunt. Superfuit ergo post tot sæcula illa moles, vt demum Pio Quarto Pont. Max. Virgini Angelorum Dominæ consecraretur; iam ante tanto Sanctorum sudore, ac sanguine consecrata. Verum illa quamuis hodie magna, quantula pars Thermarum fuit? Fuerunt ibi in vsum lauantium solia, sellæque plusquam tria millia, altissimi fornices, camerationes, hemisphæria, testudines, porticus, latissimæ areæ subdiales: *Diocletiana.*

D allaque admirabilia, quæ in earum ichnographia proponuntur: & nunc hortos, horrea publica, duo Cœnobia Carthusiensium, & Cistercien sium strictioris disciplinæ, item vineta, plateas amplissimas capiunt.

Erant præterea hic Romæ aliæ Thermæ insignes, & spatiosæ nempè Adriani, Philippi, Heliogabali, Aureliani & Taciti Imperatorum, de quibus latè scriptores retulere. Præter Balnea publica, & priuata erant quoque Piscinæ publicæ priuatæque in domibus ad natandum. Quarum vna dedit nomen Regioni.

Recensebantur Thermæ, seu Balnea inter publica ædificia, quæ ex publico ærario ad ornatum Ciuitatum construebantur. Plinius Iunior. ep. 25. lib. 10.

lib.10 *Prusienses, Domine, balneum habent, & sordidum, & vetus; id itaque* A
indulgentia tua restituere desiderant. Et infra: *Deinde quam ipsi pecuniam erogare in oleum soliti parati, sunt in opus Balnei conferre, quod alioquin & dignitas Ciuitatis, & sæculi tui nitor expostulat*. Et idem epist.41. meminit Balnei Claudiopolitani, quod minus apto loco construeretur, sibique tanquam Prouinciæ Proconsuli Architectum mitti à Traiano postulat, vt de loco aptiori consulat.

Vsos etiam Principes ipsos fuisse huiusmodi Balneis: notum est, quod de Adriano Imp. refert Spartianus in eius vita: *Publice & frequenter cum omnibus lauit; nam cum quodam tempore veteranum quemdam notum sibi in militia, dorsum & cæteram partem corporis vidisset atterere; percunctans, cur se marmoribus distringendum daret? vbi audiuit hoc idcirco fieri, quod seruum non haberet; & seruis eum donauit, & sumptibus: verum alia die cum plures senes ad prouocandam liberalitatem Principis pariter & se attererent; euocari iussit, & alium ab alio defricari*.

Diuisio. Balnea habebant tres domos, siue cellas, ex Plinio Iun. lib.2. ad Gallum. B
Quarum superior aeris erat calidi, & Calidarium, siue Sudatorium, quod in eo sudorem sicco calore prouocabant, & Laconicum dicebant: Mediam ex aqua tepida Tepidarium appellabant; in qua labrum vbi considentes lauabantur, Tullius ad Terentiam suam sic scribit: *Labrum si in balneo non est; fac vt sit*. Cuius Labri, & Balnei hic apposui Iconem: infima ex aqua frigida, Frigidaria dicta. Galenus lib.3. de Sanit. tuenda addit quartam cellam, in qua loti vngerentur, & obid Vnctorium dicta; Et de ijs Cornelius Celsus lib.1. cap.4. Fuluius Vrsinus in Appendice ad Ciacconium de Triclinio fol. mihi 71.

Vsus eorum. Inseruiebant Balnea primo ad sanitatem, & lassitudinem tollendam. Et
præter Athenæum lib.1. cap.19. Plato Dialog.6. de Legibus: *Vbique autem in ijs Gymnasia iuuenes, tam sibi commoda, quam senibus præparent; calidis Balneis constitutis, & copiosè siccis appositis lignis, vt & remedium ægrotantibus, & lenimem labore defessis agricolis afferantur: quæ sanè curatio longe melior est, quam medici parum periti medela*. Et Plaut. in Mercat. *Numquam ædepol omnia Balnea mihi hanc lassitudinem adimerent*. Quamuis sobriè etiam sumenda; refert Athenæus lib.1. cap.15. & non immerito in antiquo lapide inciſum à vetere Poeta. C

Balnea, vina, Venus conseruant corpora nostra:
Corrumpunt vitam Balnea, Vina, Venus.

Secundo inseruiebant Balnea ad abstergendum sudorem: hinc Magnum Alexandrum ex pugna lassum illico ad Balneum Darij iam fugati perrexisse, sic scribit Plutarchus: *Confestim armis exutis ad Balneum processit, dicens eamus ad abluendum Darij Balneo ex pugna sudorem*.

Tertio voluptatis quoq; causa multi vtebantur Balneis, quos voluptuarios irridet Plutarch. de Curand. Valet. *Alij Gulæ, & delitiarum causa proijciunt se ipsos in Balnea, festinantque ad escas*. Ac in ijsdem Balneis partem diei insumebant, carmina, & historias recitando, & audiendo. Iuuenalis Satyra 7. D


Vt legat historias, auctores nouerit omnes,
Tamquam vngues, digitosque suos vt forte rogatus,
Dum petit aut thermas, Phœbi balnea dicat,
Nutricem Anchisæ, &c.

Ante cœnam. Veteres lotione cœnam præueniebant, Apuleius 4. Metamorph. vbi anula quosdam ficarios, mensa iam instructa, sic alloquitur: *At vobis fortissimi, fidelissimique mei hospitatores Iuuenes, affatim cuncta suaui sapore percocta pulmenta præsto sunt: panis numerosus, vinum probe calcibus effricatis affluenter immissum, & ex more calida tumultuario lauacro vestro præparata*. Et statim

ingres-

A ingressum eorum, qui cœnaturi erant in balneum sic prosequitur: *In fine sermonis huius, statim sese deuestiunt, nudatique, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo perunctì mensas dapibus largiter instructas accumbunt*. Quotidie enim lauabant ante cœnam hora octaua, Martialis l. 4. epigr. 8. quæ res pondet horæ vigesimæ Italicæ in æstate, & vigesimæ primæ in hieme.

Fuere aliqui, qui Balneis vtebantur non solum ante cibum, verum etiam postquam comedissent, vt digererent cibum, quem comederant. Hos damnat Persius satyr. 2.





cum discipulis, vt duplici cœnæ duplex responderet pedum ablutio: consumpto iam Agno in priori cœna; cum posterior cœna inchoanda, & aqua pedibus porrigenda fuisset à Ministris, Christus R. N. *Surgit à Cœna* Ioan. 13. nimirum à priori cœna, *Præcinxit se linteo, & lauit pedes discipulorum*. Hoc autem mysticè factum, vt doceret Christus, quanta cum puritate, & animi candore accedere debeamus ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Consueuere veteres exercitijs, & corporis agitatione sudorem excitare. *Post exercitia.* Clemens Alexand. lib. 3. pædag. cap. 10. *E viris autem alij quidem nudi luctantur,*

lib. 10 *Pruſtenſes, Domine, balneum habent, & ſordidum, & vetus; id itaque* A *indulgentia tua reſtituere deſiderant.* Et infra: *Deinde quam ipſi pecuniam erogare in oleum ſoliti parati, ſunt in opus Balnei conferre, quod alioquin & dignitas Ciuitatis, & ſæculi tui nitor expoſtulat.* Et idem epiſt. 41. meminit Balnei Claudiopolitani, quod minus apto loco conſtrueretur, ſibique tanquam Prouinciæ Proconſuli Architectum mitti à Traiano poſtulat, vt de loco aptiori conſulat.

Vſos etiam Principes ipſos fuiſſe huiuſmodi Balneis: notum eſt, quod de Adriano Imp. refert Spartianus in eius vita: *Publice & frequenter cum omnibus lauit; nam cum quodam tempore veteranum quemdam notum ſibi in militia dorſum & cæteram partem corporis vidiſſet atter[illegible]*

Dum petit aut thermas, Phœbi balnea dicat,
Nutricem Anchiſæ, &c.

Ante cœnam. Veteres lotione cœnam præueniebant, Apuleius 4. Metamorph. vbi anula quoſdam ſicarios, menſa iam inſtructa, ſic alloquitur: *At vobis fortiſſimi, fideliſſimique mei hoſpitatores Iuuenes, affatim cuncta ſuaui ſapore percocta pulmenta præſto ſunt: panis numeroſus, vinum probe calcibus effricatis affluenter immiſſum, & ex more calida tumultuario lauacro veſtro præparata.* Et ſtatim ingreſ-

A ingreſſum eorum, qui cœnaturi erant in balneum ſic proſequitur: *In fine ſermonis huius, ſtatim ſeſe deueſtiunt, nudatique, & flammæ largiſſimæ vapore recreati, calidaque perfuſi, & oleo peruncti menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.* Quotidie enim lauabant ante cœnam hora octaua, Martialis l. 4. epigr. 8. quæ res pondet horæ vigeſimæ Italicæ in æſtate, & vigeſimæ primæ in hieme.

Fuere aliqui, qui Balneis vtebantur non ſolum ante cibum, verum etiam poſtquam comediſſent, vt digererent cibum, quem comederant. Hos damnat Perſius ſatyr. 3.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lauatur:
Gutture ſulphureas latè exhalante Mephites.

Horatius quoque epiſt. 6.

Crudi, tumidique lauemur.

Crudi dixit pro non digeſto, vel inconcocto cibo; vt propterea balneum repeterent capti voluptate eſcarum, & conuiuia iterum ſumerent.

B Clemens Alexandrinus indicans, quomodo Balneis vti debeant, maximè Chriſtiani lib. 3. pædag. cap. 9. inquit: *Balnei quatuor ſunt cauſæ, per quas ad ipſum accedimus, vel enim cauſa munditiei, vel caloris, vel ſanitatis, vel poſtremo voluptatis: ſe ergo voluptatis cauſa lauare reijciendum eſt; ſumendum eſt lauacrum mulieribus quidem mundationis cauſa, & ſanitatis; ſolius autem ſanitatis viris.*

Quam ob rem aliquando Chriſtum in terris domeſtica Balnea quoque frequentaſſe legimus: reprehenditur enim ab ipſo Chriſto Phariſæus, Luc. 7. *Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti.* Et alias cum ipſe Chriſtus illotus aliquando accubuiſſet, ſcandalo fuit Phariſæo, qui illum inuitauerat, vt dicitur Luc. 11. *Rogauit illum quidam Phariſæus, vt pranderet apud ſe, & ingreſſus recubuit; Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium?* Et erat hic ſermo de ablutione totius corporis, cuius tunc erat conſuetudo, vt etiam in lib. 2. Reg. cap. 12. Sanctus C Rex Dauid depoſito mœrore ob mortem filij Berſabeæ, non prius menſam petere auſus eſt, quam de more ablueretur, vbi ſic legitur: *Surrexit ergo Dauid de terra, & lotus, vnctuſque eſt; petiuitque, vt ponerent ei panem, & comedit.* Et quamuis Chriſtus nequaquam frequens lauacrum petierit, quoties ſibi accũbendum fuiſſet, vt de corrupto Regionis, & ſæculi more ſic refertur Marc. 7. *Phariſæi enim, & omnes Iudæi niſi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum & à foro niſi baptizentur non comedunt.* Negari tamen non poteſt, aliquando eum animarum lucrandarum cauſa Balnea petijſſe, *Vt omnia omnibus factus, omnes lucrifaceret.* Et propterea Balneorum voluptuarium vſum redarguerit; neceſſarium vel ſanitatis, vel munditiei cauſa tantum permiſerit.

Chriſtus ijs vſus.

Hinc aduertendum, quod Hebræi duplici cœna ſacrum Paſchatis feſtum celebrare conſueuerunt; in priori enim cœna Agnum manducabant: poſteriorem autem cœnam inſtituebant, vt Azyma ex Moſaycæ legis inſtitutis inchoarent: quam ob rem cum de more Balneo, & pedum ablu- D tione illi cœnam præuenire ſolerent; ita Chriſtus in vltimo accubitu cum diſcipulis, vt duplici cœnæ duplex reſponderet pedum ablutio: conſumpto iam Agno in priori cœna; cum poſterior cœna inchoanda, & aqua pedibus porrigenda fuiſſet à Miniſtris, Chriſtus R. N. *Surgit à Cœna* Ioan. 13. nimirum à priori cœna, *Præcinxit ſe linteo, & lauit pedes diſcipulorum.* Hoc autem myſticè factum, vt doceret Chriſtus, quanta cum puritate, & animi candore accedere debeamus ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

Conſueuere veteres exercitijs, & corporis agitatione ſudorem excitare. Clemens Alexand. lib. 3. pædag. cap. 10. *E viris autem alij quidem nudi luctantur,*

Poſt exercitia.

stantur, alij vero paruo quoque globo ludunt, qui Phenis dicitur, maximè in Sole A
Et paulo post: *Est enim honestior, & virilior, quæ cum decoro robore fit hoc modo exercitatio, quæ vtilis, & conducibilis sanitatis gratia assumitur.* Vnde exercitationis causa, sudandique gratia Balnea instituta fuere. Cornelius Celsus lib. 1. cap. 2. *Exercitationem optimè sequitur modo vnctio, modo balneum.* Quia non solum Balneo sudorem compescebant, vt vidimus supra de Alexandro Magno, sed etiam Oleo. Seneca teste in præfat. lib. 1. Controuers. *Nulla vnquam illi cura vocis exercendæ fuit, illum fortem agrestem.* Et paulo post: *Non sudorem olei vnctione discutere, non latus ambulatione reparare.* Ad hoc semper in Balneis destinata erant oleum, & vnguenta. Sidonius lib. 2. epist 2. de Balneo ait: *Hic aquarum surgit Cella coctilium, quæ vnguentariæ spatij parilitate conquadrat.* Ac etiam de Vnguentis ad perfectam Balnei rationem, Leontij epigr. in florilegio epigr. lib. 4. n. 32.

De vnctione.

Aedificauit me communi in vestibulo lauacri
Ciuis vir, virtutis causa, non contentionis.
Illud curæ sit multis, ego vero pauciſque, & amicis B
Exhibeo Lauacra, & Vnguentum, & gratias.

Lubet hic referre de Vnguento illo allato à Magdalena ad vngendum Christum; sicuti refert Matth. cap. 26. *Accessit ad eum mulier habens Alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput eius recumbentis.* Quod tale Alabastrũ non aliter sit lapis; sed iuxta opinionem Epiphanij in lib. de Mensuris, dum inquit: *Alabastrum vnguenti vasculum est vitreum, capiens libram olei, alabastrum vero dictum propter fragilitatem.* Altera difficultas est de vnguẽto Nardi Pistici. De quo Io. cap. 12. *Maria ergo accepit libram vnguenti Nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti.* Quod verbum Pistici intelligatur de vnguento Nardi non adulterati, vitiati; sed puri ac fidelis: ita Ianſenius, Ribera, Toletus, Baronius & alij: at vero Cornelius à Lapide in eum locum credidit Nardum Pisticum idem esse, ac Nardum spicatum: hoc est vt tale Nardi vnguentum processerit ex spica, non autem ex folio eiusdem, quod minus est C
pretiosum & vilius.

Præterea etiam certatores, & luctatores, nisi vncti in arenam non descendebant, Virg. 3. Aeneid.

Exercent patrias oleo labente palæstras Nudati socij.

Et 5. Aeneid.

Cætera populea velatur fronde iuuentus,
Nudatosque humeros oleo perfusa niteſcit.

Etiam mos fuit vngendi post varias corporis agitationes; sicuti Lampridius de Alexandro Seuero inquit: *Post lectionem, operam palæstræ, aut Sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat: atq; inde vnctus lauabatur.* Vngendi autem officio fungebantur in Balneis serui, qui ab eo Vnctores dicti sunt. Senec. lib. 7. epist. *Supra ipsum balneum habito; cum in aliquem plebeia vnctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris.*

Vnctores Gutto vtebantur; vt inquit Varro, oleum lauantibus se in Balneo, guttatim fundebant. Iuuen. Satyr. 3. D


Pleno componit lintea Gutto.

Et ad hoc in vsu erant Ampullæ, Apuleius lib. 2. floridorum inquit: *Strigilem, & ampullam, cæteraque Balnei vtensilia nundinis mercari.* Nam Rhinocerote potentiores tantum vtebantur. Iuuenalis.

Magno cum Rhinocerote lauari
Qui solet.

Vte-

A



Vtebantur etiam in Balneis tum ad fricandum corpus, sudoremque eliciendum, tum ad abstergendas sordes ænea strigili, cuiusmodi multæ reperiuntur in antiquis ruderibus Thermarum, cuius Iconem hic delineandam curauimus, sicuti etiam supra apposuimus aliam figuram Pueri cum strigili, & Gutto præ manibus, vnde Persius satyr. 1. *De strigili.*

B

I Puer, & strigiles Crispini ad Balnea defer.

Et Iuuenalis satyr. 3.

Et sonat vnctis strigilibus.

Nam vncti oleo strigilibus radebantur sudantes; deinde linteis ad id paratis tergebantur. Plinius lib. 28. cap. 4. solum quoque remediorum maximum ab ipso sibi præstari potest, sicut linteorum, strigilumque vehementia. Martialis lib. 14. 51.

Pergamus, has misit curuo distringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Distringere eleganter est sudorem strigilibus siccare & detergere apud Senecam epist. 123. *Vt sudorem, quem mouerunt potionibus crebris, & feruentibus, subinde distringat.*

C

Offendebantur aliquando corpora nimio Strigilis vsu, vt scribit Sueton. in Augusto c. 80. *Cum nimio strigilis vsu cutem læsisse.* Delicatiores homines, & eos præcipuè, qui mala erant valetudine; spongijs, & linteis interdum vti solitos fuisse, tradit Plinius lib. 31. cap. vlt. ibi: *Præstant & strigilum vicem, linteorumque affectis corporibus.*

Non prætermittam hic recensere formam strigilis, ac etiam Gutti, seu ampullæ ad effundendum oleum in Balneis: hæc graphicè delineata ab Apuleio lib. 2. florid. dicente: *Magno in cœtu prædicauit fabricatam sibi semet ampullam quoque oleariam, quam gestabat lenticulari forma, teretis ambitu, pressula rotunditate, iuxtaque honestam strigiculam recta fastigiatione clausula, flexa tabulatione ligula, vt & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea riuulo laberetur.* Et de puero inferiente in Balneis Domino cum strigili, & Gutto apposui Iconem.

Locus vero in Balneis in quo vngebatur, Vnctorium vocabatur. Plinius Iun. lib. 2. epist. ad Gallum ait: *Adiacet Vnctorium.* De varijs vnguentorum

D

generibus in Balneis, & huiusmodi materiam latè Fuluius Vrsinus in Appendice ad Ciacconium de Triclinio, ac etiam Guillelmus Choul in tractatu de Balneis.

Qui Balneis præerant, Balneatores dicebantur, vt in marmore antiquo: *Anteros Balneator*, Capitolinus in Claudio secundo: *Balneatorum vnum, & ad Balnea, &c.* Hi quadrantem exigebant ab ijs, qui lauabantur, Iuuenalis, Satyr. 2.

Nec pueri credunt nisi qui nondum ære lauantur.

Et Horatius lib. 1. serm. Satyr. 3.

Dum te Quadrante lauatum Rex ibis.

De separatione. Balnea olim erant Mixta, in quibus lauabantur viri, & mulieres: Adrianus autem Imperator in primis viros à mulieribus discretos lauari edixit, vt scribit Spartianus in Adriano, ibi: *Lauacra prò senibus separauit*. Et Capitolinus in M. Aurelio: *Lauacra mixta submouit*. Et Lampridius in Alex. Seuero ait: *Balnea mixta Romæ exhiberi prohibuit*. Vitruuius lib. 5. cap. 10. apertè ostendit Balnea virorum disiuncta à Balneis mulierum fuisse; ita tamen vt in ijsdem regionibus collocata essent, sic ait: *Vti Caldaria muliebria, viriliaque coniuncta, & in ijsdem Regionibus sint collocata; sic enim efficietur vti vasariæ ex hypocausto communis sit eorum vtrisque*. A

Lampridius in Alexandro scribit Eunuchos Balneis fœminarum ab Alexandro præpositos fuisse.

De tempore. Tempus autem, quo Balnea paterent, indicant Lampridius in Alexandro cum ait: *Addidit, & oleum Luminibus thermarum, cum non ante Auroram paterent, & ante Solis Occasum clauderentur*. Vopiscus in Tacito: *Thermas omnes ante lucernam claudi iussit*.

Lauationi tamen hora eadem erat assignata, quæ exercitationi, & hanc fuisse octauam in nonam ex Martial. lib. 4. epigr. ad Euphemum. B

Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris.

Nam exercitationes, & Palæstram statim consequebatur lauatio; Cicero lib. 13. epist. ad Atticum dicit: *Post horam octauam in Balneum*. Itaque Spartianus in Adriano inquit: *Ante octauam horam in publico neminem nisi ægrotum lauari passus est*. Plinius Iunior. lib. 3. ep. 1. *Vbi hora Balnei nuntiata est: est autem hieme nona, æstate octaua*. Ipsa autem lauandi hora indicabatur sonitu Tintinnabuli, ex Martial. lib. 14.

Redde pilam, sonat æs Thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Plinius dicta ep. 1. lib. 3. *Vbi hora Balnei nuntiata est: lotus accumbat, & paulisper cibum differat*. Nam data lauationi opera, & loto vnctoque corpore, vt ex figura apposita inferius cœnas inibant. Cicero epist. ad Atticum: *Post horam octauam in Balneum; & vnctus accumbit*. Et Apuleius lib. 4. de Asino inquit: *In fine sermonis huius statim sese deuestiunt, calidaque perfusi, & oleo perunctì; mensas dapibus largiter instructas accumbunt*. C

Tandem vbi Balnea exiuissent, soleas, & soccos accipere consueuerant, vt à soli contactu, & sordibus pedes à Balneo nudos contegerent, atque defenderent: hinc Martialis lib. 12. epigr. 84.

Et si iam lotus, iam soleatus erit.

Verum ingressi cœnaculum ne stragula, atque strata luto fœdarent, antequam recumberent, deponebant soleas ministerio seruorum, & puerorum: Plautus in Truculento; *Iam redijt animus, deme soleas, cedo vinum*. Et Plutarch. lib. 7. Sympos. quæst. 8. *Vt ne à puerulis quidem, qui Dominis modestis calceos portant, spectari ea deceat*. Vt videre est in figura hic apposita, ex lapide in viridario Card. Montalti ad montem Exquilium.

pag. 320. Cap. 18.



D

Non

A Non reticebo quod circa varia loca, & Cellas, quæ in Balneis reperiebantur, latè, & eruditè scripsit Guillelmus Choul in tractatu de Balneis, ad quem reijcio lectorem.

Talia & tam exactè prisci Romani, & aliæ Ethnicæ gẽtes seruare consueuerant circa corporum ablutiones in balneis. Per sanguinem autem Christi expiatione deinde facta in terris, diminutæ plurimum fuere huiusmodi ablutiones apud Christianos; quoniam innatus fœtor in corporibus hominum per Baptismũ pulsus recessit, vt apud Card. Baron. an. 1148. ad fin, ac etiam per Spond. in Epitom. anno 1145. num. 4. & 5. Referunt namque de quibusdam gentibus in confinio Armeniæ, quæ fœtus suos fætentes generarent; vbi autem baptismatis vnda tincti essent, innatum fætorem amitterent. Verum Constantinopolitanus Patriarcha noluit eos ad baptismum recipere, cum audisset baptismum quem illi Infideles à Christianis petebant, non bona affectione, & orthodoxo proposito petijsse, sed propter corporalem munditiam; sicque non ad animæ sordes abluendas & sanctificationem consequendam baptismum postularent, sed tanquam veneficium, & incantamentum. *Balnea quomodo diminuta.*

B

Ex hoc etiam Agareni baptizabãtur, cupiẽtes hoc modo liberari à fætore, quo malè olebant, vt testatur Balsamon in Can. 19. Concilij Sardicensis ibi: *Propter sancti vnguenti honorem, eos, qui ex longa consuetudine baptizantur Agarenos, ne male oleant.* Et in Canonem 85. Sextæ Synodus in Trullo: *Persuasum est Agarenis fore, vt sui liberi à Dæmone vexentur, & tanquam canes malè oleant, nisi baptismum Christianum assequantur.* Vt quoque corpora Iudæorum fœteant, & per sanctum baptisma liberentur; refert Fortunatus l. 5. Carminum, de Iudæis baptizatis à S. Auito anno Domini 579. ibi.

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.
Vincens ambrosios suaui spiramine rores,
Vertice perfuso chrismatis efflat odor.

De Iudæorum fætore refert etiam Ammianus Marcell. l. 2. histor. *Cum Marcus Imp. Palæstinam pertransiret, Aegyptum petens fætentium Iudæorum tædio*

C *percitus, &c.*

Quod non corporum tantum munditia, verum & animæ nobis per ablutionem balneorum proponatur; hoc idem intellexerunt Ethnicæ gentes, dum illæ nisi præcedentibus balneis ad sacrificandum eorum Dijs non accedebant, neque eorum idola tangebant. Virg. 2. Aeneid. ibi.

——— *Patriosque Penates*
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Hinc apud Liuium lib. 1. Antistes Romanus Sabinum Dianæ bouem immolare paratum ita alloquitur: *Quid tam tu hostes paras incestè Dianæ facere? Quin tu ante viuo perfunderis flumine?* Ac etiam narrat Euseb. lib. 8. Eccleſiast. hist. cap. 19. de Galerio Maximiano mandante vt omnes cuiusque conditionis ante ciborum emptionem Dijs sacrificarent; & hæc postquam in balnea prius descendissent. Hunc honorem idolis suis deferebant Gentiles, vt antequam eis immolarent, se abluerent. Obiter hoc tetigisse sufficiat, vt discamus etiam ab Ethnicis nos Christiani, qua puritate deceat nos ablutis prius omnibus animæ sordibus diuinæ mensæ accumbere. Et in hoc eodem argumento lubet etiam referre ex Auctore libelli de Ordinibus Militaribus, his verbis: *EQVITES A BALNEO, in Anglia sunt instituti non contemnenda ceremonia: pridie enim quam initiarentur post diuinum Officium sub noctem secedebant in cubiculum, vbi lectus erat statutus, & labrum balnearium velis opertum in hoc abluebantur, vt hoc symbolo discerent munditiam animi & corporis studiosissimè sectari. Mane votis nuncupatis, quibus se Deo & Regi obstringebant ad defensionem Religionis & Imperij, lato & insigni pallio holoserico* *Considerat.*

D

coloris

coloris hyacinthini induebantur, gladiosque Deo consecratos ara imponebant. A
Hæc ille auctor.

Quoniam consuetum fuit apud Romanos expletis Balneis ad cœnam transire: propterea de Triclinijs & Conuiuijs nos in capitulo sequenti dicemus.

De Conuiuijs, & Triclinijs. Cap. XIX.

Triclinium quid sit?

TRiclinium, Conclaue, Cœnaculum erat locus, in quo discumbebant & cœnabant, à tribus lectis, quos in eo sternebant, nomen habens. Hinc Horatius lib. 1. satyr. 4.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

In ijs cœnaculis Romani veteres sedentes cœnare soliti erant, Virgilius 8. B
Aeneid.

Perpetuis solîti Patres considere mensis.

Vbi Seruius mensis, idest longis ad ordinem exæquatis sedentium; maiores enim nostri sedentes epulabantur, & apud Græcos teste Homero in Odyss.

——— *Hieme*
Ante focos olim scamnis considere longis,
Mos erat.

Postquam autem, vt inquit Varro lib. de vita Populi Romani, non iam sedentes, sed accubantes omnes cœnabant (imitantes in hoc forsan Persas, qui iam ante consueuerant accumbere in cœna, & legitur in libro Estheris cap. 1. de Conuiuio Assueri, & in lib. Tobiæ cap. 2. & 7.) lectos non dissimiles illis quibus dormiebant, facere cœperunt, quos Triclinares appellabant. Cic. orat. 4. in Verrem. *Iam non quæro, vnde tantam Melitensem vestem habueris, vnde quinquaginta Tricliniorum lectos?* Et hæc Triclinia pre- C
tiosa erant, Plinius lib. 16. cap. 43. *Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci iubent, sic cedrum pretiosius fieri, sic acer decipi: modo luxuria vero fuerat contenta ligno, iam lignum etiam è testudine facit.* Vt latè Petrus Ciacconius de Triclinio, fol. mihi 2. & Fuluius Vrsinus in eiusdem Appendic. f. 123. & sequen. & Bulingerus de Conuiuijs lib. 1. cap. 30. & 31.

Lecti Principum altiores.

Lecti autem magnorum Virorum, Illustriorumque personarum altiores erant, Virgil. 2. Aeneid.

Inde toro Pater Aeneas sic orsus ab alto.

Itaque ad eos gradibus ascendebant. Ciacconius vbi supra fol. mihi 8:

Stragulis inijciebantur puluini Triclinares; & in marmoribus antiquis videmus accumbentes Puluinis cubito innixos, Martial. lib. 3.

Cubitis trudit hinc, & inde conuiuas,
Effultus ostro, sericisque puluinis.

Loti cœnabant.

Iam strato Triclinio Conuiuæ loti cœnatum veniebant, aut apud ipsum Conuiuij Dominum lauabant, Plautus in Stico. *Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum. Ep. Abi intro ad me, & laua.* Et apud eundem Plautum D
in Persa conuiuæ aduenienti quidam ait: *Locus hic tuus est, hic accumbe, ferte aquam pedibus: præbe tu puer?*

Vestis mutatio?

Vestem deinde mutabant Cœnatoriam, siue Conuiualem, sumebãt etiam ij, qui luctus causa atrati erant. Petronius Arbiter: *Cœnatorias repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti erant, soleas demebant, cum accumbere vellent.* Cicero in Vatinium: *Atque illud etiam ex te scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, vt in Epulo Q. Arri familiaris mei cum toga pulla accumberes?* Et inferius: *Cedo quis vnquam cœnauit atratus?*

ita

A *ita enim illud Epulum est funebre, vt munus sit funeris, Epulæ quidem ipse dignitatis.*

Mos ille vetus fuit Romæ, vt domi haberent vestes ad cœnam, & si foris cœnarent, acciperent ab amicis, aut ipsi adferrent: Capitolinus in Vita Maximini: *Cum ad cœnam ab Alexandro esset vocatus, in Patris honorem, quod ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit.* Pallium ad eiusdem vestis formam Martial. sic appellat, vbi de se cum vxore accumbente.

Ad mensam venies, sed sic diuisa recumbes,
Vt non tangantur pallia nostra tuis.

Et Petronius de Trimalcione cœnante. *Pallio Coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste ceruices laticlauiam immiserat mappam.* Et quod pretiosior ea vestis, & è purpura sæpe, coccinaue lautiorum hominum, idem Petronius: *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donauerat cliens quidam, Tyria sine dubio, sed iam semellota.*

Sumpta Cœnatoria iam discumbitur, & ne pretiosam vestem stragulam lutulentis, aut sordidis calceis inquinarent, soleas deponebant, Plautus in Truculento.

B *Iam redijt animus, deme soleas, cedo vinum.*

Postquam se in lectis ordine collocauerãt, manus lauabant, Virg. 1 Aeneid. *Manus lauabãt*

Iam Pater Aeneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt, stratoque super discumbitur Ostro.
Dant manibus famuli lymphas.

Et Plautus in Persa: *Date aquam manibus, apponite mensam.* Et Romani aliquando post singulos missus lauarunt. Lampridius in Heliogabalo: *Exhibuit aliquando tale Conuiuium, vt haberet viginti, & duo fercula ingentium epularum, & per singula manus, quasi iam comedissent, lauarunt.* Et idem in eodem Principe: *Parasitis in secunda mensa sæpe cereum cænam, sæpe ligneam, sæpè eburneam exhibuit: cum tantum biberent per singula fercula, & manus quasi comedissent lauarunt.* Nec surgebant conuiuæ è lecto propter hanc lotionem

C sed auertebant à mensa, Sidonius lib. 1. cum ad Cæsarem epularetur: *Retrorsusque conuersus, tanquam manibus aquam postularem, tantumque remoratus quantum stibadij circulum celerantia ministeria percurrunt, cubitum toro reddidi.* Refert etiam Lipsius in Saturnal. lib. 2.

Vnguenta deinde dabantur, quibus caput, & barbam vngerent. Mar- *Vnguenta dabantur.*
tialis lib. 3.

Vnguentum fateor bonum dedisti
Conuiuis Here, sed nihil scidisti.

Coronæ etiam dabantur ex ijs floribus, quos anni tempus subministrabat: *Coronæ.*
sed maximè Rosa alijsque, quæ ebrietatem prohiberent, & caput non grauarent: has quidem capiti, nonnulli collo, alij brachijs aptabant, vt in antiquis marmoribus videmus. Cicero Verrina 5. *Ipse autem coronam habebat, vnam in capite, alteram in collo.* Coronabant autem Pocula, non se ipsos, nisi in priuata cœna essent, quia ebriorum fuit se ipsos coronare. Plautus in

D Amphitr. *Capiam coronam mihi in caput, assimilabo me esse ebrium.* Propert.

Cum tua propendent dimissæ in pocula serta.

Virgilius.

Et vina Coronant,
Pateramque Corona induit.

Theocritus: *Cinge poculum purpureo ouis flore:* Festus, antiquissimum genus fuit coronarum lanearum, & de ijs vide Bulgerum de Conuiuijs l. 3. c. 24.

De numero Conuiuarum à Varrone apud A. Gellium lib. 13. cap. 11. ita *Numerus conuiuarum.*
definitur: *Vt non pauciores sint, quam tres, nec plures, quam nouem: vt numerum Gratiarum æquent, aut Musarum.* Atque ideo in pleno Conuiuio plerumq; terni in lectis, nonnumquam & quaterni accumbentes. Horat. l. 1. sat. 4.

Sæpe

Sæpè tribus lectis videas cœnare Quaternos. A

Et aliquando etiam Quini, vt apud Ciacconium dicto tractatu fol. mihi 28. Quamuis apud Suetonium in Augusto cœna fuit, in qua duodecim Conuiuæ, duodecim Deorum nomine, & specie. Et apud Macrobium in Pontificiæ cœnæ descriptione in duobus Tricliniis decem conuiuæ nominantur.

Ordo discumbentium. Pro cuiusque autem dignitatis fastigio discumbebant in lectis ordine seruato, vt ex Plutarcho de Conuiualibus quæst. lib. 1. quæst. 3. Verum enim vero quod ipse ait, medij lecti vltimum locum digniorem fuisse apud Romanos, idque cum Consul conuiuio intererat, fortasse perpetuum fuit: cum vero Pontificales Cœnæ dabantur, aut ipsi Pontifices adhibebantur Conuiuijs, medij lecti primus locus præcipuus erat; vt apud Græcos liquet solitum fuisse, ex A. Gellio, de Pontificalibus libris, ibi: *Super hominem Dialem in Conuiuijs nisi Rex sacrificulus haud quisquam alius accumbit.* Et latè Ciacconius fol. mihi 23. & seq. & Bulengerus lib. 1. cap. 34.

Mulieres an, & quomodo discumberent? Quamuis soliti fuissent viri discumbere; mulieres tamen vt plurimum sedebant, quia turpis visus est in muliere accubitus, Val. Maximus lib. 2. cap. 1. B Bulengerus lib. 2. cap. 32. Nihilominus etiam mulieres fuisse aliquando solitas infra eos, hoc est in sinu eorum accumbere, qui eas amarent, siue sociam ducerent. Iuuenalis satyr. 2.

Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens
Cœna; sed in gremio iacuit noua nupta Mariti.

Ex Cicerone, Suetonio, & Liuio citatis à dicto Ciacconio fol. mihi 23. Atque auctore Plutarcho is locus vxoris, aut filiorum, aut alioquin carorum hominum inter honestas personas fuit. Plin. Iunior. lib. 4. epist. *Cœnabat Imperator Nerua cum paucis Veiento proximus, atque etiam in sinu recumbebat.* Sicuti etiam Amicos in sinu Amantis accubuisse apud A. Gellium l. 7. c. 12.

Proni cœnæ initio in ventrem decumbebant puluinis pectoribus appositis, quo vtraque manus ad vescendum esset liberior; procedente autem tempore in cubitum se reponebant, aut si loqui nollent, supini iacebant. Hinc Plutarchus l. 5. Symposiacon quæst. 6. Quærit cur cœnæ initio anguste & C postmodum laxius discumberent? eamque rationem reddit, quod scilicet principio in ventrem, postmodum vero laxius discumberent, quia supini. Hinc Horat. lib. 2. satyr. 4.

Languidus in cubitum iam se conuiua reponet.

Et hæc omnia in marmoribus expressa videmus.

Mensa quid sit? Mensa dicebatur, in qua ponebantur vasa tum Escaria, tum Vinaria, Martial. lib. 4. epigr.

Ad cœnam nuper Varus me forte vocauit,
Ornatus diues, paruula cœna fuit:
Auro non dapibus ornatur mensa. Ministri
Apponunt oculis plurima, parua Gulæ;
Tunc ego, non oculos sed ventrem pascere veni:
Aut appone dapes Vare, vel aufer opes,

Et Ouidius.

Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo. D

Ministri. Hinc apparet Pocula apponi solita in mensa, non autem à Ministris porrigi, Ciacconius dicto tractatu fol. mihi 38. Quamuis pueri scituli, & puellæ Conuiuijs ministrarent. Horat satyr. 8. lib. 2.

——— Vt omnes
Præcincti pueri rectè, comptique ministrent.

Homer. 4. Odyss. ait: *Proma, conda modesta, cibum apposuit, varia fercula ferens scisser, apposuit lances carnium variarum, &c. Apposuit illis varia pocula; ancilla autem manibus lauandis fudit aquam ex infundibulo, seu gutto aureo suppelui argentea.* Senec. ep. 96. *Aderit ministrorum turba linteis succincta,*

per

A *per quos signo dato ad inferendam cœnam, haud obstrepenter discurritur.* Ammianus lib. 26. *Tunica auro distincta, vt Regius minister.* Qui autem parum scitè ministrabant, aquam bibere cogebantur, Lucianus in Sacerdote, & Grono.: *Ministrorum alios in aquam incidere: hæc enim mulcta mali ministerij.*



Non defuere præterea in Conuiuijs Pocillatores, seu Pincernæ, qui vinum miscebant; talis apud Superos dicitur Ganymedes, quem ab Aquila raptum Ioui pocula ministrare fabulantur, & apud Homerum in Odyss. filius Menelai vina porrigebat: ingenui enim, & nobiles adolescentes in Græcia sic ministrabant in Conuiuijs, vt apud Iuuenal. satyr. 9. *Pocillatores.*

Puerum te,
Et Pulchrum, & dignum cyatho.

B Ac refert Bulengerus de Conuiuijs lib. 4. cap. 6. Eidemque puero Pincernæ in fine mensæ reliquias vini dare, religio erat, Athenæus lib. extremo: *Mos erat, vt cum surgerent à mensa, cumque libassent; vini reliquum puero illi darent, qui bibere ministrasset.* De quo ritu refert etiam Lipsius in fine Saturnalium: cuiusmodi puori Pincernæ, seu Pocillatoris dispositio demonstratur ex ænea veteri Pocillatoris Imaguncula, quam inter cætera mea Cimelia retineo, eamque hic delineari curaui; & habet is Pocillator Pateram dextera, & Phialam sinistra manu, quæ instar cornu est effigiata: siquidem de huiusmodi poculorum forma præter Icones hic effigiatas ex Musæo Illustrissimi & Eruditissimi D. Cassiani à Puteo, ac etiam ex meo, refert Athenæus lib. 11. pag. mihi 476. *Pocula.*

Priscos fama est atque primos homines Boum cornibus olim bibisse. Xenophon. lib. 7. expedit. *Mutuo se primo quidem salutarunt, deinde; vt Thracibus mos est, vini cornua*
C *protenderunt.* Et simile etiam refert Plutarchus de Ira.



D

Cælabantur etiam apud priscos aurea, & argentea pocula, & alia vasa, vt apud Statium lib. 1. Thebaid. & refert Bulengerus de Conuiuijs lib. 4. c. 14. Etenim veteres Romani potius ingenio, quam consilio varias vtensilibus etiam induxerunt figuras, vt neque in lautitijs ad festiuitatem ab obscenis tẽperatum fuerit; inde Iuuenalis Satyr. *Vitreo bibit ille Priapo.* Quam fœdissimam consuetudinem egregiè taxauit Plinius in Proœmio lib. 33. hist. nat. *In poculis libidines cælare iuuit, ac per obscenitatem bibere.*

Erant apud Romanos in Conuiuijs *Carptores*, qui cibum scindentes, car- *Carptores.*

penteſque præminiſtrarent, Italicè dicti *Trinciantes*. Apud Petronium, Trimalcio quaſi per delitias imperat, *Carpe*: & explicat interpres veteranus: *Vides illum, qui obſonium carpit? Carpus vocatur; itaque quotieſcunque dicit, Carpe, eodem verbo & vocat & imperat*. Sciſſores ijdem dicti, Petronius: *Proceſſit ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam ita geſticulatus lacerauit obſonium, vt putares Darium hydraule cantante pugnare*. Hinc Iuuenalis dixit eoſdem Cheironomontas, ibi: *Et Cheironomonta volanti cultello*. Seneca de vita Beata cap. 17. ait: *Et eſt aliquis ſcindendi obſonij magiſter*. A

Fuerunt quoque *Diribitores*: de quibus Apuleius lib. 11. *Diribitores pluſculi ſplendide amicti, fercula copioſa ſcitulè ſubminiſtrata*. Vtpote qui fercula puerorum manibus allata commodè diſponerent & collocarent, Italicè *Scalchi* nuncupati; quos etiam *Structores* nuncupabant. Iuuenalis: *Structorem interea, ne qua indignatio deſit; ſaltantem ſpectat*. Petronius: *Proprium, conueuientemque materiæ ſtructor impoſuerat cibum*: Athenæus lib. 4. Quem Romani ſtructorem, menſæ curatorem dicit.

Fuere quoque apud priſcos in Conuiuijs Prægustatores, qui Regios cibos, & potus prægustarent, ex Q. Curtio lib. 10. *Philippus, & Cottas potum Regis prægustare ſoliti*. Tacitus 12. Annal. *Inferre Epulas, & explorare ſolitus*. Et lib. 13. *Pocillatores Regum, poſtquam dederint phialam Principi, haurientes cyatho, ex eo in manum dexteram effuſa ſorbent*. Iam enim inde ab antiquis, primiſque ſæculis mos obtinuit, vt vina Regibus propinanda prægustarentur, quod multis allatis exemplis fusè probat Athenæus lib. 4. Sueton. in Claudio; quem morem reſpexiſſe videtur Iuuen. lib. 1. ſatyr. 6. B

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit, illa
Quæ peperit, timidus prægustet pocula Poppæ.

Inuitus adbibendum. Diſcumbentes ſe inter Conuiuas inuitabant ad bibendum. Ouidius 3. Faſtorum.

Sole tamen, vinoque calent, annoſque precantur
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Inuenies illic, qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per Calices facta Sibylla ſuos. C

Ita & ſimiliter in ijs vouebant Dijs, Plinius lib. 4. cap. 13. *L. Papyrius Imperator aduerſus Samnites dimicaturus votum fecit, ſi vicciſſet, Ioui pocillum vini*. Liuius lib. 10. *Vouerat Ioui Victori, ſi legiones hoſtium fudiſſet, pocillum mulſi priuſquam temetum biberet*.

Quoties bibebant? Quoties, & qualiter conſueuiſſent veteres bibere in menſa, refert Athenæus lib. 2. cap. 2. vbi Eubulus Bacchum fingit hæc loquentem.

Tria ego pocula tantum miſceo
Illis qui ſapiunt: vnum bonæ valetudinis,
Quod omnium primum bibunt: deinde alterum
Amoris & voluptatis: ſaporis tertium:
Hoc epoto, ij quos ſapientes dicimus
Seſe domum recipiunt: poſt ſi quartum additur,
Non eſt id amplius noſtrum, ſed proteruiæ:
Quintum clamoris alte vociferantibus: D
Sextum petulantis commeſſationis: ſeptimum
Maculatum ac fugillationum in oculis:
Apparitoris octauus: nonus iracundiæ:
Decimus furoris, quo proſternuntur qui bibunt.
Nam in exiguum vas multum ſi vinum funditur
Appotos ſupplantat facillimè.

Mortis collocutium. Dum etiam cum lætitia ſe ad bibendum inuitabant, intermiſcebant etiam mortis reminiſcentiam, vt apud Vibium Gallum in controuerſia Sen. 7. l. 9. his verbis: *Conuiuæ certè tui dicunt, Bibamus moriendum eſt*. Quem ritum

etiam

A etiam ſeruatum cum pueri miniſtri lumina menſæ inferrent ſoliti ſimilia dicere apud Ammianum lib. 16. his verbis: *Malignitate ſimili quidam Agens in rebus, ad cœnam itidem inuitatus; cum inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex vſu, viuamus pereũdum eſt, &c.* Quod epiphonema etiam in veteri ſepulcrali inſcriptione legitur: *Amici dum viuimus, viuamus.* Nec diſſimile illud quod cranium mortui inferrent in menſam, vt in Trimalcionis conuiuio apud Petronium, ibi: *Potantibus & accuratiſſimè lautitias nobis mirantibus; laruam argenteam attulit nobis ſeruus, ſic aptam, vt articuli eius vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cum ſupra menſam ſemel iterumque abiecisſet, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit.*

Heu heu nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt.
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet orcus.
Ergo viuamus, dum licet eſſe bene.

B Quod ab Aegyptio quidem ritu videtur, qui ipſam perſonam mortui inferre conuiuio ſoliti cum monitione: ita breui omnes futuros; auctor Plutarchus in Conuiuio: morem aſperum non longe à Scythis, quibus etiam potus in cranio mortuorum; tamẽ inuitatio illa in ſpecie barbara; re optima: ac ſi dicat, Ite mortales & magnis cogitationibus animum implete: cras morituri. Ac etiam de prædicto more ab Aegyptijs profecto Herodotus lib. 2. in Conuiuijs inquit: *Vnus aliquis inter epulas circumfert cadauer ligneum in arca, pictura, & arte graphicè expreſſum, cubiti magnitudine, dicitque; Bibe & oblectare, vbi enim mortuus fueris, eiuſmodi eris.*

Conſtituebant etiam Magiſtrum Potandi. Varro lib. 20. Rerum human. *In conuiuijs, qui ſint inſtituti Potandi modi Moderatores.* Cicero in Catone: *Me vero magiſteria delectant, & is ordo, qui more maiorum à ſummo adhibetur in poculis.* *Magiſter potandi.*

Cœnæ initio oua apponebantur, Cicero epiſt. Famil. *Integram famem ad ouum affero.* Et Horatius lib. 1. ſatyr. 3. *Ordo dapium.*

C *Si collibuiſſet ab ouo*
Vſque ad mala citaret, Io Bacche.

Ideſt ab initio cœnæ vſque ad menſam ſecundam, quæ pomis, ſeu malis conſtabat.

Quam lautitiæ fuerint apud priſcos Romanos Cœnæ, oſtendunt nobis leges illæ ſumptuariæ ab antiquo latæ ſub bellum Punicum ſecundum; morbos in ea parte fuiſſe, cum ad publica hæc remedia recurrendum: apud Macrobium fit mentio Pontificiæ illius cœnæ, vbi incognita & quærenda ciborum genera; Cœnaeuli apparatum, cœnantis habitum, aut honores, cœnæ ipſius exotica fercula, refert Salluſtius de Metello Proconſule in Hiſpania. his verbis: *Cœnæ vltra Romanorum, ac mortalium etiam morem curabantur, exornatis ædibus per aulæa & inſignia, cœniſque ad oſtentationem hiſtrioniam fabricatis: ſimul croco ſparſa humus, & alia in modum celeberrimi templi. Præterea ſedenti in tranſenna demiſſum victoriæ ſimulacrum, cum machinato ſtrepitu tonitruum, corona ei imponebat: tum venienti thure quaſi Deo, ſupplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat accumbenti: epulæ vero exquiſitiſſimæ, neque per omnem modo prouinciam, ſed trans maria, ex Mauritania volucrum, & ferarum, incognita antea, plura genera.* Prodigioſum luxum omnia faſtidientem; niſi remota & ſumptuoſa: hinc Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium quod nihil tunc opus eſſet inquit *Ad penum regiam flagitare remotorum littorum piſcem; peregrini aeris volucrem, alieni temporis florem: nam delicati illi ac fluentes, & quales ſæpe tulit Reſpublica, parum ſe lautos putabant, niſi luxuria vertiſſet annum, niſi hibernæ poculis roſa innataſſent, niſi æſtiua in gemmis capacibus glacie falerna fregiſſent. Horum gulæ auguſtus erat orbis noſter; namque appoſitas dapes non ſapore ſed ſumptu æſtimantes, illis demum cibis ac-*

quiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragijs maria misissent. Vt propterea his commotus Cato Censorius publicè questus: *Non posse saluam esse Vrbem, in qua piscis pluris, quam bos, veniret.* Alios addamus qui in exemplar transierunt perditæ gulæ; de Claudio Aesopo histrione refert Plinius: *Maximè insignis est in hac memoria Clodij Aesopi tragici histrionis patina, sexcentis HS. taxata, in qua posuit aues cantu aliquo, aut sermone humano vocales, millibus sex singulas coemptas, nulla alia inductus voluptate, nisi vt in his imitationem hominis manderet.* De Cleopatra lubet referre, quæ centies HS. vna cœna diceret se absumpturam, cum illi fidem non præstaret M. Antonius: sequenti die illa cœnam apparans inquit vnum ferculum rem confecerit; & simul ex composito illata phiala acris aceti plena, vnionem quem aure dextra gestabat, singulare naturæ opus, detractum in phialam demisit, eumque, vt natura est, statim liquefactum absorbuit: parata & in alterum quem sinistra gerebat, manū inijcere, ni prouidè & propere Munatius victum Antonium clare pronunciasset: via strata & nota per vestigia Cleopatræ, de Caligula scribit Sueton. *Commentus est portentissima genera ciborum, vngentis calidis frigidisque lauabatur, pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorbebat, conuiuis ex auro panes & obsonia apponebat.* Vitellius helluonum omnium maximus alios etiam impellens: *Indicebat eadem die tentacula, prandia, cœnas, commessationes, ipse omnibus sufficiens, vomitandi consuetudine: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummū constiterunt.* Et de eodem Vitellio scripsit Sueton. *In hac scarorum iocinera, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterorum, murenarum lactes, à Parthia vsque, fretoque Hispaniæ per nouarchos, & triremes petitarum cum commisisse.* De Heliogabalo refert Lampridius: *Nunquam minus centum HS. cœnasse, hoc est argenti libris XXX. aliquando autem tribus millibus HS. cœnasse omnibus supputatis quæ impendit.*

In solemnioribus autem conuiuijs fercula coronata fuisse constat ex Athenæo lib. 5. in ijs ludis, quos apud Daphnen Antiochus edidit; fuerunt conuiuia, in quibus exhibiti sunt viui anseres, lepores, damæ cum aureis coronis. Qui ferculorum luxus quandoquidem dispositus fuit per nomina cælestium signorum: quippe singulis impositus fuit cibus vnicuique conuenientissimus. Petronij locus est: *Repositorium rotundum duodecim habebat signa in orbem disposita; super quæ proprium conuenientemque materiæ structor imposuerat cibum: superque Arietem cicer arietinum; superque Taurum bubalæ frustum; super Geminos, testiculos ac renes; super Cancrum coronam; super Leonem, ficum Africanum, &c.*

Sed quidquid sit de aliquibus Romanis Principibus, seu etiam inferioris ordinis hominib. gulæ & abdomini deditis: nec inde Rom. vniuersis hoc fraudi aut culpæ erit peccasse aliquos. Præterea maximè animaduersione dignū est; non in re peccatum sæpe esse, sed in causa & fine: tu epulum sumptuosum das sed Gulæ, aut vanitatis causa: alius dat sed legis & moris causa: ille peccat, hic minime, quia non cupidini, sed consuetudini est obsecutus; sicuti in Adijcialibus, seu Aditialibus epulis (vtpotè quæ in aditu honoris & auspicijs quasi primis maximè sacerdotibus, Pontificibus, &c. dari solebant) viri etiam frugales tunc multum impenderunt, sed quia debebant: hinc Seneca contra luxuriam epist. 95. sic scribit: *Non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat. Quid est cœna sumptuosa flagitiosius, & equestrem censum consumente? Quid tam dignum censoria nota, si quis vt isti ganeones loquuntur, sibi hæc & genio suo præstent? & tricies tamen HS. Adijciales cœnæ frugalissimis viris constiterunt. Eadem res singulæ datur, turpis est; honori, reprehensionem effugit.* Quæ Senecæ verba sic intelligenda, ne à solemnibus sacrisque epulis ad communem sæculi luxum inferatur.

Et de varietate Dapium & qualitate vini in Conuiuijs Romanorum. Vide

quæ

A quæ hæc scripsit Bulengerius libro secundo & tertio de Conuiuijs.

Salinum, quod sacram faciebat mensam, potissimũ apponebatur in ea, sine quo prophanam fuisse mensam veterum fuit opinio. Arnob. *Sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum.* Quin & salinum inter vasa sacra vetus interpres ad illud Horatij. *Salinum.*

——— *Splendet in mensa tenui salinum.*

Salinum proprie est patella, in qua Dijs primitiæ cum sale offerebantur. Et Statius ad hanc mentem: *Et exiguo placuerunt farra salino.* Itaque Liuius l. 26. Ferre non possum, *vt salinum patellamque Deorum causa habeant.* Et Plinius inquit: *Fabritius bellicosos Imperatores plusquam pateram & salinum ex argento habere vetabat.*

Præterea ex eodem Arnobio collocasse Romanos in mensa statuam Dei cuiuspiam velut tutelam geniumque mensæ: & præter superius adductum Sallustium de cœna Metelli in Hispania proconsulis, ita in syluis Statij legimus de Hercule Vindice. *Dei statua.*

B *Casta Genius, tutelaque mensæ.*

Quod numen etiam habuisse Pellæi Tyranni mensam refert Martial.

——— *Pellæus habebat*

Regnator, lætis numen venerabile mensis.

Quin etiam Deos ipsos initio mensæ inuocabant. Quintilian. declamat. 301. *Habuisti honorem, & illud humile linteum intrasti, & adisti mensam, ad quam cum venire cœpimus, Deos inuocamus.*

Apud maiores singulis Conuiuijs suæ certæ partes tribuebantur, postea in commune vesci, ciuilius visum, ex Plutar. lib. 11. Symposiacon quæst. 10.

Inter cœnandum Acromata omnis generis adhibebantur, nam aut symphonia personabat Triclinium, aut Instrumenta, aut organa varia concinebant; Tragœdiæ, Comœdiæ, mimique agebantur; aut spectacula alia iucũda inducebantur; & odores naribus gratissimi. Seneca de Vita beata c. 11. *Acromata & symphonia.*

C *Videt hos eosdem è suis lectis spectantes Popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes, mollibus, lenibusque fomentis totum lacessitur corpus, & ne nares interim cessent, odoribus varijs inficit locus ipse, in quo luxuria parentatur.* Sic Plautus in Menech. *Sternite lectos, incendite odores.* Et de Neronis cœnationibus mira & ingeniosa luxuria hæc effert Sueton. in Neron. cap. 31. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, vt flores, fistulatis vt vnguenta desuper spargerentur. Præcipua Cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.* Ac etiam de lacunaribus versatilibus, quæ alia, atque alia subinde facie conuiuas delectarent. Seneca epist. 91. *Versatilia Cœnationum laquearia ita coagmentant, vt subinde alia, atque alia facies succedat, & toties tecta, quoties fercula, mutentur.* *Spectacula & similia.*

Elephantes etiam inductos refert Plinius lib. 8. c. 11. *Plenis hominum Triclinijs accubitu Elephantes ire per lectos, ita libratis vestigijs, ne quis potantium attingeretur.* *Elephantes.*

D Quod horrendum in lætiori conuiuio, & solemne fuit, paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam. Silius lib. 11. Belli Punic. *Gladiatores.*

Quin etiam exhilarare viris conuiuia cæde,
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira,
Certatum ferro sæpe, & super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Lampridius de Antonino: *Gladiatores ante Conuiuium pugnantes sibi frequenter exhibuit.* Et de ijs vide late Lipsij Saturnalia de Gladiatoribus lib. 1. c. 6.

Sed horridum hoc etiam barbaris conuiuali tempore, conuiuali præcepto ab epulis proferre edictum ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitij circumferre obsequium. Quid crudelitati cum delitijs? quid cum funeribus

neribus epulæ? quam vt crudelitati ferculum deberetur, quo insatiata epulis feritas vesceretur: & quoniam non exsaturari epulis fames, non restingui poculis poterat apud illos inauditæ sæuitiæ sitis, bibebant sanguinem scaturientibus adhuc venis profluentem. A

Flabellum. Pueri quoque Pauonio Flabello muscas abigebant, Martial.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Vel ventum faciunt, ex Propertio.

Et mihi Pauonis cauda flabella superbi.

Ministri stabãt ad pedes. Inter lectos, & Triclinij parietes relinquebatur tantum spatij, quantum satis esset seruientibus ad ministrandum, qui dicebantur ad pedes stare. Martial. in Zoilum lib. 3.

At ipse retro flexus ad pedum turbam.

Et in Santram. lib. 7.

Nec exculenta sufficit gulæ præda,
Misto lagenam replet ad pedes vino. B

Quod autem ad pedes starent ministri Triclinares, Seneca lib. 3. de Benef. *Seruus qui Cœnanti ad pedes steterat.* Vt ex Appendice Fuluij Vrsini ad Ciacconium fol. mihi 112.

Peccatrix ad pedes Domini. Ad pedes autem Domini discumbentis stetisse Mulierem peccatricem ministrantem. Lucas 7. *Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, & capillis capitis suis tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Veteres non solum caput, & pedes vnguento vngebant; verum vnicuique corporis parti idonea vnguenta assignabant. Vt in dicta Appendice F. Vrsini fol. 132. mihi

Apophoreta. Abeuntibus Conuiuijs à Conuiuij Domino dabantur Apophoreta. Sueton. in Caligula: *Agitatori Euthyco commessatione quadam in Apophoretis vicies HS. contulit.* D. Ambros. in exhortat. ad Virgines: *Qui ad Conuiuium magnum inuitantur, Apophoreta secum referre consueuerunt.* Sic etiam Martial. C

Præmia conuiuæ det sua quisque suo.

Ac etiam Lampridius in vita Heliogabali: *Eunuchos pro Apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos stratos, mulos, basternas, & rhedas.*

Ambiuisse quosdam conuiuia Principis. Illud non omiserim, ambiuisse quosdam magno conatu, & ingenti nonnumquam pretio redemisse à Vocatoribus, vt conuiuio Principis adhiberentur. Sueton. in Caligula: *Compererat Prouincialem locupletem ducenta. HS. numerasse vocatoribus, vt per fallaciam Conuiuio interponeretur: nec tulerat molestè tam magno æstimari honorem Cœnæ suæ.* Porro ducenta sestertia quinquemillia scutatorum sunt.

Conuiuia Christianorum quæ? Demum pro Coronide adducam, Tertullianũ in Apologet. de Conuiuijs Christianorum: *Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, editur, quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est vtile; ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem, & lumina; vt quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere; hinc probatur, quomodo biberis, æque oratio conuiuium dirimit, inde disceditur.* D

Christum inisse conuiuia more Romano. In ijs autem Conuiuijs, quæ Dominus, & Redemptor noster, dum inter homines versaretur, iniisse memoratur, omnia more Romano administrata fuisse inferius reperiemus: quoniam Hebræi iam inde à Pompeio in ditionem, potestatemque Romanorum redacti, ad Victoris, dominantisque Populi instituta se victusque sui rationem accommodauerant.

Romani tribus lectis in Cœnaculo stratis apparabant Conuiuia; & Christi discipuli cœnam illam apparaturi, quæ fuit extrema ante Passionem. *Inuene-*

Venerunt Cœnaculum grande stratum, & ibi parauerunt. Lucas 22.

Tribus autem lectis eos cœnasse illud indicio est; quod cum tredecim essent; in eamdem omnes patinam porrigebant manus: quod si mensæ perpetuæ fuissent, fieri haudquaquam posset. *Qui intingit mecum manum in Paropside hic me tradet*. Matth. 26. neminem ex illis hac voce designans, cum omnes id ex æquo facerent.

Romani Loti, Vncti conuiuia inibant, & Christi discipuli Loti accubuerunt, quia cum Petrus primo negaret, vt sibi Christus pedes ablueret, & po-



pag. 351. Cap. 19.

LVCAS CAP VII.
ET ECCE MVLIER VT COGNOVIT QVOD IESVS ACCVBVIT IN DOMO PHARISÆI
STANS RETRO SECVS PEDES EIVS LACRYMIS COEPIT RIGARE PEDES EIVS ET
CAPILLIS SVISI TERGEBAT ET OSCVLABATVR ET VNGVENTO VNGEBAT

[illegible] ex apud Marc. 6. negatur mittit Christus discipulos, vt Euangelium prædicarent, non habentes æs in zonis, sed tantum calceatos sandalijs.

Romani liberos, & caros suos habebant in Conuiuijs infra se, hoc est in sinu suo collocabant: & Ioannes Christo maximè carus in eius sinu recubuit. Ioan. 13.

Regem sacrorum apud Romanos summum locum medij lecti in Pontificalibus cœnis occupare solitum, neminemque supra eum accubuisse; & in ijs Pontificalibus cœnis Christus vere Rex & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech eumdem locum occupat, nec quisquam super eum accumbit; alioquin non potuisset Maria alabastrum vnguenti effundere super caput recumbentis, si in medio lecto accubuisset, aut ipsum Ioannem in sinu habere, si in imo.

Romani

neribus epulæ? quam vt crudelitati ferculum deberetur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur: & quoniam non exſaturari epulis fames, non reſtingui poculis poterat apud illos inauditæ ſæuitiæ ſitis, bibebant ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis profluentem. A

Flabellum. Pueri quoque Pauonio Flabello muſcas abigebant, Martial.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

Vel ventum faciunt, ex Propertio.

turantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita jabulantur, vt qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem, & lumina; vt quiſque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere; hinc probatur, quomodo biberis, æque oratio conuiuium dirimit, inde diſceditur. D

Chriſtum iniſſe conuiuia more Romano. In ijs autem Conuiuijs, quæ Dominus, & Redemptor noſter, dum inter homines verſaretur, iniſſe memoratur, omnia more Romano adminiſtrata fuiſſe inferius reperiemus: quoniam Hebræi iam inde à Pompeio in ditionem, poteſtatemque Romanorum redacti, ad Victoris, dominantiſque Populi inſtituta ſe victuſque ſui rationem accommodauerant.

Romani tribus lectis in Cœnaculo ſtratis apparabant Conuiuia; & Chriſti diſcipuli cœnam illam apparaturi, quæ fuit extrema ante Paſſionem. *Inuene-*

A *uenerunt Cœnaculum grande stratum, & ibi parauerunt*. Lucas 22.

Tribus autem lectis eos cœnasse illud indicio est; quod cum tredecim essent; in eamdem omnes patinam porrigebant manus: quod si mensæ perpetuæ fuissent, fieri haudquaquam posset. *Qui intingit mecum manum in Paropside hic me tradet*. Matth. 26. neminem ex illis hac voce designans, cum omnes id ex æquo facerent.

Romani Loti, Vncti conuiuia ineibant, & Christi discipuli Loti accubuerunt, quia cum Petrus primo negaret, vt sibi Christus pedes ablueret, & postea idem caput, & manus abluendas offerret, audit à Domino: *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, & est mundus totus*. Ioan. 13. quo significatur illos lotos discubuisse, nec debuisse abluere, nisi si quid sordidum pedes inter veniendum fortè contraxerant: & alioquin Iudæi omnes ex Marco 7. nisi lauissent manus, non manducabant: & à foro, nisi baptizarentur, cibum non sumebant.

B Vnctos vero fuisse persuadere videtur; cum Christus obiecerit Simoni, quod ab eo inuitatus ad cœnã id officij non exhibuisset, Luc. 7. *Veni in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, oleo caput meum non vnxisti*. Et à tali vnctione Dominus non abhorruit inter diuina Præcepta Matth. 6. *Tu autem (ait) cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua*.

Romani accubituri vestem mutabant, & Christi discipulos vestem mutasse apparet, quod adolescens (quem Ioannem fuisse Ambrosius testatur) à Cœna in hortum cum Christo secedens; *Amictus sindone super nudo*, ostenstendit, ex Marc. 14. quasi veste Cœnatoria adhuc indutus, quod si solitum illi, & quotidianum fuisset, non vtique ab Euangelista memoria traderetur: & in marmoribus antiquis videmus accumbentes vna tantum veste super nudo: pariter & ille, qui non indutus veste nuptiali in Conuiuium irrepsit, in tenebras exteriores proijci iubetur. Matth. 22. & hanc eamdem cœnatoriam vestem habuisse Christum in vltima cœna, tradit Baronius in ann. 34. vbi Spond. num. 12.

C Manus lauabant illi ante cœnam; & hos etiam abluisse credendum est, postquã eis à Pharisæis vitio datum est, quod illotis manibus cibum sumerẽt, Matth. 7. Nam huiusmodi scandala vitare nitebantur: *Ne scandalizemus eos, (dicit Dominus Petro) vade, da illis pro me, & te*. Matth. 17.

Accumbentes, non sedentes cœnabant Romani: & hos similiter accubuisse; cum Euangelistæ vtantur semper verbo Accumbere, & recumbere.

Triclinares lectos, in quibus Christus cœnabat, altiores fuisse patet, quod *Mulier illa stans retro secus pedes eius*. Luc. 7. Stans, inquam, non procidens, non genu nixa eos lacrymis rigat, & capillis tergit; quo lectorum altitudo ostenditur.

Soleas illi deponebant Accubituri, nudisque pedibus cœnabant; & Christus nudos Discipulorum pedes abluit; & Maria ipsius Domini nudos pedes lacrymis rigat; cum calceatum incessisse Christum innuat Ioannes Baptista, Matth. 3. & apud Marc. 6. legatur misisse Christum discipulos, vt Euangelium prædicarent, non habentes æs in zonis, sed tantum calceatos sandalijs.

D Romani liberos, & caros suos habebant in Conuiuijs infra se, hoc est in sinu suo collocabant: & Ioannes Christo maximè carus in eius sinu recubuit. Ioan. 13.

Regem sacrorum apud Romanos summum locum medij lecti in Pontificalibus cœnis occupare solitum, neminemque supra eum accubuisse; & in ijs Pontificalibus cœnis Christus vere Rex & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech eumdem locum occupat, nec quisquam super eum accumbit; alioquin non potuisset Maria alabastrum vnguenti effundere super caput recumbentis, si in medio lecto accubuisset, aut ipsum Ioannem in sinu habere, si in imo.

Romani

Romani aliquando Quini etiam in Lectis discumbebant, vt diximus: & Christi discipulos, verisimile est, Quinos duobus in lectis discubuisse; in reliquo tres tãtum, nempe ipsum Dominum, & Ioannẽ, & fortasse Petrum; qui proximus Ioanni innuit, vt ex Dom. auctorẽ tanti facinoris quæreret Io. 13. A

In commune illi vescebantur: & isti in commune vescuntur, in eandem patinam manus porrigunt omnes, Matth. 26.

Magna fuit copia ministrantium in Conuiuijs Romanorum: quod etiam seruatum in Conuiuijs vbi Christus interuenit, vt in Nuptijs Canæ Galilææ Ioan. 2. *Dixit mater ministris*. Et infra: *Dicit eis Iesus, implete hydrias aqua; & impleuerunt, &c.* Et inferius: *Ministri autem sciebant, qui hauserant aquam*. Quos ministros etiam inseruisse in vltima Christi Cœna, est opinio expositorum: & Metaphrastes in Oratione de Vita Deiparæ: voluit præter Apostolos discumbentes, etiam Discipulos ibidem inseruisse.

Sed quod omnem excederet fidem; nisi ille, qui mentiri non potest, hoc diceret: ipsemet Christus ad hominis inuitati cœnam ministrat: referente Luca cap. 12. *Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis*. Discumbit homo, & quidem indutus veste nuptiali, præcinctus Deus ministrat homini; vt fortiter noster fastus conculcetur à præcincto & ministrante Deo; & post hæc pudere meritò nos arrogantiæ nostræ nonne debebit? B

Prisci Discumbentes se inuitabant inter conuiuas ad Bibendum: & Christus Dominus in sua vltima cœna similiter fecit erga suos discipulos, vt apud Matth. cap. 26. *Et accipiens calicem dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes*. Et apud Marcum cap. 14. *Et biberunt ex illo omnes*. Et si Romani inter bibendum eorum præsentis Dijs vouebant: sic Christus in eadem cœna apud Luc. cap. 22. inquit: *Hoc facite in meam commemorationem*.

Quatenus autem ijdem prisci discumbentes proponebant mortis memoriam inter bibendum lætantes: etiam Christus in vltima cœna præbuit lætitiam & dilectionem erga Discipulos dicens apud Lucam 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar*. Et in eadem Cœna dixit de Christo Ioan. cap. 13. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Sed non propterea destitit Christus à memoria propriæ passionis & mortis in eadem Cœna; vt in dictis verbis: *Antequam patiar*. Et apud Matth. dicto cap. 26. *Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur*. Et infra. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*. C

Profusissima & lautissima fuerunt Romanorum Conuiuia cibis & potibus quando cœnarunt: sed nullum vspiam lautius & profusius fuit conuiuium, quam vbi Christus propriam carnem & sanguinem tradidit in cibum & potum, vt apud Ioannem cap. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Et infra: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c. Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*.

Magistrum potandi, seu vini illi constituebant: & in nuptijs Canæ Galileæ, in quibus Christus interfuit; fuisse Architriclinum apparet. Io. 2. D

Spectacula fecisse Romanos in Conuiuijs: & quale spectaculum cum Cæli & Mundi Dominus positis vestibus, linteo præcinctus pedes Discipulorum lauit, & linteo tersit? Io. 13.

Comœdiæ apud Romanos inter epulas agebantur: & quæ similis Catastrophe? Quod mulier illa in ciuitate peccatrix lacrymis lauit pedes Christi, & capillis tersit. Luc. 7. & hoc non sine insigni corollario, cum Dominus ad hanc mulierem conuersus dixit: *Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te saluam fecit, Vade in pace*.

Quis

A Quis Symphoniæ cantus cum diuino illo Hymno ſimilis? Matth. 26. *Et Hymno dicto exierunt in montem Oliueti*. Paulus Bruſenſis ſcribit Iudæos loco gratiarum actionis poſt cœnam ſolitos recitare ſeptem Pſalmos, ideſt à pſalmo centeſimo duodecimo incipien. *Laudate pueri Dominum*, vſque ad Pſalmum centeſimum decimum octauum; Iudæos enim aliqua certaque gratiarum actione vti ſolitos, non ſolú Interpretes, verum in Deut. habetur c. 8. ibi: *Cum comederis & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi*. Et hoc etiam refert Maldonatus in Matth. 26. n. 30.

Quamuis Baron. in annum 34. vbi Spondan. num. 19. velit ex Rituali Hebræorum moris fuiſſe apud illos in ſingulorum ſolemnium dierum cœnis recitare Pſalm. ad myſterium eius diei accommodatos: in Paſchali vero conſueuiſſe dici pſal. 113. incip. *In exitu Iſrael de Aegypto*. & breues alios.

Nec defuerunt odores illi Conuiuio. Ioan. 12. *Effuſo enim alabaſtro vnguenti Nardi piſtici pretioſi impleta eſt domus ex odore vnguenti*.

Conſueuerunt Romani vti Flabello in Conuiuijs ad amouendas muſcas è
B menſa & alia immunda: at vero Apoſtolus tanquam Chriſti miniſter præcipit 1. Corinth. cap. 11. vt accedentes ad menſam ſacramentalem proprias experiantur conſcientias ab omni immunditia ſub pœna propriæ damnationis his verbis: *Probet autem ſe ipſum homo; & ſic de pane illo edat & de Calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*. Vt ne quid immundum tangat auguſtiſſimam illam menſam.

Non defuit in Epulis ſua crudelitas apud Romanos, dum Gladiatores inter ſe occidendos interim exhiberentur. Sic etiam proditor Iudas in poſtrema Chriſti cœna præ cæteris Apoſtolis accumbēs Magiſtri ſui cædem meditatur, quam inde in horto cum militibus & cohortibus exequitur. Vt etiam Herodes in cœna natalis ſui attulit in diſco caput Ioannis puellæ ſaltanti, & illa dedit matri ſuæ.

Abeuntibus Romanis è Conuiuio dabantur illis à Domino pretioſa Apo-
C phoreta. At liberaliſſimus, & ſui nimium profuſus Chriſtus Dominus ex hoc mundo ipſe diſcedens, Matth. 26. pretioſiſſimum Corpus ſuum, & ſanguinem in Apophoreta conuiuijs dedit, vt ſibi haberent, & ſecum domum deducerent.

Demum quoniam Romani ambibant, & magno pretio redimebant, vt inter amicos Principis eius epulis intereſſent; ambiamus & nos quoque, qui ſectatores Chriſti ſumus, vt peccatorum ſordibus ablutos, bonorum vnguento nitidos, nuptiali ſtola innocentiæ indutos ſuis epulis Princeps noſter adhibeat, vt edentes, & bibentes ſuper menſam eius, illis gaudijs lætemur, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt.

Cœnam quamuis tenacem & ſordidam reſpuendam etiam veteres iudica- *Conſideratio.*
uerint: mediocris eadem tamen plurimis grata ſemper fuit; quod ex Alexi in Amante fœmina refert Athenæus lib. 10.

D *Verum ego quandoquidem adſunt quæ oportet,*
Odi ſuperuacua. In ijs enim quæ modum excedunt
Sumptus quidem eſt, nulla delectatio.

Idem in mendaci.

Odioſa mihi ſuperuacua ſunt: in ijs quæ præter modum
Fiunt, impenſa eſt, voluptas ne vlla quidem.

Idem in Syntrophis.

O quam iucundum quidquid mediocre eſt, nec plus iuſto plenum
Abeo nunc, minime vacuus: ſed vt mihi videor lætus.

Frænis enim regenda concupiſcentia: & ventrem domare ſuum qui non ſuf-

ficit, malum necesse est semper accumulet malo, inquit Cæres ex Stobæo titulo 17. A

Inde ex Athenæo Ariston Philosophus hortatur ad cœnam ituros, vt curarent compotationem, quæ esset non tantum in præsens iucunda, sed in crastinum etiam: simplici quidem apparatu, sed musica concinnitate eleganti. Magis enim decet mutua nos consuetudine nostram in amicos beneuolentiam declarare, quam ferculorum multitudine & epularum, quæ plurimæ sint, inuectarum copia. Habemus enim in Prouerb. 16. *Melius est vocari ad olera cum gaudio, quam ad vitulum saginatum cum odio*. Et D. Chrysost. hom. 16. in Decollat. Ioan. Bapt. Conuiuium honestate honoretur: absit ebrietas, luxus absistat, fugetur effusio, saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis cum Herodiadis conuiuio abscindantur, vt gaudium præsens vestrum ad lætitiam perueniat sempiternam: siquidem vt refert D. Thom. super Ioan. 7. lect. 1. in fin. *Festa mundanorum sunt in epulis & delicijs corporum, sed festa spiritualium sunt in delectatione spiritus*. B

De Hospitalitate. Cap. XX.

DIximus iam de Balneis & Conuiuijs, quæ maximè hospitibus præparantur: propterea de Hospitalitate videbimus, quæ nullo sane loco magis culta olim quam Romæ; nec hodie vsquam frequentius aduenæ, benigniusue excipiuntur, non in Dynastarum & Purpuratorum palatia solum, verum & in Xenodochia, & publicas & omnibus patentes ædes: imo exteri in Ciuium numerum passim adscripti, communi cæli benignitate non raro honoris apicem in hac eadem nostra Vrbe attingunt.

Hospitalitatis ergo.

Huius namque hospitalitatis exordium processit; vt homines qui alias terras, aliorum hominum genus, alia loca tenere exoptabant; patriæque pertæsi hinc vagari aliunde cupiditate discendi, & diuersa videndi, alibi diuersari tentarunt: hinc ad longinqua loca proficiscentes vbi exteri & peregrini primum hospitio, tum affinitate indigenis se iungentes, hospites esse cœperunt; & inde ex huiusmodi commercio exortæ sodalitas, amicitia, hospitalitas & similia: vnde Hospitium est consuetudo, qua alios in nostram domum accipimus: de cuius necessitudine Budæus: *Hospitium est familiaris quædam amicitia, vel mihi hospitandi apud illum, vel illi apud me*. C

Quare instituta.

Vt Peregrinantes & aduenæ susciperentur heroicum arbitrabantur Romani, quin etiam ad Vrbis commendationem atque ornamentum exteros hoc liberalitatis genere non egere. Ita Tullius 3. Offic. *Rectè etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas: est enim valde decorum, patere domos hominum illustrium hospitibus; idque etiam est Reipublicæ ornamento, homines exteros hoc liberalitatis genere in Vrbe nostra non egere*. Cui simile est illud Pontani. *Est autem priuatorum Ciuium, verum etiam Vrbium ipsarum summa laus, priuatas domos patere peregrè venientibus*. Quo nullum mortalibus factum dignius: omnes quippe in hoc mundo peregrinamur, iuxta Apostolum cap. 3. ad Hebræos: *Nec enim habemus hic manentem ciuitatem; sed futuram inquirimus*. Vnde D. Bernard. serm. de sancto Benedicto inquit: *Peregrinus ad patriam suspirat, ad patriam tendit; vestitum, & victum habens non vult alijs onerari. Beatus planè, qui suum sic agnoscit; sic deplorat incolatum dicens Domino: quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei*. D

Quam pretiosa hospitalitas?

Publica namque species humanitatis, vt hospitio Peregrinus non egeat, cuius in sacris litteris atque prophanis exempla passim obuia: nec sine spe præmij. D. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 21. *Tanta namque est apud Deum hospitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmijs remunerationis*

immu-

A *immunis sit. Vides quia Abraham Deum recepit hospitio; dum hospites quærit. Vides quia Loth Angelos suscepit? Vnde scis an tu cum hospitem suscipias, suscipias Christum? licet in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait. In carcere eram & venisti ad me, nudus eram & operuisti me.* Hinc regius character existimata est Hospitalitas gemmis omnibus præferenda. Sanctus Chrysostomus homil. de Eleemos. & Hospit. *Hospitalitatem exerce, continenter orationi incumbe; videbis hæc fore auratis vestibus potiora, gemmisque pretiosis & monilibus longo interuallo præstare.* Et idem tom.6. Orat. in Diuum Petrum & Eliam: *Hospitalitatis semen vidua sparsit, & statim florentem atque copiosam hospitalitatis messem colligit.*

Atque adeo vt Hospitij necessitudini Iouem inter alios superstitiosè præfecerit antiquitas; Iouem hospitalem eum appellãs quasi hospitij præsidem ac vindicem. Plaut. in Pœnul. act.5. scen.1. *Dij hospitales.*

Deum hospitalem, ac Tesseram mecum fero.

Ita Romani Iouem *Xenium*, idest hospitalem appellabant. Hinc fides Iouis
B hospitalis. Cicero ad Q. Fratrem: *Non faciam, vt illum offendam, ne imploret fidem Iouis hospitalis*, Apuleius lib.3. *Sed proh Iuppiter hospitalis, & fidei secreta numina.* Eadem mente Virgil. Aeneid. lib.1.

Iupiter hospitibus, nam te dare iura loquuntur, &c.

Ideoque ab Ouidio Iuppiter hospes appellatus, eiusque Ara venerationi fuit.

Ante fores horum stabat Iouis hospitis ara.

Templa etiam Ioui hospitali dicata insinuant historia Machab. lib. 2. c.6. *Antiochus in Hierosolymis templum Ioui Olympio dedicauit, & in Garizim prout erant ij, qui locum inhabitabant, Iouis hospitalis.*

Venus præterea veluti Amoris Mater Hospitali titulo honestatur, Cicero pro Cœlio: *Huic facinori tanto tua mens liberalis conscia, tua domus popularis ministra, tua denique hospitalis illa Venus adiutrix esse non debuit.*

Minerua quoque hospitalis dicta. Pausanias lib.3. *Quo in loco Parcæ sunt,*
C *ibidem est hospitalis Iuppiter, & hospitalis Minerua.* Vt quoque idem de Apolline, Castore, Polluce, cum cæteris.

Quanta esset vis hospitij, quanta religio apud Romanos. Cicero in Verrem hospitij violatorem inuehitur: *Pater aderat Dexio Tindaritanus, homo nobilissimus, hospes tuus: cuius tu domi fueras, quem hospitem appellaueras, eum cum illa auctoritate & miseria videres præditum, num te eius lacrymæ, num senectus; num hospitij ius, atque nomen à scelere aliquam ad partem humanitatis reuocare potuit? Sed quid ego hospitij iura in hac immani bellua commemoro: qui Stenium absentem hospitem suum in reos retulerit?* Cæsar de Hæduis: *Quibus præditis, calamitatibusque fractos, qui & sua virtute, & Populi Romani hospitio atque amicitia plurimum antè in Gallia potuissent; coactos esse Sequanos obsides dare.* Et de Germanis lib.6. *Hospites violare fas non putant: qui qua de causa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, sanctosque habent; ijs omnium domus patent, victusque communicatur.* Imo sacrosanctum hospitium, eiusque violati nefas indicat lib. de bello Hispanic. A. Hirtius Pansa: *Eodem tempore*
D *transfuga nunciauit ex oppido, Iunium, qui in cuniculo fuisset, iugulatione oppidanorum facta, clamasse facinus se nefandum, & scelus fecisse, nam eos nihil meruisse, quare tali pœna afficerentur, qui eos ad aras & foros suos recepissent, eosque hospitium scelere contaminasse.* Quam sacrum & inuiolabile voluerit hospitij ius, indicauit Aurelius Imp. in ep. militari ad Vicarium suum, vbi leges militum decernit: *In hospitijs caste se agant.* Ideoque violatum hospitij ius puniuit seueriſſimè, vt notat Vopiscus: *Solus omnium militem, qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, & ad pedes militis deligaret, eademque subitò dimitteret, vt scissus ille vtrinque penderet.* Philippus etiam Rex Macedonum improbissimo mi-

liti, ingratissimo hospiti stigmata inscribi iussit ingratum hospitem testantia, quemadmodum prolixè narrat Seneca de Benef. lib. 4. cap. 37. A

Quare hospites venerandi?

Eò paulatim creuit Hospitum veneratio; vt illos venerandos veteres putauerint, tum ne inhumani viderentur; tum quia si Dij aliquando sub Peregrinorum habitu ad mortales accederent, tectis ne prohiberentur. Magnaque itaque religione hospites aduentantes recipiebantur. Sic Iouem Lycaon Ouidius introduxit.

Et Deus humana lustres sub imagine terras.

Et lib. 8. Metamorph. de Ioue & Mercurio.

Iuppiter huc specie mortalis, cumque parente
Venit Atlantiades, positis caduciser alis
Mille domos adiere, locum requiemque petentes
Mille domos clausere seræ.

Homerus pariter sæpius Deos aberrantes finxit. Quod quidem conuenit cum illo D. Pauli à sancto Chrysostomo in serm. de Lazaro receptum: *Sectamini hospitalitatem; per hanc enim quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos.* B

Hospites adorati & quomodo?

Ingressos igitur hospites adorabant supplices excipientes. Idque manu fiebat ad os illata; qualiter apud Iuuenalem: *A facie iactare manus.* Sic Minutius Felix in Octauio: *Cœlilius simulacro Seraphidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labris impressit.* Hinc labratum osculum: sic Imperatores suos adorabant, & Imperatorum imagines haud minus quam Deorum simulacra: aliquando etiam manu ad os relata solebant sacram Principis purpuram contingere capite demisso. Adorationis etiam mos erat adorantes primum manum porrigere, deinde statim ad os referre; quandoque primum manus osculati deinde illas protendebant. Tacit. lib. 1. hist. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, iacere oscula, & omnia seruiliter pro dominatione.* Ita etiam manu venerari; vt de Nerone Tacitus. *Postea genuflexus & cœtum illum manu veneratus est.* Quemadmodum etiam genua tangebant; vt Eruditissimus Præsul Tomasinus de Votis & Donarijs cap. 5. vberrime dixit. C

Hospitium symbola.

Hospitis Amici vt reciperentur habebant Tesseras & Symbola illaque præbebant; dicebanturque Tesseræ Hospitalitatis & Amicitiæ, de quibus diximus supra in cap. 14 huius libri 2. Qui autem erant incogniti, & fortuna, seu casu aliquo aduenientes ramos, seu vittas habebant. Homerus lib. 1. Iliados.

Stemmata habens manibus Phœbi viuentis ab alto.

Sic Aeneas lib. 8. Aeneidum.

Pacifer æque manu ramum prætendit Oliuæ.

Hospitia publica

Non solum priuatæ domus apud Romanos erant in hospitum vsum, verum & publicæ ædes (hospitalia nuncupatæ) ijsdem patebant, vt ex Vitruuio lib. 6. Hinc hospitale cubiculum apud Liuium lib. 1. *Exceptus benignè ab ignaris consilij, cum post cœnam in hospitale cubiculum deductus esset.* Et Symmachus lib. 3. ep. 14. Deos enim facio testes, has domus, quarum alteram postulastis, iamdudum à me hospitibus esse decretas. Ad Iustiniani ætatem celebre fuit hospitale sancti Samsonis ab eodem Imperatore instauratum postquam ab incendio exustum fuit; vt refert Procop. ad Aedificia Iustin. Imp. lib. 1. vt etiam Baron. ad ann. 530. ibi: *Iustinianus hospitalia duo ædificauit, vnum pro hospitibus peregrinis, alterum vt in eo requiescerent & refocillarentur pauperes & ægroti; & hæc in via, qua ad templum itur Hierosolymis.* Cui nihil cedit nostrum hic in Vrbe Xenodochium sub inuocatione sanctissimæ Trinitatis, de quo infra dicemus. D

Lotio pedum.

Inter officia hospitalitatis primum erat salutatio seu inuitatio Peregrinorum blanda & humana his verbis: *Salue Hospes.* Lauabantur pedes, vt puluis

in

A in via contractus excuteretur; ita Vlyſſi apud Homerum: & quidem priſcos hoſpitibus præbuiſſe aquam calidam ad abluendum corpus ac pedes, gelidam manibus, indicat Martialis.

Calidæ, gelidæque miniſter.

Horat. ſerm. lib. 2. ſatyr. 2.

——— *Necſic vt ſimplex, Næuius vnctam*
Conuiuijs præbebit aquam.

Vbi præbere aquam eſt conuiuio excipere. Conuiuator enim ad hoc balneum calefaciebat. Quod Lyricus Carm. lib. 3. Ode 19. dixit: Aquam temperare ignibus. Hoc idem ſeruatum à primis Anachoretis, qui hoſpites non ſolum excipiebant, adorabant, ſed & pedes lauare conſueuerant. Vt in vitis Patrum lib. 11. *Cum aliquem ſibi adeſſe ſenſerunt ſerui Dei, continuò procurrunt obuiam, & velut Angelum Dei excipientes adorant, pedes lauant, ad orationem inuitant, menſam ponunt; atque omnia ſecundum diuinum mandatum complent charitatis officia.* Quod idem legitur in vita S. Apollonij.

B Homeri tempore puellas, & mulieres honeſtas hoſpitum pedes lauare ſolitas obſeruauit Athenæus lib. 1. Gymnoſoph. *Introduxit Homerus puellas, & mulieres, quæ lauant hoſpites, quaſi neque inflammationem neque intemperantiam patiantur, qua bene vixerunt: antiqua autem hæc eſt conſuetudo.* Meminit huius moris Homer. Odyſſ. 3.

Interea Telemachum lauit pulchra Polycarte.

Item lib. 7. de Ancillis Menelai. Addo virgines non ſolum lauiſſe, ſed ablutos vnxiſſe pretioſis vnguentis. Idem Odyſſ. 3. *Porro poſtquam lauit & vnxit pingui oleo.* Vt etiam Regum filiabus honeſtum fuerit hoſpites in Balneis lauare. Petrus Nannius Miſcell. lib. 4. cap. 5. inquit: *Certè olim inſigne fuiſſe apud Gentiles pietatem in hoſpitibus excipiendis, vel inde patet, quod honeſtum ſit habitum, ſi filiæ Regum hoſpites in balneis lauarent, vt non vno loco apud Homerum inuenimus.*

Hunc morem abluendi apud Hebræos viguiſſe vt virgines & puellæ ſeruorum pedes lauarent & tergerent, patet 1. Reg. c. 25. vbi vocata eſt caſta
C Abigail à ſeruis Dauid: *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.* Vbi Abulenſis quæſt. 15.

In primitiua etiam Eccleſia mulieres nobiles hoſpitibus manibus ſuis pedes abluerunt: vnde Paulus ad Timotheum 5. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis teſtimonium habens; ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit.* In quem locum Theophil. Chryſoſt. ſerm. 14.

Chriſtus hoſpitio à Phariſæo receptus conqueritur Luc. 7. *Aquas pedibus meis non dediſti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos.* Quaſi eum argueret hoſpitalitatis veterem legem non obſeruaſſe.

Satis frequens fuit apud veteres vſus oſculandi hoſpites accedentes & a- *Oſculum.*
beuntes. Ita in ſacris litteris Moyſes ſocero ſuo obuiam progreſſus ſeque incuruans, eum oſculatus eſt, Exod. 18. Eſau fratrem ſuum Iacobum redeun-
D tem ex Meſopotamia oſculo excepit Geneſ. 33. Iacob ſuos ex Ioſepho nepotes, quos illi adduxerat, oſculatus & amplexatus fuit. Geneſ 49. Pater filio prodigo redeunti oſculum præbuit, & Paulus ad Romanos cap. 1. *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* Ita abeunte Paulo: *Procumbentes ſuper collum Pauli oſculabantur eum.* Ita Principes Romani peregrè profecturi, & mox Vrbem repetentes Senatores oſculo erant ſoliti accipere: vt in Nerone Suetonius: *Neque aduenientes, neque proficiſcens quemquam oſculo impertiuit, ac ne reſalutatione quidem.* Sic apud veteres primum manus, modo genua, modo veſtes aliquando magnorum virorum pectora, & capita honoris & obſequij gratia oſculabantur. Plutarch. in vita Bruti: *Aſſidentem C. Cæſarem cinxerunt officij ſtudio, omnes vno orantes, manuſque eius tangentes; qui pectus & caput*

caput osculabantur. Ammian Marcel. lib. 28. memorat; *Ex Senatoribus quosdam salutari pectoribus oppositis cœpisse, & osculanda capita in modum taurorum minantium obliquantes obtulisse*. Sed crescente adhuc adulatione tandem ad pedes deuenere oscula. De Caligula Suet. *Porrexit ad osculandum sinistrum pedem auro & margaritis*. A

Quinimo aduenientе seu abeunte Imperatore mos aliquando fuit prosternere vestimenta in via, qua erat ille processurus, vt in vita minoris Catonis refert Plutarch. *Finito tempore prouincia abeuntem non votis sed lachrymis & insatiabili amplexa milites prosequebantur sternentes vestes per ea loca, quibus ipse pedibus iturus erat; quod genus honoris non nisi Imperatoribus, idq; perpaucis eo tempore tribuebatur*. Et in Christi triumpho dicit Euangelista: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via*.

Non parcior apud Romanos hospitalitatis cultus fuit, quã Græcor & cæterarũ gentiũ, quarũ cũ Imperio non modo artes & disciplina in Vrbẽ, sed etiã mores & cõsuetudines inuexerunt: adeo peregrinus & aduenis vndiq; cõfluẽtibus antiqui hospitij iura meritò præ cæteris obseruauerũt; inde Roma omniũ patria dicta est: inde exteræ gentes & transalpinæ nationes inter Senatores in Vrbe admittebantur; vt in oratione Claudij inquid Tacit. lib. 2. *Hædui primi Senatorum in Vrbe ius adepti sunt. Datum id fœderi antiquo; & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vsurpant*: inde exteras quaslibet nationes bello victas, post victoriam ciuium numero Romanos adsciuere, in tutelam accepere, cognationeque & hospitio iunxere; vt teste Cicerone, Varrone, & Festo Hostem appellarint ab hostiendo, hoc est æquando; propterea quod inter ciues & perigrinos debeat esse æqualitas: vt ex Plutarcho in vita C. Gracchi quod Cornelia mater eius; *Ob hospitalitatem patebat mensa eius*. B

Legatorum hospitalitas.

Romanorum erga Legatos hospitalitas profecto insignis fuit, tantaque liberalitate in excipiendis vt per Vrbanum Quæstorem publicum hospitium, & munera, quæ *Lautia* dicebantur, etiam commeatus largè & hospitaliter, & vestimenta publico nomine præstarent; vt pluribus omissis comprobatur ex Valerio M. lib. 5. cap. 1. *Ante omnia humanissima & clementissima Senatus acta referam. Qui cum Carthaginensium legati ad captiues redimendos in Vrbem venissent, protinus illi nulla pecunia accepta, reddidit iuuenes numerum duum millium & septuagintarum quadraginta tribus explentes*. C

Deligebantur in Legatorum gratiam à Senatu viri celebriores, in publico nomine illos honorificè salutant, omnia illis humanitatis atque hospitalitatis officia deferunt ac pollicentur, in Vrbem introducunt, in ædes splendidas conducunt, illos honestis humanisque colloquijs exhilarare student: sic etiam Senatus cum ad gradulandum sibi Prusiam Bithyniæ regem, Perse defuncto, venire audijset, obuiam illi Pub. Corn. Scipionem Quæstorem Capuam misit: censuitque ei domus Romæ quam optimè conduceretur, & copiæ non solum ipsi sed etiam comitibus eius publicè præberentur: præterea cum sociorum legati vndique Romam confluerent, decretum quod Regum Municipiorum, & Coloniarum ad ædem Saturni diuerterent, ibique apud Præfectos ærarij nomina darent, & literis adscribi deberent; & cum commodum foret noscendi singulorum postulatis Senatus daretur, & post mandata singuli ad suas prouincias mitterentur. Cur verò ad Saturni templum? Aliqui factum putant, quia Saturnus cum esset peregrinus, hospitibus gauderet. Alij vt eorum nomina in publicas tabulas referrentur: erat namque apud ædem Saturni ærarium publicum. D

Legatis verò externorum principum antequam admitterentur, exploratores seu aliquis ex minoribus magistratibus obuiam mittebatur, qui & quæ peterent inquirerent; postea in æde Apollinis extra Vrbem, aliquando in æde Bellonæ Senatu habito eorum postulata admittebantur. Bellonæ

enim

A enim templũ ideo extra Vrbẽ, quia quos Deos virtua veteres obesse putabãt, in Vrbem diutius non admisere; sic ædes Vulcani, & Martis: sic Veneris Erycinæ extra Collinam magna mole extructæ fuerunt; ne libido inualesceret. Vitruuius lib. 1. cap. 7. *Extra Vrbem Veneris Fanum ideo collocatum, vti non insuescat in Vrbe adolescentibus, seu Matribus familiarum Venerea libido.*

Refert Liuius lib. 10. de Legatis Massiniſſæ. Prætor in singulos dona ne minus quinum millium, comitibus eorum millibus æris, & vestimenta bina Legatis, singula Comitibus. Ex Flauio Vopisco Imperator Seuerus Legatis septuagenos vicenos aureos dedit, facta potestate si qui vellent remanere, ac secum Romam redire. Legatos etiam largitioribus poculis inuitare solebat Bonosus ex Flauio Vopisco: *Nam Legati Barbarorum vndecunque gentium venissent, ipsis propinabat, vt eos inebriaret, atque ab his per vinum cuncta cognosceret.*

Essent plura referenda de Conuiuijs, quibus hospites excipiebantur, quæ quoniam abunde in præcedenti Capitulo iam dicta; ne repetantur ideo
B missa facimus.

Christiani primæui sæculi à Seruatore nostro edocti, adeo ad hospitalitatem propensi erant, vt peregrinos ad hospitium cõgerent, & penè traherent, veluti de discipulis euntibus Emaus, sacra testaturi historia: necnon celebres hospitalitatis sectatrices Martha & Magdalena, quæ sæpius Christum hospitem habuere; cæterique Christiani viri ac fœminæ primi sæculi, qui inuicem summa charitate hospitabantur. Meminit huius moris D. Augustin. in psalm. 75. *Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus Sanctis aduenientibus, magnum votum vouent.* Erant etiam Euangelizantium præcepta, vt D. Ambros. lib. 6. in cap. 6. Lucæ docet: *Vt pacem ferant, constantiam seruẽt, hospitalis necessitudinis iura custodiant: alienum à prædicatione regni cælestis asserant cursitare per domos, & inuiolabilis hospitii iura mutare. Sed vt hospitii gratia deferenda censetur: ita etiam si non recipiantur, executiendum puluerem, & egrediendum de ciuitate mandatur. Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hospitij, vt non solum pacem tribuamus hospitibus; verum etiam*
C *si qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigijs auferantur.* Hinc præceptum Clericis, vt sint hospitales. Hieronym. scribens Damaso Papæ: *Quidquid habent Clerici pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes; & quod ipsi Clerici susceptioni peregrinorum, et hospitum inuigilare & studere debent.* Essent in hoc plura addenda exempla in vitis Patrum, & Eccleſiaſt. Annal. quæ ne prolixior sim, omitto.

Priscorũ Christianorum hospitalitas.

Sed ne prisca tantum miremur: nostris quoque temporibus apud fideles Christi cultores omnia antiquæ hospitalitatis iura seruari ac vigere nemo negauerit. Roma vrbs veræ virtutis domicilium, & communis patria, euidentiora priscæ hospitalitatis vestigia censenda est reliquisse; vt clara eorum recentiora monumenta ad latietatem in oculos veniunt. Nec solum penes singularum nationum vniuersitates propriæ gentis aduenæ humanissimè excipiuntur; vt etiam à remotis partibus Præsules seu aliæ venerandæ personæ Romam aduenientes in Palatio Congregationis Fidei propagandæ hospitan-
D tur; necnon singuli sacerdotes & Clerici in altero Palatio Congregationis Pauperum Clericorum peregrinorum morantur: sed nusquam maiori studio exercetur hospitalitas, quam Romæ in celebri sanctissimæ Trinitatis Xenodochio in omnes cuiusque sexus & conditionis peregrinos Religionis voto Romam accedentes; cum omni anni tempore, tum præcipuè splendidiori apparatu imminentibus sacrosanctæ Resurrectionis Dominicæ ferijs. Vt quoque singulis diebus totius anni Iubilei (sicut in præsenti anno MDCL.) cuius veneratione frequentiores ex vniuerso Orbe affluunt ad Vrbem aduenæ: vbi non solum inter Confratres huius Archiconfraternitatis SS. Trinitatis mediocris conditionis homines; verum & Principes Eccleſiaſtici, Prælati,

& Emi-

& Eminentiſs. Cardinales peregrinorum commodis inuigilant, ac menſæ miniſterio inſeruiunt; etiam ſeſe ad pedum lotionem demittentes; præeunte nonnumquam in hoc ſummo Pontifice, vt ego oculatus teſtis anno M.DC. Iubilei memor ſum pluries ad idem miniſterium lotionis fel. record. Clementem VIII. paterna caritate inſeruiſſe, & ſingulari liberalitate ſuſtentaſſe; ac etiam ſequenti Iubilei an. M.DCXXV. eidem miniſterio inſeruiſſe fel. rec. Vrbanum VIII. Nec inferiore caritate id præſtant in eodem loco matronæ natalibus clariſſimæ recipiendo cuiuſcunque ſortis fœminas, quibus ſummâ pietate & inſigni cultus apparatu ampla deſtinata ſunt hoſpitia. A

Diximus ſupra in hoc capitulo conſueuiſſe priſcos Romanos, & Chriſtianos iam tum hoſpites inuitare, eoſque in priuatis & publicis hoſpitijs excipere, oſculo ſalutare: pedum lotioni miniſtrare, menſæ & alijs neceſſarijs inſeruire. Romæ autem hiſce temporibus noſtris in excipiendis hoſpitibus cum priſcorum magnificentia certat pietas, imò magno Chriſtianæ caritatis impulſu hæc ſanctiſſimæ Trinitatis Archiconfraternitas in huiuſmodi exercitia ſeſe diffudit per vniuerſum orbem; vt communi ſententia veterum Græcorum, Romanorum, aliarumque nationum exempla longè excedat. B

Lubet hic obiter indicaſſe, quod præcedentibus annis ad illum Iubilei MDL. ſanctus Philippus Nerius tunc viuens, reſpiciens ipſe cum alijs ſexdecim pijs perſonis aduenientes Romam pauperes Peregrinos ad inuiſenda ſacra loca, vt plurimum illos in vijs publicis tunc ſomnum capere, non inuenientes vbi requieſcerent: debile tunc illi dedere principium ad fundationem noſtræ huius Archiconfraternitatis ſanctiſſimæ Trinitatis in perigrinorum miniſterium, quam ſequentibus annis piorum eleemoſynis auctam, modo magnificentia per totum orbem ſplendentem videmus: dum cuiuſque ſexus & conditionis peregrini ibidem per quatuor ſaltem & vlteriores dies recipiantur, traditis eorum ſingulis hoſpitalitatis teſſeris, vt in hoſpitium ingredientes poſſint dignoſci, & ne confuſio ſequatur: adeo vt in anno Iubilei aliquando vno die decem, & duodecim peregrinorum millia omni humanitatis officio ibidem permaneant: ex quibus Confraternitates aggregatæ ac etiam aliæ inſigniores perſonæ particulari ſeceſſu ſplendidis conuiuijs excipiantur. C

Hoſpitum diſcedentium. Ritus.

Sed vt nos ad inſtitutum thema reuertamur. Commune erat apud cultiores gentes; vt diſcedentibus hoſpitibus in viam cibi darentur. Ita dimittitur à Neſtore lib. 3. Odyſſ. Telemachus.

Conda dedit mulier panem, Bacchique liquorem,
Atque cibos, comedunt Reges, quos rite beati.

Dabantur etiam munera nobiliora. Menelaus crateram argenteam diſcedenti Telemacho hiſce verbis obtulit.

Ecce tibi Cratera dabo, eſt argenteus ille
Totus, & aurato ſuffuſus labra metallo,
Vulcani labor, atque dedit quam maximus Heros
Sidonius mihi Rex.

Aureum cantharum Deorum Mater ſorori ſuę Deæ Syriæ hoſpitale munus obtulit. Apuleio teſte metam. libr. 9. Nero Claudius Tyridati Armeniæ Regi abeunti contulit ſeſtertium millies; nimirum quinquagies centena millia carolinorum ex ſupputatione Adriani Iunij. Item cum dimittebantur hoſpites ipſis Xenia tradebantur, quæ propriè Apophoreta. Stc Martialis libro 13. Xenia inſcribit, quæ non ſolum hoſpitibus ſed etiam amicis dabantur. Martialis igitur quia res mittendæ deerant, Diſticha conſcripſit quæ loco Xeniorum & ſuis ipſe amicis mitteret. D

Hoſpitibus pro munere diſticha mittas.

Erant etiam quædam præcepta, quæ diſcedentibus dabantur ſiuè ad vtilitatem ſiuè ad honorem conferentia, puta vt diſcedenti amico caueret ſibi

ab

A ab aliquo vitio. Nec inusitatum fuisse scriptoribus Lectori suo memoriam insinuare; ita namque in clausula Alexipharmacorum Nicander: *Nicandri Poetæ memor sis; sic fiet vt hospitalis Iouis legi non repugnare.*

Hodiè frequens & communis vsus est discedentibus viris clarissimis, vel Legatis, ac Oratoribus Principes munera dare: idem liberalitatis honor primum apud summum Pontificem adoleuit, dum sacras Reliquias Sanctorum, Numismata aurea & argentea plurimis ex præfatis Romam accedentibus prætiosa munera donat.

Si quem autem contracti hospitij pœnituisset, renunciare hospitium solebat, ne hospitij ius violaret. Sic in Verrem orat. 4. *Itaque vehementer iste Stenio infensus, hospitium ei renunciat.* Si quis autem ius hospitij violabat, tesseram hospitalem confregisse dicebatur: Plaut. in Cistell. *Abi quærere, vbi tuo iureiurando satis sit subsidii; hic apud nos Alcesimarche iam confregisti tesseram.* *Renuntiatio seu violatio hospitij.*

Denique vt aliquid nobis proficuum attendentes, hoc Capitulum obsigne- *Consideratio.*
B mus. Recogitemus quomodo Hebræis è Populo iam electo reprobatis, voluerit Deus pretium sanguinis Christi in nos fideles iam ex gentilitate conferre, quamuis exteros & peregrinos: quod nobis indicatur ex ipso Iudæorum concilio; dum illi ex triginta argenteis, quos reddidit Iudas Iscariotes, emerint agrum figuli in sepulturam Peregrinorum: quia cum essent pretium sanguinis, eos in Corbona, vel Gazophylacio inter dona Dei recondi nefas esse censuerunt Principes & sacerdotes: inito propterea consilio statuerunt, vt emeretur illis ager figuli, quo Peregrini qui in Vrbe è vita discedebant, sepulchroque carebant, in illo sepelirentur. Sub velo nempe typi significatur, precium sanguinis Christi non Iudæis indigenis, sed Peregrinis ideſt gentibus in eum credituris, profuturum esse.

Optimè Nouarinus in Matth. cap. 27. *Fraudulenter Principes sacerdotum cogitauerant, & decretaueranr illius pecuniæ summam in vilissimæ & abiectissimæ rei vsum expendere, in sepulturam scilicet militum aliorumque pauperum, &*
C *ignobilium gentilium; vt hac ratione Christi memoriam ad necem empti, & suam ipsorum impietatem emptione sepulturæ sepelirent. Sed aliter Dei prouidentia factum, Ager quippe ille emptus æternum monumentum factus est sceleris ipsorum: si in corbonam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset; nunc vero prædio empto ad posteros rem vniuersam, vel aliud cogitantes transmiserunt, vt hinc cogitaremus ægrè celari Sacerdotum & Principum consilia posse.*

Mirum est quod de hoc agro scribunt Broccard Niceph. Saligniacus; & ex his Andricomus in descriptione Hierusalem num. 216. pag. 173. hisce verbis. *Cum iussu Imperatricis Helenæ de hoc agro quantum terræ ducetum & septuaginta, vt aiunt, naues capere poterant, Romam aduectum, ac iuxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum sit, quem incolæ Campum Sanctum vocitant, licet cælum mutarit, eamdem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim respuens, sola Peregrinorum corpora ad sepulturam admittit: quorum etiam hic omnem carnis substantiam intra viginti quatuor horas prorsus consumit, ossibus tantum residuis.*

D Diximus hæc de Hospitalitate, ex quibus plura desumpsi ab eruditissimo & elaborato opere iam in lucem edito De Hospitalitate per Reuerendissimum D. Iacobum Philippum Tomasinum Episcopum Aemonienſem, cui ego egregijs eius dotibus intima adstrictus amicitia plurimum me debere fateor.

De Funeribus Romanorum. Cap. XXI.

A

EX priſcorum Romanorum antiquitate, omiſſis Funerum Ritibus exterarum nationum, collegi, & lectitaui res tetras, ac friuolas; nempe mulierum præficarum voces, quæ mercede conductæ, Nænijs aliena funera emptis lacrymis decorabant, & ſimilia.

Putarunt ſiquidem Ethnici, quod omnis vita, aut Fortuna terminaretur, vt in Didonis perſona Virg. 4. Aeneid.

Vixi, & quem dederat curſum Fortuna, peregi.

Vel Fato conſtitueretur, vt in 2. Aeneid. cum de Priami morte loquitur Poeta.

Hæc finis Priami Fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit.

B

Nos autem, qui veram Religionem agnoſcimus, diuinæ diſpoſitioni terminum vitæ tribuimus Iob. 14. *Numerus menſium eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Et hoc vitæ termino peracto mors illico properat: parcere neſcia, non ligonibus, non ſceptris, non ſago, non purpuræ: & imparatum, & alia omnia cogitantem abripit, ignara dignitatum, opum, iuuentutis, & miſereri ignara, flecti neſcia, & ſiſtit nos iudici olim Patri, nunc Iudici tantum. O vbi cogitationes noſtræ? Vtinam ad vitam ſint, quæ de morte adducimus: erunt, ſi ſeriò mortem cogitet Lector, & ea quæ de mortuis ſunt ſcripta, altè ſuo pectori inſcribat; vix tunc in ijs aliquid non vitale reperiet, qui totus in mortis cogitatione eſſe reperitur.

Propinqui adſidebãt morituro.

Peracto igitur vitæ curſu Romani conſtituerunt omnibus funeris Ritum. Primũ Propinqui circũſtantes morientis lecto adſidebãt, cum iam deficere videretur, ignemque amitteret, & frigeſceret, quo vltima illius verba attẽtiores exciperent: nam diuino aliquo inſtinctu inflatuque incitatus morientium animus credebatur, qui vrgentibus fatis perfectionem haberet futurorum quamdam prædictionem, & præſentionem; ſcriptores omnes verba illa quam maximè obſeruarunt; inter hos Suetonius in Auguſto cap. 99. quem in oſculis Liuiæ, & in hac voce deteciſſe tradit: *Liuia noſtri coniugij memor Viue, & Vale.* Morientis Bruti verba præteriti temporis recordatione ſtudioſos virtutis tangent. Dion lib. 47. *O miſera virtus: ego te tanquam rem aliquam exercui: Tu vero ſeruis fortunæ.* Quod forſan ſuccedet, dum tempora erunt inimica virtuti.

Inter vltima morientis verba, complexus, & oſcula; ſi quis præſens carior morienti eſſet, annuli ei tradebantur quem vt plurimum ſcribebat Hæredem. Val. Maximus lib. 7. cap. 9. quod tamen nihil ad inſtitutionem profuit, niſi teſtamento probaretur, & firmaretur, vt Papiniani reſponſo deciditur l. cum Pater §. Pater pluribus de Legat. 2.

Refert Gyraldus de vario ſepeliendi ritu. Quod Morientis ſpiritum etiam propinquorum, vt mater, frater, ſoror excipiebant. Tullius action. 10. in Verrem. *Patres iacebant in limine, matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberorum excluſæ, quæ nihil aliud orabant, niſi vt filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret.* Sororem Didonis Annam Virg. introducit, quæ.

D

Extremus ſi quis ſuper halitus erret:
Ore legat.

Quod etiam viri præſtiterunt, vt Pœdo in verſibus ſuis.

Soſpite te ſaltem moriar Nero, tua mea condes
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.


Morien-

A Morientem nomine proprio magno cum clamore vocabant. Seruius in 4. Aeneid. cum primum illum putabant obijſſe: tum illius claudebant oculos, & mos fuit parentibus, cum morerentur liberi, oculos claudere, vt liberis Parentes. Martialis lib. 10. Epigram. 63.

Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:
Clauſerunt omnes lumina noſtra manu.

Et quamuis lex Mæuia præciperet, Ne filij parentibus luciclaro fugillent oculos, vt ait Varro in Geminis apud Nonium; eiuſdem tamen legis ſenſum hunc putat eſſe Ant. Auguſtinus lib. de Legibus Ne oculos clauderent; quod per tranſlationem fortaſſe dictum eſt; ne illorum mortem maturarent.

Poſteà repetiti plangores, & paululum, ſi intermiſſi eſſent, mortui virtutes præcipuè memorabantur, noui luctus incitamenta: occurrebant ſermo-




n… …facerent; oppreſſo
ig… …metamorph. quoniam vt ait Seruius,
Lug… …a lux; quia caruerunt ea ij, quos lugent, vt voluit
Cicero 1. Tuſcul. Ex illo fonte varia, & deteſtabilia genera lugendi promanarunt, lacerationes genarum, pectoris tunſiones, capitis percuſſiones, quibus ſe gratum mortuis facere exiſtimabant, Dijſque Inferis facilius ſatisfacturos, ſi ſe afflictos, & ſtratos eſſe faterentur. Cicero 3. Tuſcul. Et talibus inſanijs leges 12. tabul. ceſſerant. Varro apud Seruium 3. Aeneid. Gy-
D raldus de Vario ſepeliendi Ritu.

In luctu nares, aureſque ſibi mutilaſſe aliquos, indicat Plutarch. Orat. conſolat. ad Apollonium. *Sunt inter barbaros qui ſe membris aliquibus mutilant naribus, ac corpus reliquum flagris cædunt; quod defunctis rem gratam ſe facere putent.* Et de Fœminis Aegyptijs quæ mamillas ſuas nudantes, mortuos ſuos proſequebantur. Herodot. lib. primo ait. *Vagantes ipſæ per vrbem, ſe percutiunt ſuccinctæ, ac nudatis mamillis.* Ac etiam Fœminæ brachia cruẽtabant, crinem pendebant, vt ſcribit S. Baſilius Seleciæ Epiſc. Orat. 40. *In luctu brachia cruentant. crinem conueliunt, altè ſulcos per genas agunt.* & infrà. *Nonnullis mens adeo profligata eſt, vt nudæ brachia medio ferro volitent:*

quod per tranſlationem fortaſſe dictum eſt; ne illorum mortem maturarent.

Poſteà repetiti plangores, & paululum, ſi intermiſſi eſſent, mortui virtutes præcipuè memorabantur, noui luctus incitamenta: occurrebant ſermo-



pag. 342. cap. 21.




pag. 342. cap. 21.

rent.
virtu-
ermo-



242. Cap. 21.



pag. 342. cap. 21.

De Funeribus Romanorum. Cap. XXI.

EX priſcorum Romanorum antiquitate, omiſſis Funerum Ritibus exterarum nationum, collegi, & lectitaui res tetras, ac friuolas; nempe mulierum præficarum voces, quæ mercede conductæ, Nænijs aliena funera emptis lacrymis decorabant, & ſimilia.

Putarunt ſiquidem Ethnici, quod omnis vita, aut Fortuna terminaretur, vt in Didonis perſona Virg. 4. Aeneid.



Morientis Bruti verba [illegible] gent. Dion lib. 47. *O miſera virtus: ego te tanquam [illegible] vero ſeruis fortunæ.* Quod forſan ſuccedet, dum tempora erunt inimica virtuti.

Inter vltima morientis verba, complexus, & oſcula; ſi quis præſens carior morienti eſſet, annuli ei tradebantur quem vt plurimum ſcribebat Hæredem. Val. Maximus lib. 7. cap. 9. quod tamen nihil ad inſtitutionem profuit, niſi teſtamento probaretur, & firmaretur, vt Papiniani reſponſo deciditur l. cum Pater §. Pater pluribus de Legat. 2.

Refert Gyraldus de vario ſepeliendi ritu. Quod Morientis ſpiritum etiam propinquorum, vt mater, frater, ſoror excipiebant. Tullius action. 10. in Verrem. *Patres iacebant in limine, matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberorum excluſæ, quæ nihil aliud orabant, niſi vt filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret.* Sororem Didonis Annam Virg. introducit, quæ.

Extremus ſi quis ſuper halitus erret:
Ore legat.

Quod etiam viri præſtiterunt, vt Pœdo in verſibus ſuis.

Soſpite te ſaltem moriar Nero, tua mea condes
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Morien-

A Morientem nomine proprio magno cum clamore vocabant. Seruius in 4. Aeneid. cum primum illum putabant obijsse: tum illius claudebant oculos, & mos fuit parentibus, cum morerentur liberi, oculos claudere, vt liberis Parentes. Martialis lib. 10. Epigram. 63.

Quinque dedit pueros, totidem mihi Iuno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manu.

Et quamuis lex Mæuia præciperet, Ne filij parentibus luciclaro fugillent oculos, vt ait Varro in Geminis apud Nonium; eiusdem tamen legis sensum hunc putat esse Ant. Augustinus lib. de Legibus Ne oculos clauderent; quod per translationem fortasse dictum est; ne illorum mortem maturarent.

Posteà repetiti plangores, & paululum, si intermissi essent, mortui virtutes præcipuè memorabantur, noui luctus incitamenta: occurrebant sermones eiusdem iucundi, conuersatio hilaris, officiosa pietas, vt oculi velut in gaudio relaxarentur. Senec. Epist. 99. Deinde ad oscula, & complexus mortui concurrebant. Senec. ad Heluiam cap. 3. *Filium in manibus, &*
B *in osculis tuis funeraueras.* & recens auctor in proposito. *Affligoque manus, oraque ad ora fero.*

In legibus 12. tabul. Minuendi sumptus, lamentationesque funeris tollendi. *Mulieres genas ne raduntο, neue Lessum funeris ergo habento*; quod id ipsum Cicero 2. de Legibus explicans, vestimenti aliquod genus funebris esse, quasi lugubrem eiulationem dicta lex vetet, vt etiam intellexit. Plautus in Truculento.

Thetis quoque etiam
Lamentando Lessum fecit filio.

Propterea fœminis olim luctus tempus erat constitutum, vt annum non excederet, viris nullum: quod tangit Seneca epist. 63. *Annum fœminis ad lugendum constituere maiores, non vt tandiu lugerent, sed ne diutius; Viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. Quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis vix rttractis à rogo, vix à cadauere reuulsis, cui lachrymæ in totum*
C *mensem durauerint?* Quasdam matres à filiorum obitu vsque ad finem vitæ signa tristitiæ produxisse indicat Seneca de Consolat. ad Heluiam cap. 16. *Non est, quod ad fœminas quasdam respicias, quarum tristitiam semel conceptam mors finiuit. Nosti quasdam, quæ amissis filijs, imposita lugubria nunquam exuerint.*

Lugentium scena, & ostentatio doloris ea fuit, vt in luctu familia omnis intus clausa, sciissis vestibus, promissa barba, intonsa coma; matronæ crinibus solutis, & antependulis, humi prostratæ iacerent; oppresso igne, Lucernis extinctis ex Apuleio 2. metamorph. quoniam vt ait Seruius, Lugentibus ideo inimica lux, quia caruerunt ea ij, quos lugent, vt voluit Cicero 1. Tuscul. Ex illo fonte varia, & detestabilia genera lugendi promanarunt, lacerationes genarum, pectoris tunsiones, capitis percussiones, quibus se gratum mortuis facere existimabant, Dijsque Inferis facilius satisfacturos, si se afflictos, & stratos esse faterentur. Cicero 3. Tuscul. Et talibus insanijs leges 12. tabul. cesserant. Varro apud Seruium 3. Aeneid. Gy-
D raldus de Vario sepeliendi Ritu.

In luctu nares, aureisque sibi mutilasse aliquos, indicat Plutarch. Orat. consolat. ad Apollonium. *Sunt inter barbaros qui se membris aliquibus mutilant naribus, ac corpus reliquum flagris cædunt; quod defunctis rem gratam se facere putent.* Et de Fœminis Aegyptijs quæ mamillas suas nudantes, mortuos suos prosequebantur. Herodot. lib. primo ait. *Vagantes ipsæ per vrbem, se percutiunt succinctæ, ac nudatis mamillis.* Ac etiam Fœminæ brachia cruëtabant, crinem pendebant, vt scribit S. Basilius Seleciæ Episc. Orat. 40. *In luctu brachia cruentant. crinem conuellunt, altè sulcos per genas agunt.* & infrà. *Nonnullis mens adeo profligata est, vt nudæ brachia medio ferro volitent:*

Quod de mulieribus ignobilibus tantum idem ſanctus de ſuo tempore intelligit. Scribit hoc idem S. Chryſoſt. homil. 3. in epiſt. ad Philipp. ibi, *Deflea-mus defunctos, ſed non præter decorem, non capillos euellentes, non brachia nudantes, non faciem lacerantes, non nigris nos veſtibus obuelantes, ſed in animo dumtaxat amaras lachrymas tacitè fundentes.* Dilacerata veſtes & puluerem capiti aſperſum indicat etiam Lucianus de luctu. *Ad hæc fletus, & eiulatus mulierum, & in omnibus lachrymæ, & pectoris planctus: capilli euelluntur, Genæ couentantur: alicubi etiam veſtis dilaceratur, puluis capiti inſpergitur; adeoque ipſi viui miſerabiliores defuncto, qui ſæpè humi volutantur, capita ſolo allidunt At mortuus elegans, & pulcher, atque mirificè coronatus, ſublimis, & velut ad pompam adornatus effertur.* In luctus argumentum etiam barbam antiqui ponebant, radebantque vxorum capita Suet. in Calig. ibi. *Regulos quoſdam ferunt barbam poſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus.* Hunc morem alicubi mutatum, adeo vt comam nutrire luctus indicium fuerit D. Hieronymus lib. 2. in Ierem. cap. 8. *Apud veteres hæc erat omnium conſuetudo lugentium, tondere omnem cæſariem; & nunc è contrario comam demittere luctus indicium eſt.* Supercilia quoque in luctu nudabant. Artemidor. libro primo cap. 27. *Vetus mos eſt in luctu ſupercilia nudare.* Adeo prædictæ ethnicorum inſaniæ comprobantur; vt inhibuerit Deus, ne in ſuorum morte inciderent ſibi carnes, figuraſque aliquas, aut ſtigmata facerent, vt in Leuit. capite 19. *Super mortuo non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas aut ſtigmata facietis.* Vbi lâtè Abulenſis quæſt. prima & 27. pectus quoque percutiebant non ob pœnitudinem ſolum ſed inſignum luctus. Statius in Syluis lib. ſecundo.

Veſtes & pectora rumpis.

Et Petron. in Satyr. *Lacerauit vehementius pectus.* Inde quod legimus apud Lucam cap. 23. multos in Chriſti morte ſua pectora percuſſiſſe; non ſolum pœnitentiæ ſignum fuiſſe aliqui putant, ſed & luctus indicium, vt voluit Beda in illũ locum. Antiqui moris etiam fuiſſe, vt ij qui mortuos deflerent, ſe ſuper illa cadauera proijcerent. Oleaſt. in cap. 23. Geneſis. *Abraham à ſuper facie mortui ſui; ideſt à ſuper mortuo ſuo; ſolent enim qui mortuum plangunt, iactare ſe ſuper cadauer.* In ſuorum funere aliquos ſe in foueas abdidiſſe ne ſolem aſpicerent, indicat Plutarch. Orat. Conſolat. ad Apollonium ibi. *Nam eorum aliquos tradunt hiſtoriæ, abdere ſe in foueas, ibique complures dies hærere, ne ſolis lumen aſpiciant, quod eo quoque qui defunctus eſt ſit orbatus.* Ac etiam in ſpeluncas & vmbroſas domos ab aliorum conſpectibus ſe abſcõdebant. Ælianus lib. 12. Var. hiſt. *Sac. cum in luctu verſantur, in ſpaluncas vmbroſaſq; quaſdam domos ſe abſcondunt.* Porrò in noſtrorum morte planctus comprimendus, quoniam vt in quit Dionyſ. Carthuſ. in ep. prima ad Theſſ. *Non pereunt nobis proximi noſtri per mortem.* Quod ſi mortui plangendi, illi plangendi, qui peccantes moriuntur in aninma S. Auguſt. in Pſal. 37. inquit *Audite fratres: Chriſtiani ſumus, ſi filius cuiuſquam moriatur, plangit illum; ſi peccet non illum plangit: Tunc plangeret, tunc doleret, cum peccantem videret.*

Lauabans & Vngebant.

Lauabant Mortuorum cadauera propinquiores, & vngebant, vt eſt notum ex Gyraldo vbi ſupra, inquit Poeta,

Teque meæ poterant vngere nate manus.

Lauabantur corpora Defunctorum, quod ſi vitales ſpiritus eſſent ſopiti nec extincti reuiuiſcerent; vt Cornelius Celſus in præfatione 10. libri refert, & Seruius in 6. Aeneid. inquit. *Quod videlicet plerumque putetur excluſus vitalis ſpiritus, qui calida aquæ ablutione, veluti ſopitus excitatur.*

Vnguenta autem in funeris cauſa iure Ciuili computantur L. funeris D. de Relig. Vt ſi odores. & vnguenta ſeruus emerit, & ad funus erogauerit, quod ad Dominum ſuum pertinebat, in rem Domini verſum videbatur lib. 7. ſ. illud placet. De in rem verſ. Ad quam vnctionem lepidè ludit Martialis libro 3. Epigr. 12.

Qui

A *Qui non cœnat, & vngitur Fabulle,*
Hic verè mihi mortuus videtur.

Talis vngendi vſus ab Aegyptijs ad Hebræos, & alias nationes tranſlatus, vt in Geneſi cap. 50. De quo etiam Plato in Phædone inquit: *Corpus enim ſeruatum, & rebus quibuſdam ad durationem curatum (quemadmodum in Aegypto faciunt) incredibile quoddam tempus fermè integrum manet, quia etiam ſi putreſcat, tamen nonnullæ corporis partes, oſſa videlicet, & nerui, atque ſimilia (vt ita dicam) immortalia permanent.* Ac etiã Herod. l. 2. idẽ refert de Aegyptijs diſtinguens tria condimentorum genera iuxta perſonarum conditiones. Et Tacitus lib. 5. teſtatur Hebræos non comburere cadauera, ſed illa ſecundum morem Aegyptiorum vnguentis condere conſueuiſſe.

Qui autem funera curabant Libitinarij dicebantur à Libitina Dea nuncupata, quam ſepulchrorum Præſidem Romani habuere. Gyrald. de Vario ſepeliendi Ritu in princ. in cuius templo, quæ ad ſepulturas neceſſaria eſſent, curarent, eamdemque cum Proſerpina, & Venere fuiſſe arbitrati ſunt. Plu-
B tarch. in Numa, & apud illos morientium nomina edebantur. Suet. in Nerone cap. 39.

Libitinarij munus non ita ſordidum, quin & ſplendorem aliquem retinuerit, vt apud Val. Maximum lib. 5. cap. 2. Quinimo ipſi Libitinarij ſeruos ad hoc miniſterium multos habuerunt, qui ipſi vt honeſtiores deſignatorum munere fungebantur; nempe magiſtri pompæ, qui à Libitinarijs non ſeparantur. Seneca de Beneficijs lib. 6. c. 38. Gutherus de Iure Manium lib. 1. c. 15.

Sunt autem prædicti Miniſtri in primis Pollinctores; ſic vocati, quod Pollincere, funus curare ſignificaret, nempè Lauando, & Vngendo, quo verbo vſus eſt Plautus in Pœnulo ibi: *Eorum alter viuit, alter eſt mortuus, quia mihi Pollinctor dixit; qui eum pollinxerat.* Præficæ planctus principes non doloris; ſunt & Veſperones mox Veſpillones, qui mortuos in lecto efferebant ad ſepulturam, vt Lecticarij in lectica; ſic dicti quod Veſperi ſepeliebantur olim vita functi. Sandapilarij à Sandapila feretro viliorum. Vſtores infimæ
C ſeruitutis, & miſeræ conditionis. Cuſtodes cadauerũ, qui ad mortui cadauer pernoctabant. Fuit quoque Piatrix Sacerdos funeſtam domum expurgare ſolita certo ſcoparum genere, dum mortuus ad ſepulturam ferebatur. De his omnibus vide Gyrald. dicto lib. de Vario ſepeliendi ritu, & Gutherum de Iure Manium lib. 1. cap. 15.

Vbi quis extinctus eſſet, diebus ſeptem domi illius corpus aſſeruabatur, & curabatur lauando, vngendo, oſculando, complorando, conclamando, vt diximus: octauo die funus procedebat, & corpus incendebatur, nono ſepeliebatur; & ſi qui Ludi in mortui honorem fierent, ab eo Nouendiales ſunt appellati. Gyraldus dicto libr. citato & Gutherus dicto lib. 1. cap. 16. Nouendiales illas ferias aliqua ex parte à Chriſtianis etiam ſeruatas. ex noua Conſtitutione Iuſtiniani cap. 115. qua omnis exactio Creditorum funeſtæ familiæ diebus nouem ceſſabat: prædictam tamen veterem in noſtris ſuperſtitionem arguit D. Auguſt. in quæſt. ſuper Geneſim: *Neſcio (inquit) vtrum inueniatur alicui ſanctorum in ſcripturis celebratum eſſe luctum nouem*
D *dierum, quod apud Latinos Nouendiale appellatur.* Gutherus d. cap. 16.

Curatio cadaueris.

Membris omnibus, vnguentis & odoribus reſperſis; tunc mortuus conclamabatur, ex Terent. in Eunucho, & ibi Donatus, & alij notant: *Deſine, iam conclamatum eſt.* Nempe quia nihil habent reliqui ad longioris vitæ officia.

Facta Conclamatione, dein albo linteo Corpus inuoluebatur, & componebatur, vt notatur ad Perſium Satyr. 3. Exin pretioſa veſte ſtragula ornabatur, qua etiam Pauperes exponi ſolebant; & propterea Superbi Mortui dicebantur. Plautus in Ampitr. Mercurius Soſiæ; *Faciam ego hodie te Superbum, ni hinc abis.*

Mor-

Stipes in ore. Mortuo compoſito in ipſius ore ſtipem ponebant, Charonti Portorium, & Naulum, quod eſt pretium ſoluendum pro vectura nauis ei, qui nauem exercet l. cum ſeruos §. fructus de Legat 1. Apuleius ſic ait 6. Metamorph. *Hinc ſqualido ſeni dabis Nauli nomine de ſtipibus, quas feres alteram, ſic tamen vt ipſe ſua manu de tuo ore ſumat.* Hinc Virg. 6. Aeneid. A

Inops, inhumataque turba.

Nempe inops, quia Naulum perſoluere non poſſet.

Productio cadaueris. Cadauer poſtea producebatur. Virg. 11. Aeneid.

Recepitque ad limina greſſum
Corpus, vbi exanimi poſitum Pallantis Acetes
Seruabat ſenior.

Hi propriè corporum Cuſtodes ex Libitinariorum familia conducebantur.

Circum omnis, famulumque manus, Troianaque turba,
Et mœſtæ Iliades crinem de more ſolutæ.

Domeſticorum turba thorum circumſtabat veſtitu lugubri, & adueniente aliquo luctum inſtaurabat: quod in perſona Aeneæ ſeruatum eſt ibi, dum ſequitur: *Hæc vbi defleuit tollit miſerabile Corpus imperat.* Sic Manes adorari dicebantur, cum quis illos alloqueretur. Seneca epiſt. 86. *In ipſa Scipionis Africani villa iacens, hæc tibi ſcribo, adoratis manibus eius, & Ara.* Gutherus lib. 1. cap. 18. B

Cupreſſus. Cupreſſus Potentiorum ianuas in luctu comitabatur, funeſtamque domum indicabat, ne quiſquam Pontifex per ignorantiam ingreſſus pollueretur. Seruius in 3. Aeneid. Aliter Varro dicit: *Pyras ideo Cupreſſo circumdari propter grauem Vſtrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumſtantis corona.* Feſtus aliam huius ritus cauſam adducit, dum ait: *Cupreſſi mortuorum domibus ponebantur, quia huius generis arbor exciſa non renaſcitur, ſicut ex mortuis nihil eſt ſperandum.* Non promiſcuè omnibus, ſed diuitibus tantum adhibitam Cupreſſum cenſet Lucatius ad Thebid. 4 ibi: *Cupreſſus adhibetur locupletum funeribus.*

Indictio exequiarum. Funebri arbore ornata domo, & producto corpore honeſtiorum exequiæ per præconem indicebantur. Indictionis formula ex Varrone lib. 4. & 6. de lingua Latin. & Feſto in verbo. Quiris: *Ollus Quiris letho datus eſt, ad exequias, quibus eſt commodum ire, iam tempus eſt: Ollus ex ædibus effertur.* C

Pauperum funus. Vulgare funus Pauperiorum fuit, qui tamen loti, vncti, conclamati, & defleti ſine pompa & graui ſumptu Sandapila veſperi per Veſpillones exportabantur. Martial. epig. 75. lib. 8.

Quatuor inſcripti portabant vile cadauer,
Accipit infelix, qualia mille rogus.

Vſtrina publica, fuit vbi illorum Cadauera vrerentur. Horat. 1. ſerm. Satyr. 8. & publico ſepulchro condebantur in Exquilijs extra portam Mœtiam, quæ Exquilina dicta eſt, vbi pauperum cadauera ponebãtur, & Sontes pœnas capite luebant, vt ex Plaut. in Caſſin. *Ille ædepol videre ardentem te extra Portam Mœtiam.* Ideſt in Vſtrina combuſtum.

Fuere quoque funera Ordinaria, & Indictitia, ſed de ijs conſule Gutherum allegatum cap. 20. & 21. D

Maiorum imagines. Maiorum Imagines in luctu exponebantur, & ex ijs Carolus Sigonius de Antiquit. Iur. cap. 20. ſcribit Eos apprime nobiles fuiſſe, qui maiorum Imagines habuiſſent: homines nouos, qui ſuas tantum: qui nullas ignobiles illos. Quæ, & quales fuiſſent Imagines illæ cum Coronis, vide prædictum Gutherum cap. 22.

Cantus. Mortuos cum Cantu ad ſepulturum proſequebatur, inducti perſuaſione, quod corpore extincto animæ ad Cælum redire crederentur dulcedine muſicæ: Macrob. lib. 2. in Somno Scipionis cap. 3. Quare plangebant flebile carmen, quod in exequijs à Præfica præcinebatur, & à propinquioribus,

vel

A vel ijs, qui ad hanc rem conducti essent, cantabatur ad Tibias. Hæ Neniæ canebantur inter ludos, Sueton. in Iulio cap. 84. ibi: *Inter ludos cantata sunt, quædam ad miserationem, & inuidiam cædis eius accommodata*. Et quod tales tubæ, seu tibiæ funeri inseruiret Propert. elegia vltima lib. 4. & Guth. c. 23. & tali more Gentilium adhibendi Tibicines in funeribus, non solum vsos Latinos, & Græcos, verum & Hebræos, non autem Christianos, refert Baron. in annum 31. vbi Spondan. in Epitom. num. 28.

Post Tibicines progrediebantur qui munera ferebant propinquorum nec non Amicorum, odores, vnguenta, epulas, vestes Statius: *Dona malæ feralia pompæ*. *Munera ac etiã pompa funebris.*

Præterea in fronte præposita thoro effigies, quæ mortui vultum exprimebat. Toga prætexta si vir esset Consularis, purpura si Censorius, picta si triumphalis; exin funebres lectuli procedebant, vt sexcentos Augustus in Marcelli exequijs protulerit. Seruius in 6. Aeneid. etenim Coronæ lectulis ferebantur.

B



C Solitas enim fuisse ciuitates coronas, seu Coronarium mittere in occasione etiam tristi. Appianus in Sullæ funere, supra bis mille coronas aureas, magna celeritate confectas, prælatas scribit: dona Ciuitatum, aut Legionum; quibus præfuerat. Præferebant etiam in funere Magistratus insignia, aliaue quæ Pompæ amplitudinem commendarent; sicuti etiam Virgilius indicauit in funere Miseni, quem Aeneas sepelijt: *Imponit suaque arma viro remumque, tubamque*. Nam remum & tubam dat, præsignificans Poeta, locum illum Miseni portus, vbi Misenus sepultus, hunc futurum, vbi & Remiges, & milites in classe essent futuri.

Olim funera apud Romanos dignitatum & honorum insignia illius præcedebant, qui illis honoribus esset perfunctus: Polybius lib. 6. inquit: *Fasces & secures, & reliqua principalibus consueta secundum dignitatem cuiusq; præcedunt in funere Romanorum, qui dum in viuis essent, in Republica eminebant.* Et Gladij defunctorum capitibus suppositi in signum masculæ virtutis. Lyranus in cap. 32. Ezechielis: *Et posuerunt gladios suos sub capitibus suis*, inquit: D *Antiquitus in sepulcris talium ponebantur eorum gladij ad caput sepulcri in signum, quod non fuerint in bello deuicti*. Vt etiam apud profanos seruatum: Thucidides l. 5. ait: *Cum armis publicè sepelierunt in Vrbe ante forum, quod nunc est, & monumentum eius sepientes, vt heroi faciunt*. Quod etiam ad tempora posteriora deuolutum vt refert Monachus Engolismensis in vita Caroli Magni; sepultum fuisse ense aureo, scuto & sceptro, vt etiam aurea catena, & quod pietatem redolet, Euangelium & lignum Crucis tenens in manibus. Mos etiam apud Athenienses vigebat, vt hastam efferrent in funere eorum, qui violenta morte sublati fuerunt: Suidas inquit: *Vsus ait: moris fuisse Athenis, vt cognati eorum, qui violenta morte obijssent, in efferendo funere hastã adhi-*

adhiberent, aut in tumulo defigerent, eaq; ratione interfectoribus vltionem de- A
nuntiarent.

Procedebant in funere deinde Liberti, quorum maior frequentia Teſtatoris benignitatem præferebat, & in funeris elatione magna Pileatorum turba præcellebat, quia ijs nouis Ciuibus Teſtator Vrbem illam terrarum Dominam funeſtare videbatur: hoc genus hominum vocat Perſius ſatyr. 3. *Induto capite heſternos Quirites*. Conſtituit enim Imperator l. vnica §. ſed & qui C. de Latin. Liber. tollend. quod qui Domini funus Pileati antecederent: ſi hoc voluntate teſtatoris fieret, vel hæredis, illico fierent Ciues Romani: ſic Pilei impoſitione Liberti Orcini facti ſunt l.10. C. de Manum. teſtam. Archimimus ſequebatur Libertos, qui perſonam mortui fingebat, & imitabatur, Sueton. in Veſpaſiano c.19. Archimimo igitur prætereunte à filijs plerumque, aut honoratis viris lectus funebris portabatur, vt de Metello Plin. l.7. cap.47. Paterculus lib.2. Pauli Aemilij funebri lectulo ſe ſponte ſua Macedonum legati ſubiecere, Val. Maximus l.2. c.10. Funus ducebat funeris Præ- B
ſes, cui hæc cura teſtamento delegata eſſet, vel illam vltro ſuſcepiſſet, vt M. Antonius in Iulij Cæſaris funere, in quem M. Tullius Philipp.2. inquit: *Tu funeri Tyranni illius ſceleratiſſimi præfuiſti? tua illa pulchra laudatio? tua miſeratio? tua cohortatio? Tu illas faces incendiſti? & eas, quibus ſemiuſtum latus illius eſt, &c.* Ductor funeris prætexta pulla indutus, ſi filius eſſet aperto capite, Patrem efferebat, filiæ crinibus ſparſis: mulier reliquum funus faciebat magno fœminarum comitatu, defunctique nomen vocabat canora voce, Propert. lib.4. eleg. 10. Poſtremo agmine turba omnis obſoleto veſtitu ambulabat, qua funus claudebatur. Apuleius lib.4. floridorum. Longo ordine tædæ vndique lucebant. Plin. lib. 16. cap.37. & pueros maximè ad faces, & cereos efferri ſolitos, Senec. epiſt.122. *Iſti mihi defunctorum loco ſunt: quantulum enim à funere abſunt; & quidem acerbo; qui ad faces, & cereos viuunt.*

Faces in funere. Prophanos etiam protuliſſe faces in funeribus apparet ex C. Tacito lib.3. C
hiſt. *Dies quo reliquiæ tumulo Auguſti inferebantur, modo per ſilentium vaſtus, modo ploratibus inquies, plena Vrbis itinera, collucentes per Campum Martis faces.* Et Sueton. in Caligul. cap. 13. *Et funus Tiberij proſequens, tamen inter altaria, & victimas, ardenteſque tædas.* Virgil. lib.11. Aeneid. dum agit de Pallantis funere.

——— Et de more vetuſto
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, & latè diſcriminat agros.

Plinius lib.16. cap.37. ſcriptum reliquit; Cirporum candelas funeribus ſeruire: è quibus detracto cortice candelæ luminibus & funeribus ſeruiunt. Quod etiam in vſu fuiſſe à principio naſcentis Eccleſiæ, nos diximus in lib. De Veteribus Chriſtianorum Ritibus.

Defunctum in exequiarum proſecutione deflebant in foro, per quod pompa omnis ducebatur, Plautus in Monſtella: *T. numquid proceſſit ad forum tibi hodie noui? S. Vidi efferri mortuum.* A foro in Roſtra aſcendebat, qui laudatione funebri viri virtutes enarraret, Senec. epiſt. 102. *Nemo dicit laudem funebrem, ſed laudationem, cuius officium oratione conſtat*: Seruius 11. Aeneid. *Laudes defunctorum viuentium exhortatio eſt.* Pater filium, filius patrem, maritus vxorem, aut qui proximior, vel amicus eſſet, mortuum laudabat, niſi ex publico officio, atque ex S.C. Magiſtratibus mandabatur: maximè ſi quis pro patria in bello cecidiſſet: Quintil. lib.3.cap.7. Guth. d. lib.1. cap.25. D

Poſt laudationem Libitinenſi porta cadauer efferebatur ad Rogum, Seru. lib.11. Aeneid. inquit, quod *Pyra eſt extructio lignorum; Rogus cum iam ardere cœperit: Buſtum cum iam exuſtum eſt.* In Rogum mortuo illato conſcendebat propinquior, vltimumque illi vngendi, & oſculandi officium conferebat.

Valerius

A Valerius Maximus lib. 4. capit. 6. myrrhata potio in os illius inferebatur, vt ex legibus 12. tabul. quæ illam vetant, quæ potio tanquam cœna ad Cælum viatica fuit. Ventos præterea precabantur, vt fauentes flammam properarent, Propert. l. 4. eleg. 7. *Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?* Cum corpus arderet, vino rogum aspergebant, vt flammæ validiores essent; vnde dictum: *Respersum vinum.* Plin. l. 14. c. 12. Pix, & Resina addebatur, qua etiam pauperiores vti solebant. In Campo Martio nobiliorum Rogus erat; aliorum penes sepulchrum, dummodo intra duo millia passuum ab Vrbe, pyra strueretur ex edicto facto A. Claudio & C. Nerbano Coss. Dio lib. 48.

Cœna funebris vna in Rogo DIs manibus parabatur, & hæc nominata exequium, seu Silicernium. Varro: *Funus exercui lautè ad sepulchrum, antiquo more Silicernium confecimus.* Dictum ab eo, quod in luctu fas non esset lucernas accendere. Altera Cœna, quæ domi propinquioribus, & amicis; & hæc propriè epulum funebre, & ad hos vulgaris Coquus conducebatur, ex Plaut. in Pseudol. *Super tumulos comedebant.*

B *Coquum non potui, quam hunc, quem duco ducere;*
Quin ab eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Vt esset hic, qui mortuis Cœnam coquat.

Funeris ductor illas epulas primum degustabat. Virgil. in persona Aeneæ 5. Aeneid.

Libauitque dapes.

De hoc Cœnæ genere Tertul. lib. de Resurrect. Carn. c. 1. *At ego magis ridebo vulgus, cum ipsos defunctos atrocissimè exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, ijsdem ignibus & promerens, & offendens.*

Rogi lustratio antequam faces subijcerentur, fieri solita à maxima quaque multitudine, quæ circumibat, & ambiebat Rogum. Quintil. declamat 329. Cadauer Augusti Rogo impositum, primum Pontifices, deinde Equites, tum milites circumierunt, postea Centuriones ignem admouerunt: qua lustratione facta, accenso Rogo vt in funere Pallantis, Virg. 11. Aeneid.

C *Ter circum accensos cincti fulgentibus armis,*
Decurrere Rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustrauere in Equis, vlulatusque are dedere.

Atque hanc lustrationem cum sulphure, & tædis accensis & circumlatis factam, quibus Manes maximè placarentur, ex Iuuenal. satyr. 2.

Vmbra venit, cuperent Lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis.

Mos fuit & tunc vt coniuncti sanguine, amicitia, seu alio vinculo cum defuncto occiderent se ante Rogum, vt in funere Othonis inquit Tacitus l. 17. *Tulere corpus Prætoriæ Cohortes cum lacrymis, & laudibus, vultus manusque eius exosculantes: quidam militum iuxta Rogum interfecere se, non noxa, neq; ob metum, sed æmulatione decoris, & charitate Principis.* *Crudeles ritus.*

Post lustrationem Gladiatores ante Rogũ dimicabant, qui Bustuarij à Busto sunt appellati, Seru. 10. Aeneid. & de huiusmodi Gladiatoribus ante Rogum scripsit copiosè, & ornatè Lipsius in Saturn. lib. 1. cap 8. Vnde Cicero
D pro Sulla: *Interpositi sunt Gladiatores, sed quo testamento Patris dari videmus.* Et in Spartiano habetur: *Adrianum præcipuos honores socrui suæ ludis Gladiatorijs impendisse.* Gladiatorium à ludis erat separatum, Liuius libr. 28. Huic Gladiatorum spectaculo ludi additi pro copia, & Prouinciali, & Castrensi apparatu; quos à Græcis cœpisse tradit Gyrald. d. Tractatu.

Crudeles isti funerum ritus qui victimis & litationibus non solum pecudum, sed etiam hominum fiunt: portenta magis quam ritus appellaueris: quales apud Herodot. in Melphome, in funeribus Scytharum Regum fuisse narratur, apud quos non aliter quam quinquaginta ingenuis ministris Regis strangulatis sepeliuntur. Ac simile de Indicis mulieribus scribit Val. Maxi-

mus libro secundo capitulo primo, quæ se flammis maritorum injiciunt. A

Super tumulos comedebant.

Satis à præcedenti distabat alter Etnicorum ritus; vt in honorem mortuorum ad sepulcrum illi se aliquando inebriarent: quod damnat sanctus Augustinus in psalm. 48. ibi: *Inuocabant nomina eorum in terris ipsorum. Quid est hoc, tollunt panem & merum ad sepulcra, & inuocant ibi nomina mortuorum. Putas quantum inuocatum est nomen illius Diuitis: postea quando inebriabant se homines in memoria ipsius, nec descendebat vna gutta super linguam ipsius ardentem? Ventri suo seruiunt homines, non spiritibus suorum.* Et idem August. serm. 15. de Sanctis inquit: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increuerit, vt super tumulos defunctorum cibos & vina conferant quasi egressa de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Et S. Gaudentius ad Neophytos tract. 4. inquit: *Nam gulæ suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent, &c.*

Collectio cinerum.


Funestum dein sequebatur officium, vt reliquiæ combusti cadaueris legerentur, cum flamma quieuisset. Tibullus lib. 1. eleg. 3. *Non mihi Mater, quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.* Suet. in August. cap. 100. *Reliquias legerunt primores equestris ordinis tunicati, distincti, pedibusque nudis, & in Mausoleo condiderunt.* Et Tacitus lib. 2. inquit: *Et Agrippina quamquam defessa luctu, & corpore ægro ascendit classem cum cineribus Germanici; miserantibus cunctis, quod fœmina nobilitate Princeps, tunc ferales reliquias sinu ferret.* Deinde Manes præfabantur, hoc est alloquebantur; & insuper animam ter vocato defuncti nomine. Tibull. lib. 2. eleg. 2. *Præfate ante meos manes, animamque rogate.* Puris manibus dum legissent ossa, illinque lauissent vino, & lacte, ter Vale dicto, reliquias ter osculabantur, vt in Anna Didonis, Ouid. 3. fast. B

Terque vale dixit cineri, ter ad ora relatos
Pressit, & est illis visa subesse soror.

Tum sinu Cineres foueban', ex Tibull. eleg. 3. lib. 1. *Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.* Et idem Tibull. lib. 3. eleg. 2.

Post hæc Carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo. C

Nam lino Carbascino, siue Asbestino, ex Plinio lib. 19. cap. 1. vtebantur Romani in Vstrinis ad colligendos cineres; cum illud compertum sit ignibus non absumi: vnde posito cadauere supra dictum linteum, siue linum, & accenso deinde igne subtus eodem linteo, cadauer resoluebatur in cineres absq; lintei consumptione. Postea adhuc calentes cineres priusquam refriguissent, & ossa simul claudebãtur in vrna, cũ odoribus, & lacrymis, quæ vitreo vasculo, seu phiala iniectæ essent. Vt de prædictis phialis vide hic delineationem vna cum olla fictili, in qua cineres recondebantur, quæ in meo Musæo seruo.



VITREI FICTILES OLLA CINERVM LACRIMATORII.

Extant etiam Arcæ marmoreæ, in quarum operculis elaborata visuntur

A infundibula quædam lacrymatoria dicta, tenui foramine peruia; per quæ, vt videtur, conſanguinei, & amici ſuorum cineribus inibi reconditis ſubinde lacrymas inſtillabant. Huiuſmodi Arculam marmoream aſſeruat in nobili ſuo Muſæo Eques Franciſcus Gualdus Ariminen. ſæpius à Scriptoribus huius æui ob eximium antiquitatum, rerumq; meliorum ſtudium merito commendatus.

Et hic intelligitur, quod Romæ paſſim in antiquis lapidibus legimus: *Cum lachrymis poſuere*: & ſimilia. His ita compoſitis poſt iniectam glebam, & vale æternum dicebatur. *Nos te ordine, quo cuiq; natura iuſſerit, cuncti ſequemur*. Seruius 5. Aeneid. Demum ſacerdos circumſtantes luſtrabat, hoc eſt leui rore aſpergebat, quod genus purgationis ſufficio dicebatur, Feſtus in verbo Aqua, & de his Gutherus lib. 1. cap. 28.

Manſit verò apud Romanos Cremandi conſuetudo vſque ad Antoninorum Imperatorum tempora, quibus à pleriſque deſitum eſt corpora Cremare, & rurſus terræ mandare cœptum eſt vt à principio conditæ Vrbis. Etenim Numæ Pompilij corpus in arca lapidea conditum legitur, quod mul-

B ta poſt ſæcula in Ianiculo à Gn. Terentio effoſſum, tradunt ſcriptores, vt refert Gyraldus de Vario ſepeliendi Ritu. Et poſtea Corn. Sylla primus è patritijs Cornelijs, igne voluit cremari, timens ne corpori ſuo ea iniuria inferretur, quam ipſe prius reliquijs Marij intulerat: nam illius corpus, & eruta oſſa ſubuerterat & in Anienem miſſerat. Inde originem duxit conſuetudo, vt corpora Defunctorum non terræ mandarentur, ſed igne cremarentur. Cicero lib. 2. de Legibus. Plinius lib. 7. cap. 55.

Non piget in memoriam antiquitatis, quod hic Romæ in mea Vinea ad viam Appiam reperitur Subterraneum Conditorium ſiue Hypogæum dealbatum, & cruſtatum ſatis eleganter; & in hoc plurimæ concauitates in muro, ſiue, vt Italicè dicunt, Nicchie: & in vnaquaque prædictarum extant duæ, vel tres Ollæ fictiles muro affixæ repletæ cineribus, & oſſibus ſemiuſtis, intra quas aliquæ repertæ quoque fuere ex prædictis Phialis vitreis, & fictilibus ad vſum lachrymarum. Et hoc conditorium eſt ſimile illi, de quo Pe-

C tronius Arbiter in ſuo Satyrico ait: *In conditorium enim proſecuta eſt defunctum poſitumque in Hypogæo, Græco more, corpus cuſtodire cœpit*. Simile quoque eſt, quod ſcripſit Plinius epiſt. 96. *Tentata in amicis fides, iam parata obliuio mortuorum, vt ipſi nobis debeamus conditoria extruere, omniaque hæredum officia præſumere*. Extabat in prædicto meo conditorio Tabula lapidea palmorum trium longitudinis, quam etiam adhuc ſeruo, literis hic annotatis.

L. HOSTILIVS FORTVNATVS.
SIBI ET
HOSTILIAE. IANVARIAE.
FILIAE. ITEM
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
SVIS.
POSTERISQVE EORVM. FECIT.
EXTERAE FAMILIAE.
D ADITVS. NON.
DATVR. NEC. IVRE.
QVIS. INHOC.
MONVMENTO. OLLAS.
EMET.

Nec prætereundum in noſtro argumento fuiſſe apud eruditos dubitatum quomodo cadauera ante combuſtionem octo diebus ſine corruptione ſeruarentur abſque viſcerum extractione: ſed difficultas à Plinio tollitur l. 22. capite 24. dum ait: *Mellis quidem natura talis eſt, vt putreſcere corpora*

non sinant, iucundo sapore, atque non aspero, alia quam salis natura : & apud A
Xenophontem in Græcorum historia, lib. 5. *Melle oblitus demum deportatus, ac regiam sepulturam consequutus*. Huc pertinet mystica antiquorum significatio: nam viuentium symbolum *Fel*, mortuorum quidem *Mel*. Cœlius Rodig. lib. 28. cap. 17. Antiq. lect. meminit ritus, Diogenes Laertius l. 3. Dict. Philosoph.

Non solum melle, sed & cera cadauera oblinire receptum maximè in defectum mellis. Aemilius Probus in Agesilao in fine, *In morbum implicitus decessit, ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod Mel non haberent; cera circumfuderunt, atque in domum retulerunt* : & idem dixit Plutarchus in eiusdem Agesilai vita: *Cera cadauera illiquefacta, quia mel non suppetebat, Lacedæmonium retulerunt Spartiatæ*.

Tertio vngebantur cadauera Cedrio: Plinius lib. 16. cap. 11. *Primus sudor, aquæ modo, fluit canali; hoc in Syria Cedrium vocatur, cui tanta vis est, vt in Aegypto corpora hominum defunctorum eo perfusa seruentur*. Eadem penè habet idem auctor lib. 24. cap. 5. & de ijs vide etiam alia relata in Paralipomeno ad Rosinum, cap. vltimo ad finem. B

Prædicta Aromata ad condiendum corpora (vt ego de his sermonem habui cũ peritis) satis probabile est hodie ad nostram notitiam non peruenisse; siquidem cadauera quantumuis euiscerata, & condita, videmus hodie maxime in æstate tertio, vel quarto die putrescere, & corrumpi: at tempore antiquorum Romanorum etiam quod tunc illa non aperirentur, vt diximus, ferè semper vsque ad nonum diem antequam comburerentur, non putrescebant.

Quinimo Romanorum cadauera aromatibus condita post plurima sæcula reperta in sepulchris absque corruptionis læsione; vt legitur in historia Boccacij de Analogia Deorum lib. 12. cap. 60. quod tempore Henrici III. Imperatoris repertum fuerit prope Romam corpus Pallantis Euandri filij à fodiente villico integrum; vti nuper sepultum maxima proceritate, in quo adhuc apparebat vulnus impressum lancea Turni.

Ac etiam scribit F. Leander in lib. Descrittione d'Italia Capitolo della Campagna di Roma; sedente Alexandro VI. Pont. Max. repertum fuisse, corpus integrum cuiusdam puellæ satis concinnum absque læsione, & hoc intra arcam marmoream mirabili liquore persusum: ad cuius pedes ardebat lucerna, quæ aperto sepulchro extincta remansit; & hanc fuisse Tulliolam Ciceronis filiam sunt arbitrati, de quo ego valde dubito, cum fuerit mos tunc temporis corpora comburi, non autem sepeliri, & aromatibus integra præseruari; probabilius tamen corpus illius puellæ fuisse sepultum posterioribus temporibus, quando imperantibus Antoninis sepeliri cœperunt. C

Præterea iam triginta circiter elapsis annis in agro Romano extra Portam Appiam reperta fuit arca marmorea, in qua cadauer erat conditum ab omni æui læsione seruatum, quod ex paludamento purpureo, quod gestabat, Consulem fuisse sunt opinati. De prædicta purpura lubens ego habeo aliqua frusta iucundo etiam odore adhuc fragrantia: color autem prædictæ purpuræ est duplex; particula coloris rubei satis accensi; altera vero pars desinens in flauum colorem. D

Hanc autem corporum durationem non ex alia processisse causa opinor, quam ex efficacia illorũ aromatum, de quibus nobis in præsenti non constat.

Mausolea sepulcrorum. Quoniam varia apud omnes gentes fuerunt semper Defunctorum monumenta & sepulchrorum ritus; de quibus inter alios Brunus de Cæremonijs lib. 4. c. 4. & 5. Inter omnia autẽ totius orbis monumenta magnificentissimum, & non materia tantum sed arte pretiosissimum fuit, quod ab vxore Artemisia Mausolo Cariæ Regi factum; & Mausoleum appellatum est; de quo Plinius lib. 36. cap. 5. adeo vt esset illud vnum inter septem Orbis miracula:

A & à magnificentia huius ſepulcri natum eſt prouerbium, vt rem magnificam & ſumptuoſam Mauſoleum appellauerint. Ad huius monumenti imitationē Octauius Aug. Romæ in campo Martio monumentum conſtruxit, quod & ipſum Mauſoleum appellauit, de quo Strabo lib. 5. *In excelſis fundatum collibus, lapide niueo, & perpetuæ viriditatis arboribus coopertum, in ſummum vſque verticem ad fluminis ripam exaggeratum, in ſummo autem eſt poſitum Cæſaris Aug. ſimulacrum ex ære fabricatum. Sub aggere ipſo ſunt loculi eius, & cognatorum, & neceſſariorum. A tergo eſt eius lucus mirifica continens ambulacra. In medio autem Campi ſpatio ſui buſti extat ambitus, & hic ipſe niueo perfectus lapide, ferreos in circuitu cancellos habens, & plantatas præſeferens populos.* Huius Mauſolei Sueton. in Octauio memimit. *Reliquias legerunt proximiores equeſtrus ordinis tunicati, & diſcincti pedibuſque nudis, ac in mauſoleo condiderunt. Idque opus inter Flamineam viam ripamq; Tyberis ſexto ſuo conſulatu extruxerat, circumiectaſque ſyluas, & deambulationes in vſum*
B *Populi tunc iam puplicarat.* Tradunt etiam Conſtantinum magnum mauſoleum in honorem matris erexiſſe, & eandem ſepulcro porphyretico incluſiſſe. Alterum ſepulcrum ſpectabile in Vrbe fuit Hadriani Cæſaris, de quo Procop. lib. 1. de Bell. Goth. inquit. *Hadriani Romanorum Imp. ſepulcrum extra portam Aureliam extat, & ad lapidis iactum a moenibus procul extructum, ſpectatu proculdubio dignum: pario namque ex lapide ædificatum eſt, ſaxa quadrata illi inuicem nexa alia nulla intermixta materia, &c. altitudine tamen hæc Vrbis mœnia ſuperant: ſtatuæ quoque ex eodem pario marmore virorum, equorumque miro artificio factæ deſuper inſident, &c.*

At quoniam Regia hæc & ſimilia multa modum non habuere, quorum plus iuſto ſumptuoſa viſa ſunt; modum huiuſmodi ſumptibus præſtiterunt, vt refert Cicero lib. 2. de legibus. Apud Athenienſes Demetrium Regem ſanxiſſe, ne quis ſepulcrum faceret operoſius, quam quod decem homines efficerent triduo, nec ſuper terræ tumulum voluit quid ſtatui niſi Columellam tribus cubitis non altiorem: ſimile etiam refert Plato cum alijs.

C Hinc ſumpto argumento inquiramus in quem finem Pyramides, & columnas erexerint Priſci Romani & aliæ nationes ad ſepulcra? & dicimus non aliter in nudum, vt aliqui crediderunt, ſed in ſignum nobilitatis magnique honoris columnas ad ſepulcra erectas, ſignificauit Homer. Iliad. lib. 16. *Columnæ & Pyramides quare ad ſepulcra.*

Ibi ipſum ſepelient fratreſque ciueſque
Monumentoque, Columnaque: hic enim
Honor eſt mortuorum.

Ac etiam de Columnis ſepulcralibus loquitur Seruius lib. 5. Aeneid. *Columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur ad oſtendendum eorum columen.* Huius moris meminit etiam S. Iſidorus Hiſpalen. lib. 15. Orig. cap. 11. dum ait. *Apud maiores Potentes aut ſub montibus, aut in montibus ſepeliebantur: vnde tractum eſt, vt ſupra cadauera aut Pyramides fierent, aut ingentes Columnæ collocarentur.* Et Lucianus Dialogo cui titulus Contemplantes ad finem inquit. *Sepulcra conditoria, & monumenta hæc vocant: Cæterum tumulos illos ante Vrbes vides, tum columnas & pyramides: omnia illa mortuorum ſunt receptacula,*
D *cadauerumque tentoria.* Columnaſque ante Vrbes fuiſſe, quia nimirum priſci æui mos fuit, extra Vrbem mortuos efferre ſepeliendos, vt notum eſt. Coronari aliquando iubebantur hæ ſepulcrales Columnæ. Lucianus de morbis Philoſophorum ait. *Stultitiam ſuam aperte etiam ſcripto teſtari, dum alijs veſtes, quibus in vita pretioſoribus vſi ſunt comburere eodem rogo ſecum mandant: alij autem & ſeruos certos ad ſepulcra adſtare: Rurſus alij Cippos ſiuè Columnas quoque coronari ſertis præcipiunt, ſtolidi videlicet etiam in ipſa morte manentes.*

Ad Deorum ſepulchra Columnas poſitas indicat idem Lucianus in Dialogo, cui titulus Iupiter Tragœdus his verbis. *Quamquam illi, qui huc ex Creta frequenter commeant, longe alia nobis, atque tu commemorare ſolent, ſepulcrum* *Columnæ quibus erectæ?*

quod

quoddam illic ostendi, iuxtaque positam Columnam, indicantem non amplius Iouem tonare, sed iam olim fato functum esse. Hunc autem honorem veteres adeo inde demiserunt; vt à Dijs ad animalia rationis expertia transierit; nempe Canibus & Gallis erectas Columnas, vt refert Ælianus lib. 8 de Varia histor. *Polyarchum ferunt ad eam mollitiem peruenisse, vt Canes & Gallos, si quibus delectatus fuisset, mortuos efferret publicè, & erigeret in illorum monumentis Columnas, quibus Epitaphia illorum insculpserat.* Hanc amentiam alios quoque secutos: brutis namque pariendi, qui homines brutis pariant. Vt etiam pyramides alicubi equis erectas, Plinius lib. 8. cap. 42. *Facit & Diuus Augustus equo tumulum, de quo Germanici Cæsaris carmen est: Agrigenti compiuriis equorum tumuli Pyramides habent.* Columnas militantibus præcipuè positas in perennem memoriam innuit Euthymius in psal. 15. his verbis: *Mos autem erat antiquis, vt Columnas, Imagines, aut statuas strenuè militantibus viris in perpetuam ponerent memoriam.* Extare adhuc Pyramidem sepulcri Iob testatur Adricomius in Manasse n. 78. ibi. *Pyramis sepulcri B. Iob, quæ etiamnum in planioribus locis terræ Hus ad Orientem Suetæ ciuitatis monstratur, ac à Græcis aliisque Gentibus, quod Propheta Iob ibi sepultus sit in honore habeatur.* De huiusmodi Columnis, Pyramidibus, & similibus D. Nazianzenus Orat. de laudibus Basilij inquit. *Ex quibus omnibus præter inanem quamdam, & exiguam gloriam nulla prorsus vtilitas ad extructores rediit.*

Cum excelsæ ad triginta cubita sepulcris columnæ sisterentur Demetrius Phaleræus illas ad tres cubitos coercuit. Cicero lib. 2. de Legibus ibi. *Super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis nec altiorem.* Grauis olim mulcta irrogabatur, si quis aut Columnas fregisset aut deiciisset, Cælius Rodigin cap. 19. lib. 17. Lect. antiq. ibi. *Sancitum quoque lege scimus, vt grauis irrogaretur mulcta, si quis bustum violasset, aut ex sepulcro Columnam deiecisset, fregisset que.*

Extensa in sepulcris. Quoniam de Columnis & Pyramidibus, quæ iuxta sepulcra posita erant sermo est habitus, de alijs quoque quæ sepulcris inerant ex diuersarum gentium moribus prosequemur: & primò mos fuit Longobardorum: vt in Cœmeterijs, vbi cari eorum essent sepulti, perticas apponerent, desuper habentes columbas ligneas illuc versas, vbi eorum cari obijssent, atque vt posset sciri vbi eorum corpora quiescerent; vt ex Paulo Diacono lib. 5. capit. 34. refert etiam Card. Baronius ad annum 673. vbi Spondan n. 1. in fin.

Alicubi in cœmeterijs erectas in palos quarundam ferarum effigies patet ex his, quæ de Seruianis refet Augerus Busbequius ep. 1. his verbis. *Erant in Cœmeterio erectæ in palos pleræque Ceruorum, & hinnulorum, & similium ferarum de ligno dedolatæ effigies; cumque causam quæreremus, aiebant, maritos aut patres eo monumento voluisse testari coniugum aut filiorum in obeundis domesticis officijs celeritatem & diligentiam.*

Leones sepulcrorum, in quibus viri fortes sepulti fuerant Pausanias in Bœticis inquit. *Proximo Vrbi loco commune est sepulcrum Thebanorum, qui in pugna contra Philippum defuncti sunt: Inscriptio nulla quidem inscripta est, insigne vero tumuli LEO.*

Mos etiam fuit ad antiquorum sepulcra statuas ponere: Pausanias in Lacon ibi. *Caij sepulcrum, & super monumento statua*, Athenæus lib. 13. *Alcibiadis imaginem super sepulcro erexit ex pario lapide.*

Fœliciori autem auspicio Christianorum consuetudo, qui etiam a priscis temporibus in medio cœmeterij Crucem ponere solebant, vt in Epigram. Veter. Pat. Monasterij sancti Galli vbi de eorum Cœmeterio.

Inter ligna soli hæc sanctissima Crux est
In qua perpetuæ poma salutis olent.
Hanc circumlateant defuncta cadauera fratrum;
Qua radiante iterum Regna Poli accipiant.

Nec

A Nec prætereundum consueuisse aliquos aurum & argentum in mortuorum sepulcris recondere. Nicolaus Oresmius Episc. tract. de Mutation. monet. cap. 2. inquit: *Theodoricus Rex Italiæ aurum & argentum, quod more gentium in sepulcris mortuorum erat reconditum, iussit deponi, & vsui monetæ ad vtilitatem publicam fecit afferri; dicens, culpæ genus esse inutiliter in abditis relinquere mortuorum, vnde sic vita posset sustentari viuentium.* Et in hoc plurima sunt apud scribentes exempla non solum ethnicorum, verum & Hebræorum, vt de sepulcro Dauid, cuius quidem structuram, opes & magnificentiam describit Ioseph. 7. Antiq. cap. 12. è quo abstulisse Pontificem ab Antiocho oppugnatum plusquam tria millia talentorum pecuniæ commemoratidem Iosephus lib. 1. de bello cap. 2. Inde ob cupiditatem opum passim fracta sepulcra indicat sanctus Isidorus Peluſiota epist. 146. lib. 2. *Vsque adeo periculosa res est opum copia: neque enim domus tantum effodiuntur, sed etiam libitina, & sepulcra effringuntur.* Effossa etiam è sepulcris mortuorum ornamenta, refert D. Hieron. *Solebant iuxta antiquum morem aurum, & quædam ornamenta vel* B *mulierum, vel virorum in sepulcris condere: hæc quoque frangebat, & effodiebat auaritia, vt cælo, & luci proderentur.* Ad hoc respexit Plautus in Pseudolo, dum seruum introducit exanthontem pecuniam à sene; his verbis.

Ex hoc sepulcro veteri vigiuti minas
Effodiam hodie, quasdam herili filio.

Thesauri recondati in sepulcris.

Super propinquorũ & dilectorũ sepulcra flores superimponebant. M. Aurelius apud Capitol. tãum honoris detulit suis Magistris, vt illorum sepulcra floribus semper ornaret. Pindarus Ode 4. Nem. loquẽs de Tumulo Amphitr. ait: *Conspergant floribus.* Et D. Hieron. ep. 26. ad Pammach inquit: *Cæteri maniti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq; purpureos; & dolorẽ pectoris his officijs consolantur.* De Coronis in Tumulis, seu Cenotaphijs habet Xenophon in Cyro l. 6. ibi: *Hi, quorum corpora inuenta non sunt, Cenotaphium magnum fecerunt, pyramque magnam, & coronas imposuerunt.* Varro lib. 6. de L. L. inquit: *Itaque nunc cum ad sepulcrum frondes & flores ferunt* C *& lanas addunt.* Vides flores attulisse olim & lanas.

Flores ad sepulcra.

Velamina etiam purpurea ad Imperatorum sepulcra fuisse indicat Ammian. Marcell. lib. 16. vbi ait: *Velamen purpureum à Diocletiani sepulcro suratus, quibusdam conscijs occultabat.*

Vtiles quasdam sententias in sepulcris scribere mos fuit diuersarum Gentium. Hebræi vero in sepulcris suorum sculpunt: *Sit anima eius ligata in fasciculo viuentium.* Isidorus Clarus in cap. 25. 1. Reg.

Nomen mortui in sepulcro ex Lycurgi instituto non licebat inscribere, nisi vt refert Plutarch. in Lycurgo: *Conditorio non licebat inscribere nomen mortui, præterquam viri, qui in bello, & mulieris, quæ sanctè fato concesserat.*

Non magnam propterea de sepulcri erectione, ornatuque curam habendã docent hæc Alquini verba ep. 30. *Cum vita mortalis sit, mortem volunt facere immortalem: quid enim quæso, est sepulcrum perpetuo duraturum condere, quam mortem facere nunquam morituram.* Opportunum funeris ornatum nobis offert S. Chrysost. Orat. 84. ibi: *Si vis mortui misereri, aliam tibi viam ornandi funeris ostendam, & docebo his vestibus mortuum ornare, quæ simul cum* D *eo resurgent, & conspicuum reddent: hæ vestes nec tineis corroduntur, neque tempore consumuntur, neque diripiuntur à furibus: eleemosyna vestis est, quæ cum eo resurget, &c.*

Lubet hic etiam adnectere: olim ante Vrbes & oppida sepulcra extructa, vt Ciuitatem ingressuri mortalitatis monerentur; hocque esset velut amuletum contra opes, luxus, & dignitates, quæ in vrbibus spectantium se oculis obijciunt, vnde Varro: *Monumenta secundum viam, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos esse mortales.* Præclarè autem sanctus Chrysostom. serm. de Fide & lege: *Omnis Ciuitas, omne Castellum ante ingressum sepulcra habet,*

Sepulcra ante vrbes & oppida.

habet, vt contendens intrare in Ciuitatem, quæ imperat, & flores diuitijs, & potentatu, alijsque dignitatibus; priusquam videt, quod secum concipit, videat primum quod sit ante portas: sunt sepulcra vtique ante oculos, est nostra humilitatis schola, & docemur in quod desinamus tandem. Necnon monemur omnes illorum, qui disparibus monumentis tegantur, parem in exitu sortem fuisse, inquit Seneca: *Aequat omnes Cinis; impares nascimur, pares morimur.*

Possent hic multa superaddi de Ritibus in Funeribus Christianorum, sed de his satis à me fuere relata in lib. de Veteribus Christianorum Ritibus c. 66. Et eruditissimè præterea scripsit admodum Reuerendus D. Paulus Aringhus Congregationis Oratorij in recenti sua Roma Subterranea, quæ adhuc sub prælo est. Quod opus eruditionem, & maximam comprobationem Christianæ Religionis pariet.

De Apotheosi, siue Consecratione. Cap. XXII.

Apotheosis siue consecratio.

QVoniam de Funeribus, eorumque ritibus maximè apud Romanos plurima indagauimus; vt terminum huic libro ponamus, alienum ab instituto nostro nō erit forsan; vt aliqua de Romanorum Apotheosi, siue Consecratione etiam dicamus: cuius mos à Cæsare Aug. primum institutus, deinde à Tiberio instauratus: quique erant eo honore affecti, inter Diuos relati dicebantur. De quibus aliqua referam ex Dione, & Herodiano de Consecrationibus Augusti, Pertinacis, Seueri, & similium.

Postquam igitur Imperator viuus Rostra ascenderat, defunctumque Imperatorem laudauerat, Senatoribus adstantibus & lugentibus: erat lectus ex ebore & auro factus, stragulis purpureis, auroque intextis ornatus, subterque illum tanquam in feretro corpus eius iacebat occultum. Ante omnia vero statua eius cerea vestitu triumphali videbatur, eaque ex palatio ferebatur ab ijs, qui in sequentem annum Magistratus designati fuerant: deinde ex curia altera aurea: tertia curru triumphali vehebatur, ferebanturque statuæ maiorum ipsius atque propinquorum, qui ex vita decesserant; sicuti & aliorum Ciuium Romanorum, qui in Magistratu fuissent. Aderant etiam omnes Prouinciæ, & nationes pictæ, quæ aut in societatem ab ipso acceptæ, aut deuictæ fuerant. Ita extra Vrbem in Campum Martium veniebant; Rogusque, siue suggestus quidam specie quadrāgula lateribus æquis adsurgebat, nulla præterquam lignorum materia compactus in Tabernaculi formam, impletus interius aridis fomitibus; extra autem intextis auro stragulis atque eboreis signis. Erat supra tertium, & quartum tabernaculum quidem minus sculum positum, sed forma & ornatu persimile, portis ianuisque patentibus donec ad extremum omnium breuissimum; in cuius summo currus inauratus, quo mortuus Imperator olim vehebatur, erat collocatus.

Quæ vbi celebrata erant, facem capiebat Imperij successor, eamque Tabernaculo admouebat; tum Coss. primò, & cæteri Magistratus ordine igni subijciebant, cunctaque illico fomitibus, odoramentisque referta igni valido corripiebantur: mox à supremo Tabernaculo tanquam à fastigio subiecto igne Aquila dimittebatur, quæ in Cælum ipsam Principis animam deferre credebatur: ac iam ex tunc cum cæteris Numinibus Imperator defunctus colebatur

Prædicti Tabernaculi formam in plurimis Numismatibus expressam habemus; sicut etiam in alijs apparent Aquilæ defunctos Imperatores in Cælum portantes; seu etiam Pauones mortuas iam Augustas in Cælum etiam eleuantes; vt ex infra delineatis apparet.

Con-

A



Consecratis Flamen & Sodales, qui ab eo nomen acciperent, ex S.C. addebantur; templumque in quo hymnos in eius honorem compositos tenerent, canerent.

B Non fuit tantum hæc Consecrationis consuetudo Romanorum; verum antecedentibus sæculis etiam aliorum: & quidem de Hercule, Libero, Castoribus, alijsque Dijs Consentibus: de Alexandro Macedone præter Plutarchum, & Q. Curtium refert Aelianus Var. hist. lib. 5. cap. 12. *Conuocata Atheniensium concione Demades surgens decreto iussit, vt Alexander scriberetur Deus Decimustertius.* Sed cum indignum Græcis id videretur, mulcta centum talentorum ei irrogata est. Idem Aelianus lib. 9. Var. hist. cap. 37. Et Olympias Mater ipsius inquit: *O fili, tu vero cum inter cœlites locari volueris, & id persistere summo studio conatus sis; nunc neque illorum quidem, quorum omnibus mortalibus æquale, & par ius est, particeps fieri potes, terræque simul ac sepulturæ.* Id autem ipsius Alexandri epistolis non nisi superata Perside, & profligato Dario denunciatum est: *Nam tunc scripsit Græcis, vt se Deum facerent, satis equidem stultè: & cum mandata ad singulas Græciæ Ciuitates deferrentur, quidam metu, quidam commodi, & emolumenti specie inuitati decreuerunt, quod ille petebat humanæ fragilitatis oblitus.* Aelianus Var. histor. lib. 2. cap. 19. sed tamen Decimustertius inter Deos Consentes factus. Pierius Valer. Hieroglyph. lib. 43.

Consecratio ante Romanos in vsu.

C Consuetum verò fuit, vt Romani Imperatores post mortem *Diui* fierent; nempè per Apotheosim & consecrationem, quæ mortuis contingebant. Herod. lib. 4. *Mos est enim Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filijs, vel successoribus moriuntur: quique sunt eo honore affecti, relati dicuntur inter Diuos.* Quos appellat Iuuenal. satyr. 6. *Riuales Deorum.* Vbi Vet. Scholiast. *Ridens, quia Imperatores inter Deos referuntur.* Quod sanè nemini tribuebatur, nisi corpore iam affecto sepultura: perfectisque cæremonijs, & pyra incensa: *Ex illo*, ait Herodianus, *vna cum cæteris numinibus Imperator colitur.* Solebant quidem etiam Proconsulibus decerni Diuum honores, poni aræ, & templa in prouincijs, adeo superstitio valebat & vanitas. Tito Flaminio vt refert Plutarch. in eius Vita, Græci sacrificabant inter libandum, & Pæana canebant: & idem ait: *Dijs & Mario Populus Romanus cœna libauit.* Sueton. de August. cap. 52. *Templa quamuis sciret etiam Proconsulibus decerni solere: in nulla tamen prouincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit: nam in Vrbe quidem pertinacissimè abstinuit.* Nummi passim occurrent inscripti: *Romæ, & Augusto.* Tacitus l. 4. annal. *Decreuere eidem Tiberio Asiæ vrbes, templum, matrique eius, ac Senatui statuere.* Dio lib. 58. *Ad statuas etiam Seiani tanquam Tiberij solebant; Romani sacrificarunt.* Et infra: *Edixisset etiam Tiberius, ne cui homini sacrificaretur; atqui res sacra Seiano fieri solebat.* Sueton. de Iulio Cæsare cap. 76. *Templa, aras, simulacra iuxta Deos, puluinar, Flaminem super eos, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, ac dedit.* Id ipsum de Augusto Tacitus lib. 1. *Nihil Deorum honoribus relictum, cum se Templis & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes coli vellet.* Et de C. Caligula

Consecratio apud Romanos.

Diuorum honores.

ex Ioseph. lib.2. de Bello Iud. cap.9. qui se Deum putabat, & volebat vocari A
seque pro Deo gerebat, non contentus humanis honoribus coli à subditis, Iouemque appellatione fratris salutabat: vt etiam Neroni, cui eodem Suetonio referente cap.18. *incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per viam identidem croco, ingestæque aues, & lemniscí & bellaria.* Quod de Claudio, Vespasiano, Adriano, Domitiano & alijs Impp. referunt scriptores.

Diui cognomen non dabatur viuis, Ex 5.C.

Quamuis ergo hisce superstitionibus Romani Imperatores colerentur, nõ tamen assecuti sunt, vt viui dicerentur Diui: immo plerique eorum, quos recensui, ne post mortem quidem Diui sunt facti; & quidam vitiis detestabiles in communi odio mortalium omnibus execrationibus & conuicijs merito lacerati sunt. Qui vero merito & virtutibus habebantur insignes, ij post mortem & sepulturam in Diuorum numerum relati. Quamuis & improbis id tribuerit interdum vanitas successorum, vt Commodo Seuerus: sic enim conciliata Populi beneuolentia firmabat Imperium: Tacitus lib.1. ann. de Augusto inquit: *Sepultura more perfecta, Templum, & cælestes religiones decernuntur.* Velleius lib.2. inquit: *Sacrauit Parentem suum Tiberius non imperio sed religione; non appellauit eum sed fecit Deum:* Capitolinus in Marco: *Denique priusquam funus conderetur, vt plerique dicunt, quod nunquam antea factum fuerat, neque postea: Senatus, Populusque non diuisis locis, sed vna sede propitium Deum dixit.* Symmachus lib.4. cap.5 *Diui recepti Cælo Imperatores mortui.* Plinius in Paneg. ad Traianum: *Quem tu, Neruam, lacrymis primum, ita vt filium decuit, mox templis honestasti; non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt. Dicauit Cælo Tiberius Augustum, sed vt Maiestatis numen induceret: Claudium Nero, sed vt irrideret: Vespasianum Titus: Domitianus Titum, sed ille vt Dei filius, hic vt frater videretur.* Et sanè constat Vespasianum, Titum, & cæteros præfatos non ante obitum, sed à successoribus Diuos appellatos & factos. Vespasianus quidem narrante Suetonio in Vita cap.23. *Prima morbi accessione;* quo mortuus est; *vt inquit, puto, Deus fio.* Huc pertinet, quod Adrianus adoptato Aelio Vero languido, ac perituro: dixit auctore Spartiano: *Ego mihi Deum adoptaui, non filium.* Quod item B C
Antoninus Caracalla apud eumdẽ Spartianum, occiso fratre Geta, cum vereretur Tyrannicam ex fratricidio notam, auditetque posse mitigari facinus, si Diuum fratrem appellaret, dixisse fertur: *Sit Diuus, dum nõ sit viuus.* Et ad hanc Diuinitatem post mortem ab Ethnicis Romanis suppositam respexit Suetonius in Iulio cap.88. his verbis: *Stella crinita per septem dies continuos fulsit; creditumque est animam Cæsaris esse in Cælum recepti: & hac de causa simulacro eius in vertice additur stella.* Vnde 8. Aeneid. *Geminas cui tempora flammas, læta mouent, patriumque aperitur vertice sydus.* Et Propertius lib.4. Elegia 6.

Tum Pater Idalio miratus Cæsar ab astro
Sum Deus, & nostri sanguinis ista fides:

Et Iupiter Ouidianus 15. Metamorph. ad Venerem inquit.

Hanc animam interea cæso de corpore raptam;
Ac iubar, &c.

Quamquam Augustum, & Domitianum Deos, dum viuerent appellatos, ve- D
lint. Propertius de Augusto lib.3. eleg.4.

Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.

Et Martialis lib.5. epigram. 8. de Domitiano.

Edictum Domini, Deique nostri.

Idemque alij de vtroque. Sed Augustum Poetarum vanitas, & Populorum adulatio: Domitianum eiusdem arrogantia, tumorque ita nominauit; se enim ipse Deum, & Dominum dixit in epistola ex Suetonio in Vita cap.13. quod reliqui deinceps prosecuti sunt. Hic tamen post mortem Diuus non fuit. Illa enim veneratio priuato studio, metuque à Populo exhibita est, non pu-

blico

A blico decreto: nec Diui cognomentum solemni factione ac more maiorum tribuebat; quod scilicet consecratio post mortem attulit, & decreta cum publicis cæremonijs Apotheosis. Concludamus igitur cum Tertulliano in Apolog. cap. 34. *Qui Pater patriæ est, quomodo Dominus est? sed & gratius est nomen Pietatis, quam potestatis. Etiam familiæ magis Patres, quam Domini vocantur: tanto abest, vt Imperator & Deus debeat dici, quod non potest credi, non modo turpissima, sed & pernicioſa adulatione. Desine alium Deum credere, atque ita & hunc Deum dicere, cui Deo opus est.*


Tales vt diximus erant Ethnicorum Romanorum Ritus, vt Defunctorum cadauera honore & gloria vana cumularent; at quam glorioſius eorum funus, qui virtutibus vitam propagarunt? Mors omnium est, gloria paucorum: & non glorioſius alienis perpetuò calamis viuere, quam ingloriam in paucas ætates vitam protrahere? Et quid refert quamdiu vixeris, si moriendum est? Bene & fortiter mortuum esse, ea demum magna gloria est. Funeris B pompam, & superba sepulchra nihil mortuis prodesse nisi bona vita præcesserit, scitè Epulonis diuitis exemplo firmat D. Augustin. in psalm. 33. ibi: *Quali autem morte mortuus est ille? Qualis mors esse potuit in purpura & byſſo? quam sumptuoſa, quam pompoſa? quæ exequiæ funeris ibi erant? Quantis aromatibus sepultus est illius cadauer? & tamen cum apud inferos in tormẽtis esset, desiderauit ex illius contempti pauperis digito instillari aquæ guttam ardẽti linguæ suæ, neque impetrauit. Discite ergo, quid sit mors peccatorum peſsima.* Et infra: *Interrogate Euangelium, & ostendet fidei vestræ in pœnis ardentem animam Diuitis, quam nihil adiuuerunt omnes honores, & obsequia, quæ mortuo corpori eius viuentium vanitas præbuit.* In funeris alterius elatione suam quisque mortem cum aliquo prouentu recogitet: habet sanctus Augustinus serm. 120. de diuers. *Cum efferuntur mortui, cogitatur mors, & dicitur: Væ misero: talis fuit; heri ambulabat, aut ante septem dies illum vidi, illud atque illud mecum locutus est, nihil est homo: murmurant illa: sed forte cum mortuus plangitur, cum funus curatur, cum exequiæ præparantur, cum effertur, cum itur, cum sepelitur,* C *viget ille sermo: sepulto autem mortuo etiam talis cogitatio sepelitur: redeunt illæ curæ mortiferæ, reditur ad fraudes, ad rapinas, &c.* Porro quam vitalis esset seria mortis suæ cogitatio in morte alterius; si tamen cum sepulto defuncto non sepeliretur, & meditatio mortis statim à nobis non discederet; hinc quoque nobis est discendum. Diaboli quippe astutia hoc fit, qui vti pictor peritissimus, ita pingit ad optices legem, vt quod ante nos, & proximum nobis est, putemus remotissimum. Hinc quasi mille annis victuri, longissimam nobis securitatem à morte pollicemur. Hinc funera spectamus, & ridemus, quasi nos nunquam futuri funus: quotidie moriuntur, tamen nos esse æternos credimus.

Consideratio.

Et hæc satis de antiquorum Romanorum funeribus.

D

FINIS SECVNDAE PARTIS.



A

PARS TERTIA.

VIcissitudines in Vrbe & Romano Imperio in prima Operis Parte recognouimus: ac etiam varios ritus, & mores, per quos patefactum est tantum Imperium, in secunda Parte iam perlustrauimus: in hac vero tertia Parte videbimus de Sacrificijs & Sacerdotijs eorundem Romanorum; sicuti de Politia, Militia; ac etiam quomodo auctum & conseruatum tale Imperium fuerit.

B

De Romanorum Ethnicorum Sacrificijs. Cap. I.

VT autem aliquid de sacrificijs, quæ à superstitiosa Romanorum Gentilitate peragebantur, dicamus, non erit absonum aliquid prius recensere De Nomine, & Origine eorundem. Deinde de Ritibus. Tertio de Vasis, quæ inseruiebant. Et demum de personis, quæ ministrabant.

Sacrificium inquit Isidorus, est victima, & quæcumque in ara cremantur, seu ponuntur: Victimæ vero, vt idem ait, sunt sacrificia, quæ post victoriam deuictis hostibus immolabantur; sic dictæ, quod victus percussæ caderent, seu quod vinctæ ad aras ducerentur. Hostias vero dictas ab antiquo verbo Hostio, quod ferio significat. Quid.

C

Hostibus à victis Hostia nomen habet.

Cœterum sacrificia hac ratione peragebantur, cum sacerdos victimam ad aram adduxisset, stans aram manu prehendebat, & preces fundebat primum Iano, & Vestæ, quæ in sacris præcipua Numina erant; vt per illos aditus ad cœteros pateret. Aduocabatur Iuppiter Pater Optimus Maximus; & omnes cœteri Patres nominabantur: Deinde ne quid præteriretur, aut præposterè recitaretur, erant custodes dati, qui attenderent sedulò, alium fauere linguis, & tybicinem canere, ne quid infaustum exaudiretur: sacrum ab Immolatione sacerdos inchoabat, fruges, aut molam salsam in caput Victimæ deponebat addito thure masculo; vocabatur Immolatio, quasi Molæ in caput victimæ collocatio; deindè vinum simpulo leuiter delibabat; & idem postea aspergebat, ac in ignem proijciebat; tandem Victimam Dijs oblatam iubebat iugulare Ministros, qui Victimarij, Popæ, & Agones nuncupabantur; reliqui admotis vasculis cruore excipiebant, Victimâ excoriabant abluebant, & ignem accendebant: mox Aruspex, Flamen, & sacerdos viscera rimabantur, D attentèq; explorabant an perlitandum foret, & ex omni membro, seu viscere, Ministri partes decisas farina farris inuoluebant, quas sacerdos aris impositas foculo accenso comburebat: vbi quod Dijs tributum erat conflagrasset, ad epulas ipsi, & conuiuia conuertebantur. Inter vescendum laudes canebant & pedibus psallebant, & pulsatis cymbalis Choreas agebant. Atque hæc de sacrificijs in genere refert Rosinus antiquitat Roman. lib. 3. cap. 33.

Vsus autem Libationum in quocumque sacrorum genere fuit frequentissimus. Libare etenim est aliquid leuiter degustare, quamuis aliqui putent hoc verbum dici à Libero Patre, qui primus tam vini, quam Libationum existimetur

A metur inuentor, vt voluit Ouidius 3. Faſtorum.

Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen,
Libaque quod ſanctis pars detur inde focis.

Nullum itaque ſacrum fuit, cui vinum non adeſſet, & vino Genio ſupplicabatur, ait Perſius.

Funde merum genio.

Et Horat. 3. Carmin.

Cras Genium mero curabis, & Porco bimeſtri.

Et idem in epiſt.

Floribus, & vino Genium memorem breuis hora.

Vocabatur hic ritus vinum deguſtandi Libatio, vt expreſſum habemus in Deuteron. c. 32. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum Libaminum.* Et Chriſtus R. N. in nocte ante ſuam paſſionem vinum in ſanguinem cum tranſubſtantiaſſet, ex eo ipſe guſtauit, & ſtatim diſcipulis præbuit dicens: *Diuidite inter vos, & bibite ex eo omnes:* vt ſacrificij rationem habuiſ-
B ſe in ſacra illa inſtitutione probaretur.

Facta Libatione vinum aſpergebatur, hinc 4. Aeneid. in ſacris Didonis.

Ipſa tenens dextra Pateram pulcherrima Dido
Gandentis Vaccæ media inter cornua fudit.

Et Ouidius 1. faſt. Vitem commiſeratur à capro corroſam, atque in illum aſſurgens Poeta ait.

Rode Caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

Fundebatur pariter vinum foculo iam accenſo, Virg. Georg. 4.

Ter liquido ardentem perfudit nectare flammam,
Ter flamma ad ſummum tecti ſubiecta reluxit.

Et Ouidius lib. 5. Triſt. eleg. 6.

Da mihi thura puer, pinguas facientia flammas,
Quodque pio fuſum ſtridat in igne merum.

C Mactata hoſtia, membraque flammis impoſita in Deorum honorem cremanda: vino ſimiliter tam exta, quam etiam femora aris impoſita perfundebantur, Homer. in Odyſſ.

Super autem femora vinum libauit.

Et Macrob. ſaturn. l. 7. ait: *Pari modo paſti ſolitos victus liberum, & pultium, hoſtiarumque cæſarum, quo putreſiat facilius, & percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigantes ſe vino.*

Thuris, & vini meminit Ouidius ſcribens ad Acontium.

Flaua ſalutatis thura, merumque damus.

Ac etiam vna cum frugibus in igne vina immiſſa, refert idem Ouid. 2. faſt.

Inde vbi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parua focos,
Vina tenent alij, libantur ſingula flammis,
Spectant, & linguis candida turba fauet.

Quod vero ad numerum determinatum libabatur, & in ſacrificijs natali-
D tijs toties vinum in altari ſuper ignem effundebatur, quot fuiſſent anni illius pro quo ſacrum fiebat: Ouid. 3. Triſt. eleg. 13.

Fumida cingatur florentibus ara coronis
Micaque ſolemni thuris in igne ſonet.
Libaque dem pro te, genitale notantia tempus,
Concipiamque bonas ore fauente preces.

Habebant pro his Libationibus hæc ſignata verba:

MACTVS. HOC. VINO. INFERIO. ESTO.

Inferium vinum dictum, ne omne vinum in cellis religione obligatum videretur.

Vi-

Vinum etiam sanguine commiscebant, ac eisdem aram deturpabant, ait A
Herodianus lib. 5. referens de Heliogabalo, quamobrem Statius lib. 6. Thebaid. ait.

Spumantesque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratissima Cymbia lactis.

Et nunquam Libationibus in Ethnicorum sacris finem fuisse irridens Arnobius lib. 6. ait. *Non cæsorum sanguinem animalium domus, non thura, non fruges salsas, non denique vinum liquens, paterarum infusionibus inferimus.* Nam sanguis vino admixuus facilius diluitur, magisque aptus ad effusiones, & aspersiones redditur.

Ethnici, qui sacros ritus ab institutis Mosaycis suffurari non sunt veriti: siquidem hæc eadem libamina habuisse Hebræos, pluribus in locis aperiunt nobis sacræ paginæ: & præter libationem, seu prægustationem, quæ præcedebat sacrificium, de qua diximus supra ex c. 32. Deuter. *Et bibebant vinum Libaminum*, erat quoque altera libatio per effusionem super Victimas, de B
qua habetur in Numeris capit. 15. cum sit ibi lex generalis pro omni sacrificio his verbis: *Et vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ dabit in holocaustū, siue in victimam*; quod etiam cap. 28. repetitur: *Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt*. Dicebantur autem libamenta tam prægustationes, quàm effusiones, quoniam vno eodemque vino vtraque libamenta fiebant.

Quod verò attinet advasa, quæ sacrificijs inseruiebant, cuius fuerint formæ, satis difficile est illa inuestigare, nisi de ijs ex nummis, lapidibus, & veterum monumentis lumen recipiamus.



Verum quia in plurimis marmoribus antiquitatis expressum habemus Vas, seu Vrceolum hic præsignatum, & hunc fuisse Præfericulum ab Ethnicis sic nominatum plurimi Scriptores censuerunt. Sed ab hoc intellectu remouet nos Festus Pauli, dum ait: *Præfericulum vas æneum sine ansa patens, summum velut peluis, quo in Sacrificio Opis Consuæ vtebantur*. Quod penitus contrarium est Iconi præsignatæ; siquidem vas illud cum ansa effectū visitur, ac etiam summitas Vasis non patens, sed satis arcta. C

Et cum de prædicta Scriptorum discordantia esset mihi sermo cum erudito viro numismatum & totius antiquitatis D. Francisco Angelono; exhibuit ille mihi ex suo Musæo Vas æneum in summitate patens, cui supernè inest infixus discus concauus, ex metallo magni ponderis, vt ignem super illud appositum fuisse satis probabile sit in sacrorum vsum; sicuti in Aedibus Dominorum de Matthæis hic Romæ videmus antiquum marmor, in quo scalptus est sacerdos simile Vas habens in manibus, supra quod ignis ardet, & hunc fuisse antiquum Præfericulum ad sacrificia supponit D. Angelonus, cui ego D
facile subscriberem.

Nisi forte velimus dicere, Præfericulum fuisse Lucernam instar cymbæ potoriæ, seu Nucis Amygdalinæ: in qua ellychnium in medio statui possit: cum vtraq; extremitate sit angusta, in acutum tantisper desinens; cuius medium latius sese aperit: illiusq; formā ex antiquis marmoribus hic effigiandam curaui;



Quod ipse quoque Apuleius loquens de Antistite Sacrificiorū Isidis, explicuit. Metamorph. his verbis: *Quorum primus Lucernam præmicantem claro porrigebat lumine, non nostris consimile, quæ vespertinas illuminant epulas; sed aureum Cymbiū in medio sui patore flammulam suscitans largiorem.* Etenim prædictæ Cymbæ, seu lucernæ optimè

qua-

A quadrare videtur diffinitio Præfericuli, de qua Festus, nempe quod sit vas æneum sine ansa patens velut peluis, quo in sacrificio vtebantur.

Verum præter illud Præfericulum excogitare oportet, qua forma essent alia sacrificiorum vasa; nimirum quibus vinum prægustabatur ante sacrificiū, & aliud quo illud inter victimæ cornua effundebatur, sicut & in aram, in ignem & per totum sacrificium.

Vsos siquidem fuisse veteres in Libationibus sacrificiorum Simpulo, siue Simpuuio, quod in prægustationibus minutatim, & parum ex eo vini sumerent sacrificantes; & propterea Simpulum hoc vas appellatum, de quo M. Varro: *Quod vinum dabant, vt minutatim funderent, à Guttis Guttum appellarunt; & quo sumebant minutatim à sumendo Simpulum nominauere, hinc in sacrificijs remansit Guttum, & Simpulum.* Festus quoque Pauli de Simpulo dixit: *Vas paruum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificijs libabatur, vnde & mulieres rebus diuinis deditæ Simpulatrices dicuntur.* Ac etiam de ijsdem Simpulis loquitur Plinius lib. 35. cap. 12. his verbis: *In sacris non myrrhinis,*
B *crystallinisue, sed fictilibus prælibabatur innocentius.* Loquitur enim ille de veteri Romanorum simplicitate, & paupertate, ex Apuleio Apol. 1. his verbis: *Paupertas Populo Romano Imperium à primordio fundauit, proque eo in hodiernum Dijs immortalibus simpulo, & catino fictili sacrificat.* Huius vasis inuentum tradidit Numa primus, post Romulum, Deorum cultu summè laudatus, cuius religionem irridens Iuuen. satyr. 6. dicebat.

Simpulum ridere Numæ, nigrumque catinum.

Simpuli forma ex communi consensu interpretum, tam Latinorum, quam Rabbinorum per medias quasdam fistulas significari dicitur, quod nimirum vsus gratia medias fistulas illa vasa haberent non solum à tergo, vbi manubrio satis longo fulciuntur vno altero latus, quod velut quoddam canale excauatum habent; sed etiam in anteriori parte, vnde liquor degustabatur, medio canale vas excauatur ad vinum fundendum, degustandum, atque libandum; sicque extra protenditur, vt ori cum adlungitur vini tantillum, exorbere liceat, quod constat ex eius forma hic apposita desumpta ex antiquis
C lapidibus, ac etiam ex nummis; quorum hic vnum delineandum curauimus figura Claudij Imperatoris cum toga, & capite cooperto, vt mos erat sacrificantium, habentis dextera manu simpulum, ac si vellet inire sacrificium, & de hoc humiliate D. Angelonus in sua Hist. Augusta in Claudio, 13.



D

Simpuli

Simpuli autem materiam diximus supra fuisse fictilem, nempè luto Samio, A
quod est ex Insula Samo, & de hac eadem ma-



teria in rubeum colorem vergente, plurima adseruãtur vasa in meo Musęo ad veterũ sacrificia: quod autem in talẽ vsum inseruisset Samium lutum, Plaut. in Captiuis scen 2. *Ad rem diuinam, quibus opus est, Samijs vasis*. Et Cicero 6. pro Repub. vt citat Nonius: *Munera Pontificum Dijs immortalibus grata sine Samio*.

Quamuis verbum Libare labijs leuiter degustare significet, denotabat etiam effundere, siquidem vino vtrumque fiebat; etenim vbi accubuissent ad mensam conuiuãtes, aliquid Poculi Deorum in honorem, vel in terram, vel in ignem effusum fuisse legimus, vt apud Virgil. in 5. Aeneid.

Dixit, & in mensa laticum libauit honores

Et alibi. *In mensam læti libant, Diuosque precantur*. B
Vel etiam in mari si nauigarent:

Stans Procul in puppi pateram tenet, extaque salsos
Porrigit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Hæc autem vascula sacrificiorum, quibus vinum etiam sanguine mixtum fundebatur in aris, siue solo, Pateræ dicebantur à potando, vt dicit Varro lib. 4. de lingua Latina his verbis: *Præterea in poculis erant Patera; eo quod pateant Latinè ita dicta; fuisse etiam tunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando Deis, hoc poculo Magistratus dat Deo vinum, & sanguinem*. Inde Ouid. 4. fast. inquit,

Cumque meri patera thuris acerra fuit,

Et idem Metamorph. lib. 15,

Vinaque dat pateris, & mactatamque bidentum.

Quæ vasa labra extensa habebant, quorumque vsum etiam in sacris ad vina fundenda Patellæ dicebantur ex Varronelocо citato, sic ait: *Patina à patulo dicerunt, quod libarent in cœnis patellas*. Cuiusmodi patinæ, seu pateræ cum manubrio, quam ego inter mea cimelia seruo, hic delineatam apposui; quamuis aliæ quoque essent pateræ absque manubrio, vt in hac effigiata ex ære figura, (vt in meo Musæo) ex quibus Pateris desumptam forsan originem Patenæ, qua in sacrosancto Missæ sacrificio nos vtimur; non est omnino improbabile. C




D

A Fuere quoque alia vasa in sacrificijs ad effundendum vinum, vel sanguinem, ex quibus Guttus, vt inquit Varro lib. 4. de ling. Latina. *Quo vinum dabant, & cum minutatim funderent à Guttis Guttum appellarunt.* Et paulo post: *In sacrificijs remansit Guttum, & Simpulum.* Illud vero inter Guttum & Simpulum discrimen in ipsis altaribus erat, quod ad libandum vinum Simpulum deseruiebat; Guttus vero ad idem fundendum in sacris habebatur; & de ijs Guttis ex luto Samio exmeo Musæo hic formam delineatam apposui.

Ex qubus Guttis quoniam aliqui, vt in supra effigiato schemate, vnde effundebant vinum & liquorem, Leonis caput effigiatum habebant, Leunculos propterea appellatos; & sic forsan intelligitur sacer textus primo Paralipom. cap. 28. num. 17. his verbis: *Ad fuscinulas quoque & phialas & thuribula ex auro purissimo, & Leunculos aureos pro qualitate mensuræ pondus distribuit in Leunculum & Leunculum; similiter & in Leones ærgentos diuersum argenti pondus separauit:* Vt sensus sit, quod Dauid vnicuique Græteri tam argen.eo quam aureo pondus tam auri quam argenti præscripserit; & ita in-

B tellexit Fr. Fortunatus Saccus de Sacris Eleochrismatibus myrothec. 2. c. 44.



Erant præterea alia multa instrumentorum genera, quæ sacrificijs inseruiebant, nempe securis seu Secespita, qua Victima erat ferienda.

Vas aureum, argenteum, seu æreum Lustrali continendæ, quæ in sacrificia, & in circumstantes expiandis criminibus spargebatur (vt in hac apposita figura ex æneo vase antiquissimo in meo Musæo, quemadmodum nos Christiani Aqua benedicta ad eluendas leues animi sordes; locumq; contagio malignorum spirituum purgandum; & in sacris tum frequenter, tum efficaciter vtimur; Ethnicis autem superstitio inanis & inefficax fuit, sicut & cæteræ religionis obseruantiæ.

Habebant quoque Ethnici in Sacrificiis Aspersorium seu

C Aspergillum, quo aquam Lustralem aspergebant.

Erat acerra, vbi seruabantur Aromata, quibus abstergebatur fætor carnium, quæ immolabantur.


Pileus quoque Flaminis & Mitra summi Sacerdotis.

Aderant etiam Tripodes diuersimodè elaborati, super quos accenso igne Sacrificia celebrabantur; vt in hac apposita figura, quorum prior flexilis extat in Musæo celeberrimo D. Francisci Gualdi Nobilis Ariminensis Equitis S. Stephani: alij vero duo extant in altero insigni Musæo D. Francisci Angeloni, de prædictis loquitur Virg.

Troiugena interpres Diuum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui sidera sentis.

Loquitur etiam Dionys. de arte Rhetor. capite primo de Panegyr. & Pausan lib. 8. & 9.

D



A

B

Fuerant quoque instrumenta quædam, quibus viscera animalium Aruspices, & Sacerdotes rimabantur, & explorabant; de quibus antiquissimis in meo Musæo ex ære & ferro, hic delineatis est videre.

Fuerant præterea varia vasa, quibus Popæ, & Victimarij vtebantur ad excipiendum sanguinem ex mactatis victimis, vt ex figuris appositis etiam ex meo Musæo.

Inter cætera Sacrificiorum genera apud Ethnicos Romanos fuit satis frequens, quod *Sueouetaurila* nominarunt, toties fieri solitum, quoties Milites recensebantur & exercitus Lustratio fiebat, docet Liuius lib. 7. quod in Columna Traiani bis etiam expressum apparet, cum expeditio Belli Dacici ibidem repræsentetur. C

Demum dicturus de Personis, quæ Sacrificio adsistebant: erant Primo Sacerdotes Laureati, ritu Gabino succincti, hymnos, lætumque Choro Pœana canentes, precesque aliquot sacrificio dicatas. Cinctus autem Gabinus vestimenti genus erat, quo sacerdotes cuiusque Dei, ritus, & templi vtebantur, quale Camisum lineum, candidum; quo nunc nos Christiani vtimur ab Italis *Camiso* & ab Hispanis Alua nominatum; & cum esset latum, adeoque oblongum, vt discinctum per solum traheretur; postea cinctum pendentem supra cingulum faciebat vndique sinum, vt hic Romæ in Traiani Columna adhuc etiam videmus expressum; Qui ritus perhibetur fuisse Gabinus à Romanis vsurpatus, vt Liuius in 5. hist. Rom. & Virgil. in 7. Aeneid.

Insignis referat stridentia lumina Consul,
Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino. D

Et de ijs Blondus lib. 1. Romæ Triumphantis, sed sicuti Ethnici sacerdotes ab Hebræis sumpserunt vsum succincti huius vestimenti (quod illi Ephod nominabant) vt in Sacro textu lib. 1. Reg. cap. 2. sic etiam Christianos Sacerdotes sumpsisse in sacro Missæ Sacrificio vsum succincti camisi à præfatis Hæbreis; ac etiam forsan ab Ethnicis prædictis non est omninò improbabile.

Adstabat Popa seminudus & succinctus minister Sacrorum, lauro redimitus, qui victimas habebat, aris alligabat, feriebatq; vt refert Propert. l. 4.

Succinctique calent ad noua sacra Popæ.

Quorum etiam meminit Suetonius in Caligula, & Spartianus in Geta.

Limus

A Limus veſtis, qua Popæ vtebantur victimas confecturi, ab vmbilico ad medias vſque tibias deſcendens, vt illorum pudenda tegerentur, habens in extremo ſui purpuram limam, ideſt flexuoſam, vnde & nomen accepit: nam limum obliquum dicimus; huius generis veſtis meminit Virg. in 12. Aeneid.

Velati limo, & verbena tempora vincti.

Vbi Seruius.

Victimarius Sacerdotum miniſter, qui victimas ligabat, deducebat, aquam, & molam parabat. & reliqua, quæ ad ſacrificia erant neceſſaria, vt

Camillus dictus,
ferens; ex quo
qui namque Ca-
eres Sacrificijs
t, gratiſſimos ſi-
igerent, qui ad
biles; more ex
vel vittis eſſent
rius rei auctores
de faſtis & in 2.

e linea candida
deret, aut audi-
dea in vſum ſa-
: præcoces fru-
a vinum, vel li-
ictimæ, quod

gebant: tuba,
, cuius ſonitus
a autem quæ
æreo circulo

ICII.

iteo vir inter
tiſſimæ, & le-
ſingulari qua-
ſe, inquam,
neandam cu-
ferunt Cani-
itur quatuor
ſcutis: præ-

ceratius miniſtrantes ſatis concinne induti
rerentes duo magna candelabra ad ſuffumigandum odoramenta ſacrificij, ſubſequuntur alij duo, quorum alter iuuenis diſtentis buccis geminam tibiam inflat; alter autem grandioris ætatis plectrum ſonat, ne quid infauſtum in ſacrificio exaudiretur: ſunt præterea alij tres, qui arborem, ſeu longum lignum portant: ſubſequuntur alii duo ſenes cum faſcibus, & ſecuribus: Tres autem adſiſtunt Popæ, quorum vnus cum acerra defert ollam magnam ad coquendas carnes ſacrificij, & alij duo tenent Bouem mactandum; ex his vnus fert ſupra caput ciſtam repletam cultris ad ſacrificium neceſſarijs: demum extat ſacerdos capite cooperto ſupra flexilem tripodem ſacrificans.

Crederem hoc ſacrificium pro ſolutione voti peractum à Conſule reuer-

mum obliquum dicimus ; huius generis

Velati limo, & verbena tempora vincti.

Vbi Seruius.


Victimarius Sacerdotum minister, qui victimas ligabat, deducebat, a-

quam, & molam parabat. & reliqua, quæ ad sacrificia erant necessaria, vt



pag. 56.
Cap. 3.

A





Fuerant quc
ſpices, & Sace
mis in meo Mu
Fuerant pra
excipiendum
meo Muſæo.
Inter cæter
quens, quod
recenſebantur
lumna Traiani
dem repræſent
Demum dic
Sacerdotes La
na canentes,
veſtimenti gen
tur, quale Can
Italis *Camiſo* &
oblongum, vt
ſupra cingulum
adhuc etiam vi
manis vſurpatu

Inſignis reſerat [illegible]
Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino.

D

Et de ijs Blondus lib. 1. Romæ Triumphantis, ſed ſicuti Ethnici ſacerdotes ab Hebræis ſumpſerunt vſum ſuccincti huius veſtimenti (quod illi Ephod nominabant) vt in Sacro textu lib. 1. Reg. cap. 2. ſic etiam Chriſtianos Sacerdotes ſumpſiſſe in ſacro Miſſæ Sacrificio vſum ſuccincti camiſi à præfatis Hæbreis; ac etiam forſan ab Ethnicis prædictis non eſt omninò improbabile.

Adſtabat Popa ſeminudus & ſuccinctus miniſter Sacrorum, lauro redimitus, qui victimas habebat, aris alligabat, feriebatq; vt refert Propert. l. 4.

Succinctique calent ad noua ſacra Popæ.

Quorum etiam meminit Suetonius in Caligula, & Spartianus in Geta.

Limus

A Limus veſtis, qua Popæ vtebantur victimas confecturi, ab vmbilico ad medias vſque tibias deſcendens, vt illorum pudenda tegerentur, habens in extremo ſui purpuram limam, ideſt flexuoſam, vnde & nomen accepit: nam limum obliquum dicimus; huius generis veſtis meminit Virg. in 12. Aeneid.

Velati limo, & verbena tempora vincti.

Vbi Seruius.

Victimarius Sacerdotum miniſter, qui victimas ligabat, deducebat, aquam, & molam parabat, & reliqua, quæ ad ſacrificia erant neceſſaria, vt Valer. Max. lib. 1. cap. 1. & Liuius lib. 40. meminerunt.

Erat præterea Puer ingenuus vitta tempora redimitus Camillus dictus, Pontificis Maximi Sacrificio miniſtrans, vrceolum dextera ferens; ex quo vinum, vel liquorem in Pateram Sacrificantis infundat; antiqui namque Camillos, & Camillas vocabant miniſtros, & miniſtras impuberes Sacrificijs inſeruientes; Romulus enim inſtituit, vt qui ſine liberis eſſent, gratiſſimos ſibi ex omnibus ſingulos pueros, & puellas ex ſingulis curijs eligerent, qui ad
B pubertatem vſque miniſtrarent, puellæ verò quo ad eſſent nubiles; more ex Græcia tranſlato; coronis autem interim dum ſacrificarent, vel vittis eſſent redimiti, Camillique eiuſmodi pueri ingenui vocarentur, cuius rei auctores ſunt Dionyſius Halicarn. lib. 2. & Sext. Ponpeius. Panuinus de faſtis & in 2. de Repub.

Summus Sacerdos, & hic eratpotiſſimum Imperator, veſte linea candida indutus vſque ad talos demiſſa, velato capite (ne quicquam videret, aut audiret inter Sacrificandum triſte, vel indecens,) ſuper ara lapidea in vſum ſacrificandi conſtructa, igne ſuperaccenſo, flores, odores, & præcoces fructus, myrrham, caſiam, thus, & crocum Dijs adolet; è patera vinum, vel liquorem alium ſuperinfundens, aut certè ſanguinem mactatæ victimæ, quod Cicero in Paradoxis, & Macrob. in Satur. prodidere.

Tibicines interim, dum Sacrificium perficitur, tubis clangebant: tuba autem inſtrumentum eſt ex ære, vel argento cauum, & rectum, cuius ſonitus
C in caſtris, & prælijs, & ſacris etiam maximè in vſu erat. Tuba autem quæ directa eſt ita appellatur; ſicut Buccina, quæ in ſemetipſam æreo circulo flectitur.

ENARRATIO FIGVRÆ SACRIFICII.

DVM hæc ſcriberem, Clariſſimus Eques D. Caſſianus à Puteo vir inter cætera animi, inſigniſque nobilitatis ornamenta, cum ditiſſimæ, & lectiſſimæ Bibliothecæ, tum ſelectiſſimi antiquitatum Muſæi, & ſingulari quadam ad eruditos demerendos, benefica ſuauitate conditus; ipſe, inquam, mihi dono attulit figuram antiquiſſimi marmoris, quam hic delineandam curaui: Solemne ſacrificium repræſentat, in quo primum tres deferunt Caniſtrum ad panes, & carnes, ſeu alia ſacrificij neceſſaria: ſequuntur quatuor Tibicenes coronati; ſicuti & alij quinque iuuenes cum galeis & ſcutis: præterea ſex alij iuuenes ſeu Camilli ſacrificio miniſtrantes ſatis concinne induti
D ferentes duo magna candelabra ad ſuffumigandum odoramenta ſacrificij, ſubſequuntur alij duo, quorum alter iuuenis diſtentis buccis geminam tibiam inflat; alter autem grandioris ætatis plectrum ſonat, ne quid infauſtum in ſacrificio exaudiretur: ſunt præterea alij tres, qui arborem, ſeu longum lignum portant: ſubſequuntur alii duo ſenes cum faſcibus, & ſecuribus: Tres autem adſiſtunt Popæ, quorum vnus cum acerra defert ollam magnam ad coquendas carnes ſacrificij, & alij duo tenent Bouem mactandum; ex his vnus fert ſupra caput ciſtam repletam cultris ad ſacrificium neceſſarijs: demum extat ſacerdos capite cooperto ſupra flexilem tripodem ſacrificans.

Crederem hoc ſacrificium pro ſolutione voti peractum à Conſule reuer-

so è bello hostibus deuictis; nam præter habitum consularem ipsius sacrificantis, vt in numismatibus etiam sacrificantium Imperatorum videmus; adsunt Lictores cum fascibus, & securibus: quod autem sacrificium sit pro voto soluendo è consecuta victoria, patet; quod ferè omnes adstantes sunt Coronati; sicuti quod plures milites cum galeis, & scutis interueniunt; ac etiam plerique omnes cum calceamentis militaribus, & similibus. A

Cui autem Deo fiat sacrificium? si diuinari fas est, crederem forsan Apollini, cum plectrum præcedat sacrificium; ac etiam quod supra tripodem illud peragatur, quæ duo proprie Apollini dicata sunt.

Remanet sola difficultas de longo illo ligno, quod etiam antecedit sacrificium, & in hoc ego hæreo, nisi velimus forsan asserere hoc symbolum, seu indicium esse vi expugnatæ Vrbis ligno oblongo instar Arietis, vt videtur annuere Salmasius in suis Notis Ælij Spartiani ad vitam Antonini Caracallæ num. 15. pag. 166. Lignum à prædictis delatum significare materiam ad bellicas machinas allatum, quamuis idem Salmasius videatur postea firmare, quod illi dictum lignum ferentes Dendrophori nominentur, & in honorem Bacchi & Siluani id faciant; quod non omnino tutum, nec ego illi adscriberem, quoniam auctoritates, quas ille adducit Artemidori, Virgilij & similium, loquuntur, quod Dendrophori in sacrificijs Bacchi, & Siluani ferrent ramusculos Hederæ, seu vitium; at lignum nostri sacrificij est satis grande à tribus viris delatum, quod nil commune habet cum prædictis ramusculis: ac etiam nostrum sacrificium apparet solenne esse secundum morem Romanorum, nec in eo minimum indicium constare de ritibus Bacchi, aut de hostijs Siluani. B

Probabilior tamen nostræ figuræ expositio, videtur hoc sacrificium post triumphum, quod quispiam opima spolia fuisset consecutus, quæ in templo Iouis Feretrij suspendebantur. Erant Opima spolia, quæ Dux hostium Duci à se immediatè interfecto detraxerat: de istis triumphis vti Festus & cum eo alij tradunt, tanta raritas fuit, vt intra annos paulo minus DXXX. tantum tres contigerint nomini Romano: primus quem Romulus de Acrone: alter quē Cossus Corn. de Tolumnio: tertius quem M. Marcellus Ioui Feretro de Vitidomaro fixerunt. Rosinus Antiquit. Romanor. lib. 10. cap. 29. refert ex lege P. Numæ Regis; vt pro primis spolijs opimis publicè sacra fieri deberent ad ædem Iouis Feretrij Boue (vt in nostra figura de Boue simile est sacrificium) pro secundis verò spolijs opimis in Martis ara sacrificium ex Sueouetaurilia fiebat: & pro tertijs spolijs Agnus sacrificabatur. In triumpho autem nostræ figuræ supra magnam arborem forsan ex Quercu extat truncatum caput nempè Regis, seu Ducis hostis occisi; vt etiam Romulus Rege Cecinensium manibus suis in acie occiso, de quo T. Liuius Decad. 1. lib. 1. sic ait: *Spolia Ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id aptè ferculo, gerens in Capitolium ascendit: ibique ea cum adquercum pastoribus sacram deposuisset; simul cum dono designauit templo Iouis fines; cognomenque addidit Deo: Iupiter Feretri, inquit, Hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero, &c.* C

Christiani sacrificare coacte.

Sed ante conclusionem huius argumenti de Ethnicorum Sacrificijs; superaddere ex Ecclesiast. historijs est visum; qualiter in Romanorum Impp. persecutionibus nemini aliquid emere, aut vendere esset permissum, nisi prius idolis aliquo modo sacrificasset; vt se idololatræ hoc signo etiam Christiani profiterentur; ita ex actis sancti Concordij Martyris apud Surium tom 1. liquet: *Temporibus Antonini Imperatoris, vti dicitur, grauissima persecutio orta est in Vrbe Roma, itaut non emendi nec vendendi cuipiam facultas facile daretur, nisi qui Dijs immolasset.* In actis item sanctorum Martyrum Sebastiani & Sociorum hæc referuntur: *Consulibus Maximo & Aquilino: tam immanis exorta est persecutio, vt nulli quidquam vel vendere vel emere liceret, nisi paruis quibusdam statuis positis in eo loco, vbi emendi gratia conuentum esset, thura incendere:* D

A *cendere: tum etiam circa insulas, vicos, & aquas positi erant compulsores, qui neque molendi, nec aquas hauriendi potestatem facerent, nisi qui idolis libassent.* Similia de eadem persecutione referunt Aretas Oratione de Sanctis Samona & Curia, & Beda in vita sancti Iustini Martyris carmine scripta tom. 3. inter alia opera.

Non illis emendi quidquam,
Aut vendendi copia,
Nec ipsam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Detestandis idolis.

His consentanea narrat Euseb. lib. 8. Ecclesiast. hist. cap. 19. De Galerio Maximiano, videlicet: *Mandauitque vt omnes omnino viri cum vxoribus, famulis, & pueris matrum vbera adhuc sugentibus, ea idola colerent, libamina*
B *offerrent, & ipsa sacrificia recepta degustarent, & vt cibaria in foro venalia impuris sacrificiorum libationibus contaminarentur.* Sed magis etiam insidiosè Iulianus Apostata, quæ in foro exponebantur panes, carnes, fructus, olera, & omnia alia esculenta aqua lustrali aspergi iubebat, ex Theodoreto lib. 2. histor. cap. 14. vt qui eis vescebantur, viderentur idola venerari.

De Sacerdotijs. Cap. II.

QVoniam de Sacrificijs iam plura recensuimus; etiam de Sacerdotijs lubet aliquid superaddere, vt ex Feneſtrella, Pomponio Læto, Rossino & *alijs*. Antiquissimus autem omnium in Latio Regum Faunus fuit: Aboriginibus hic imperauit, & homines more ferarum viuentes in mitiorem vitam redegit, lucos sacrauit, locis & vrbibus nomina dedit: ædificia erexit, templa ædificauit; quæ ideo à *Fauno fana dicuntur, quod* Pontifices sa-
C crando illic fantur. Faunum in Latio cultum Deorum instituisse fertur; quamuis aliqui scribant ante Faunum imperasse Ianum, & cultum Deorum demõstrasse. Fauni soror vaticinatrix, hæc mulierum castissima; ideo eam Romani Bonam Deam appellauere, cuius templum in saxo montis Auentini: vnde ingressus virorum prohibetur, & ei fœminæ tantum sacrificant. *Faunus.*

Lupercalia sacrificia ad expiandos manes fiebant: Græcè Lycæa à Pane Lycæo nomine Arcadio, quem Romani vocant Iunum. Lycæo sacrificatur in spelunca, quæ sub Palatino monte est. Mensis quo hæc sacra fiunt, Februarius à februando, idest purgando dicitur, & dies Lupercaliorum februata. Euander ex Arcadia hoc solemne in Latium tulit, & instituisse fertur, vt nudi iuuenes Lycæum Pana venerantes, per lusum atque lasciuiam currerent: hoc primum ludicrum idest lupercal Romulus accepit: dictum videtur à Lycæo, quia λύκος, inde lupercal. Scribunt aliqui à Lupa nutrice Romuli ac Rhemi, nam ab eo loco solemne incipit, vbi lupa lac vagienti prębuit: *aut quod Pan lupos arceat*: aut quod cum Romulus in Palestra esset,
D nudus latrones insecutus fuerit, & votum Pani Lycæo fecerit. Quamquam verius videatur, vel à Lycæo, vel à Lupa; ideo Romani in lupercalibus canem immolant, quoniam naturaliter canis *lupis aduersatur*, ob quod Romulus Lupæ nutrici gratias habere videtur. *Lupercalia.*

Victor Hercules cæso Geryone in Erythra, quæ est insula Oceani in Hispania, abacto nitidarum bouum armento in Latium venit, & propè Tiberim loco herbido procubuit, vt læto pabulo reficeret boues. Cacus latronum princeps eximias boues duas caudis in speluncam traxit. Hercules somno excitus lustrato grege, cum partem abesse numero sensit, omnia circuit, auersa vestigia comperit: confusus nouitate rei, ex loco infesto agere *De Potitijs & Pinarijs.*

armen-

armentum cœpit. Cum rapctæ boues desiderio relictarum mugissent, reddita A
fuit è spelunca vox, quæ Herculem conuertit inuenta fraude, Cacum ictu
clauæ neci dedit. Concursus trepidantium Pastorum aduenam reum cædis
faciunt apud Euandrum, qui miraculo litterarum inter rudes artium homi-
nes, ea loca tum regebat, ex Peloponnenso profugus. Is intuens habitum,
formamque viri, rogat qualis vir ipse esset? vbi nomen, patremque, & pa-
triam accepit; quia sic Carmenta mater eius vaticinata fuerat, extemporalem
aram Herculi erexit, indomitumque mactauit iuuencum. Inde seruatum
est, vt quotannis Romani Bouem indomitum Herculi immolarent: Hercules
epulum populo dedit, sacrum fieri voluit à Potitijs & Pinarijs, quæ tum
familiæ maximè inclytæ ea loca incolebant. Fortè euenit, vt Potitij præ-
sto essent, hisque exta apponerentur; & Pinarij quia tardi fuere, extis ade-
sis ad cæteram venirent dapem. Potitij ab Euandro edocti, antistites sacri
eius diu fuerunt; postea cum interijssent, empti de publico serui, officium
exercuerunt. Ara ab Euandro erecta, cui Herculi decimas soluit, Maxima
vocatur, & proxima est foro boario, vbi ex voto decimæ fiunt. Tradunt, B
qui velint diuites fieri, Herculi decimas soluant. Hinc opes M. Luculli factæ
memorantur: & ipse Hercules thesaurorum Deus putatur.

De fratribus arualibus. Accam Laurentianam duodecim suscepisse liberos, scribit Masurius Sa-
binus, ex quibus cum vnum extulisset, grauiter indoluit. Romulus in demor-
tui locum se dedit, & ita nutricem pientissimè consolatus est. Ab hoc nu-
mero duodenario aruorum Sacerdotes duodecim esse voluit; & vt Plinius
ait, se inter liberos Accæ Laurentiæ fratrem duodecimum appellauit. Fra-
tres Aruales hi nominati sunt, qui sacra publica faciunt, propterea vt fruges
ferant arua. A ferendo igitur & aruis fratres Aruales dicti sunt. Laurentiam
in eo sacerdotio dedisse Romulo spiceam coronam pro religiosissimo insigni,
quæ vitta alba colligaretur: vt etiam Plinius refert.

De Auguribus. Augurandi ars antiquissima à Chaldæis ad Græcos, apud quos Amphia-
raus Mopsus, & Calchas summi Augures habiti sunt, à Græcis ad Hetruscos
venit, ab Hetruscis ad Latinos: & ipse Romanorum Pater Romulus augur C
fuit; & ideo instituit Magistratus augurijs confirmari: & posteri non nisi au-
gurio iubente res inchoabant. Locus augurij templum erat: Augur versus O-
rientem sedebat capite velato, lituum dextera tenens manu, ideft curuum
baculum, quo in cœlo regiones diuidit, & quæ auguria veniunt, prædicit: si
læua fuerint quia à læua parte Septentrio est, felicia pronunciat: pars illa
Orbis propter altitudinem prospera putatur, & a dextra parte meridies,
quia depressus est, infelix. Dionysius meminit antiquam augurandi obser-
tionem fuisse etiam Aboriginum; nam Ascanius prius quam aciem contra
Mazentium educeret, augurium captauit: & vbi micare à sinistris fulgur cō-
spexit, pugnauit & victor fuit, tantaq; veneratio, & vtilitas inde fuit, vt col-
legium augurum constitutum sit: & primum tres augures fuere à tribus tri-
bubus: sic instituisse Romulum tradidit Dionysius. Inde quatuor creati:
Tandem plebe per tribunos id petente, quinque plebi augures, quatuor pa-
tritijs adiuncti fuerunt; & sic numerus nouem augurum mansit.

De Flaminibus. Dialem & Martialem Flaminem Romulus instituit, Numa Quirinalem ad- D
didit. Varro asserit Numam Pompilium Flamines singulis Dijs fecisse, & ab
eis nomina dedisse. Hinc Respublica hominibus in cœlum relatis Flamines
decreuit. Dicti autem Flamines sunt ex gestatione pileorum, quasi pileami-
nes: quidam aiunt ab Infulis, quas flammas vocant. Eorum ministri Flaminij
dicti, & ministræ Flaminulæ. Sed rerum omnium sacrarum administri Ca-
milli dicebantur. Flamines non poterant, nisi singulis Dijs attribui, & ne-
fas sine pileo erat egredi domum.

De Salijs. Salios duodecim Marti Gradiuo legit Numa, dicti à saltando, quod facere
in Comitijs quotannis & solent & debent: versicoloribus tunicis ornati per

Vrbem

A Vrbem tripudiant, succincti æneis baltheis. Togas fibulis nectunt, quas trabeas vocant. Gestant in capite pileos, quos vocant apices, glacio accinguntur, dextra lanceam aut virgam ferunt, læua Thraciam peltam. Lege cautum erat, vt Salij liberi essent, & indigenæ, & quorum vterque parens viueret, & cuiuscunque fortunæ pauperes aut diuites. Quidam Salios appellatos putant à viro Samothrace nomine Salio, qui saltationem in armis inuenit. Traditur Tullus Hostilius duplicasse numerum Saliorum.

De Fœcialibus.

Fœciales dicti, quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, vt iustum conciperetur bellum, & vt fœdere fides pacis constitueretur: & instituisse dicitur Numa, cum indicendum esset bellum Fidenatibus. Hi mittebantur prius quam conciperetur bellum ad res repetendas: & si non impetrabant, bellum indicebant. Fœcialium vnum Patrem patratum constituebant, ex ipsis Fœcialibus electum. Hic sacris vestibus ornatus ad authores iniuriarum procedebat: priusquam vrbem intraret, ianitorem vel alium, qui obuiam fuisset, alloquebatur quibusdam imprecationibus. Inde in
B forum pergebat, illic differebat, qua causa venerit, tempus ad consultandum dabatur triginta dierum: si per hos dies res infecta maneret, Dijs cœlestibus, manibusque vocatis, abibat, & ad Senatum referebat, & vbi in Senatu quod iustum piumque esset, actum erat, Fœcialis bellum indicebat. Fœcialium sacra nefas violare erat; nam Fabius cum ea violasset, Vrbs Romana à Gallis Senonibus euersa fuit. Dicuntur Fœciales à fœdere faciendo seu feriendo. Pater patratus à patrando, ideſt sanciendo fœdere, quod à Fœcialibus creabatur, qui tantum in fœdere sanciendo præerat, vt quidam scribunt.

De Pontificibus.

Pontifices è patribus legit Numa, & ex his Pontificem Maximum fecit Martium ipsius Numæ Generum, cuius scitis omnia publica priuataque sacra subiecit, vt esset quo consultum Plebes venirent; à quo non cœlestes modo cæremoniæ, sed & iusta funebria, & prodigia æquè susciperentur, & curarentur. *Defuncto Pontifice Maximo alius eligebatur non à Populo, sed* ab ipsis Pontificibus: qui appellati sunt (vt Varro scrib. & Dionysius) à Ponte
C Sublicio, quem reficiebant, quare videntur à Numa non Pontifices, sed sacerdotum Principes nominati, & inde regnante Anco Martio, quando Sublicius Pons factus fuit, à ponte Pontifices appellati; & ideo sacra ab eis transTyberim fiebant. Scæuola Pontifex Maximus, dicebat Pontifices dici à Posse & Facere: quidam scribunt ab eo, quod potentia sacra perficiant.

De Rege sacrificulo.

Postquam Romani iam libertatem assecuti extincto Regis nomine, Consules crearunt, nec vbi desiderium Regis esset propter quædam sacra publica, quæ Reges faciebant: Regem sacrificulum constituerunt, & è Patribus elegerunt C. Manium Papyrium, & id sacerdotium Pontifices subiecere, vt nouæ libertatis additus honos nemini officeret. Is Papyrius quietis studiosissimus fuit; idem fuisse memoratur, qui leges Numæ ab Anco Martio in tabulis quernis inscriptas, rursus in publicum traduxit.

De Gallis matris Deorum.

Galli sacerdotes Cybeles matris Deorum sunt & semimares, ideſt castrati, ab eo quod Dea puerum Phrygiti amauit Atym, cui præcepisse dicitur, ne concumberet ille cum Sagaritide Nympha tamen cojuit sub arbore: Cybeles
D excisa arbore vita est: puer ad Dindyma aufugit, & virilitatem sibi amputauit; ideo & Cybeles castratos sacerdotes habere voluit. *Secundo bello Punico* Romam deportatus est sacer lapis, quem matrem Deorum incolæ dicebant, per Legatos tres, & quæstores duos. Receptaque Romæ Dea fuit à sapientissimo homine P. Scipione Nasica, qui à Senatu in tota ciuitate vir optimus iudicatus fuit; & quod magis admirabile est adolescens erat. Galli dicti sunt à Gallo flumine Phrygiæ, *Rhea nominatur* Cybeles à *monte* Cybelo.

Duumuiri à Tarquinio Superbo instituti fuerunt, qui soli inspicerent libros Sibyllinos; deinde cum plebs creari ex suis instaret; ex plebe & patritijs creati decem; & inde quindecim, qui libros inspicerent. Sic è Duumuiris

ad de-

ad decemuiros,& quindecimuiros res deuenit: & aliquando data cura corrigendorum faſtorum fuit. Hi Februarium, qui vltimus erat poſt Ianuarium, poſuerunt. A

De Epulonibus. Veteres Pontifices (vt ait Cicero) propter multitudinem ſacrificiorum, tres Epulones eſſe voluerunt, vt ludorum epulare ſacrificium facerent. Id ſacerdotium antiquum fuiſſe conſtat; ſed de ætate non legitur, numerus auctus fuit, duo additi & quinq; fuere Epulones: & poſtea theatralium ludorum atque Circenſium ambitione, ſeptem fuiſſe Epulones leguntur.

De Titijs ſodalibus. Sodales Titij ſacerdotes extra Vrbem habitabant; & in tugurijs certa auguria ſeruabant, quoniam ad id deputati à Pontificibus erant. Nomen inditum ab auibus.

De Virginibus Veſtalibus. Cap. III. B

REcognitis Romanorum Sacrificijs, & Sacerdotijs quoniam Veſtalium munus erat etiam Veſtæ ſacrificare: de iſtis etiam aliqua referemus. Veſtales namque dicebantur, quæ ſacra curarent, & ignem ſacrum: eſt enim Veſtæ nomen, ab Hebraico vocabulo *Haes* deductum; quod ignem ſignificat, vt ſentit Beroſus lib. de Cognominibus: *Eſtam, ideſt ignem poſt mortem cognominarunt: quia ipſa Regina ſacrorum fuerat, & puellas docuerat ſempiternum ignem ſacrorum itte extinctum ſeruare.*

Virginem dicebant Veſtam, quia incorruptus ignis eſt, & nullius rei generationem in ſe admittit, quamobrem à Virginibus ignis iſte ſumma religione, atque cultu cuſtodiebatur, vt etiam refert Ouid. 6. faſtor.

Nec tu aliud Veſtam, quam puram intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis habet. C

Inſtituta Veſtales. De prima apud Romanos inſtitutione non admodum inter ſcriptores cõuenit: Troia ſiquidem ſacrum hunc ignem aduectum cum Palladio, Dijſq; Penatibus arbitrabantur Romani Aeneæ pietate, quod etiam Virgil. in 2. Aeneid. inſinuat, Hectore Aeneam in ſomnijs admonente, vt vna cum Penatibus ſacrum hunc ignem aſportaret, quo nouæ ſibi ſedes quærendæ, ac figendæ forent; vbi ſic ait:

Sacra, ſuoſque tibi commendat Troia Penates,
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære;
Magna pererrato ſtatues quæ denique ponto.
Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem.

Aeneas ſiquidem, poſtquam Veſtæ ſacra cum Penatibus, & Palladio ex vrbe Troia in Latium tulit, condito Lauinio, Veſtæ ibi ædem ſacrauit, cui deinde etiam Aſcanius condita Albalonga templum in monte Albano extruxit: tum vero Rhea Silua Romuli mater à Numitore Patruo Veſtalis Virgo creata fuit, quam ob rem in penetralibus Veſtæ ea omnia cum ſacro igne aſſeruabantur. Plutarc. in Camillo, Strabo lib. 6. Alex. Alexand. lib. 5 cap. 12. D

In penetralibus, ſacroque receſſu templi Veſtalis, veluti in ſanctiori aditu, ſolis Veſtalibus, Pontificiq; introire fas erat, Pontifici, inquam non Maximo, ſed Pontifici Veſtali, de quo Symmachus lib. 2. ep. 36. & Guth. lib. 1. de Veteri Iure Pontificum cap. 5.

Non ſolum Lauinium, Albam, & Romam Veſtales habuere, verum & Tibur, ac alias Regiones, meminit etiam Guth. dicto cap. 5.

A Nu-

A A Numa autem Romæ institutas fuisse Vestales, testis est Dionysius Halicarnas. his verbis: *Romulus nullas Virgines Vestæ sacerdotes instituit, memor fortasse materni dedecoris, quæ inter illius ministeria virginitatem amiserat: haud quaquam idoneus futurus iuxta leges patrias, si quam fraudasse pudorem deprehendisset, ne sibimet refricaret probrum domesticum.* Hæc ille; quem secuti, dicemus à Numa Pompilio primum Romæ institutas. Quod earum officium, quæue dignitas foret, eundem Dionysium audiamus sic loquentem. *Quinto loco erant Virgines ignis sacri custodes, quas illi à sua Dea Vestales nominant, cui Rex hic primum templum sacrauit, & cultrices Virgines.* Et paulo post: *Virgines quæ Deæ sacris operabantur, quatuor erant ab initio, & ius optandi eas penes Reges esse, Numa voluit; postea propter sacrificiorum multitudinem ad senarium numerum auctæ à Tarquinio Prisco; hodieque permanent degentes in Deæ fano, à cuius aditu nemo arcetur interdiu, sed pernoctare intus fas est viro nemini. Has per XXX. annos manere puras à nuptijs necesse est sacrario seruientes; & primo decennio rationem sacrorum eas oportebat discere, secundo exercere, tertio docere alias: post exactum annum trigesimum nihil vetebat eas positis*
B *coronis, reliquisque insignibus sacerdotijs, cui vellent nubere; fecerunt id paucæ aliquot, sed parum læto vitæ exitu, & ominoso apud cæteros.* Hactenus Dionys. Nupta.

Quod autem post trigesimum annum nil vetabat, Vestales nubere, D. Ambros. lib. primo de Virginibus ait: *Quis mihi prætendit Vestæ Virgines, & Palladis sacerdotes? qualis est ista non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori seruatur ætati. Ipsi docent Virgines suas non debere perseuerare, nec posse, qui Virginitati finem dederunt. Qualis autem est Religio, vbi pudicæ adolescentes iubentur esse impudicæ anus? sed nec illa pudica est, quæ lege tenetur, & illa impudica quæ lege dimittitur. O Mysteria, ò mores, vbi necessitas imponitur castitati, auctoritas libidini datur.*

Perpetuus, æternusque ignis in templo Vestæ, tamquam Imperij certissimum pignus asseruabatur. Val. M. lib 5 cap. 4. tit. 6. Liuius prima Decad. Ignis.
C lib. 5 ait. *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod Imperij pignus, custodia eius templi tenetur.* idem Decad. 3. lib. 6. *Vestæ ædem petitam, & æternos ignes.* Hunc ignem Vestales custodiebant, de quibus Ouid. eleg. 2. l. 4. trist.

——— Castos
Perpetua seruant virginitate focos,

Nec illum in altaribus, sed suspensum in vasculis quibusdam fictilibus refert Val. Max. lib. 4 cap 4. in fin. *Namque per Romuli casam, perque veteris Capitolij humilia tecta, & æternos Vestæ focos, fictilibus etiam vasis contentos iuro.* Tantũ fiduciæ in hoc igne erat, vt oportuerit eũ numquã extingui. Ouid. 6. f.

Ignis inextinctus templo celatur in illo.

Et numquam sine prodigio credebatur extingui, quod contigit ante initia bellorum ciuilium, motaq; inter Cæsarem, & Pompeium arma præter historicos, Lucanus lib. 1.

——— Vestali raptus ab ara
Ignis, & ostendens confectos flamma Latinos.
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit.

D Quod vbi contigerat, Virgo, cuius incuria id euenisset, à Pontifice seuerè plectebatur. Val. Max. lib. 1 cap. 1. tit. 7. *Licinio Pontifici Maximo Virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens æterni ignis custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoneretur.* Atque etiam si non fuisset extinctus, accendebatur tamen quot annis Kalendis Martijs, & renouabatur Ignis, quem asseruabant in aperto non autem sub tecto, ostendit Ianus Parrhasius, ep. 57. & Ouid. 3. fast.

Adde quod arcana fieri nouus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Et Manilius lib. 4. astronomicorum. A

Vesta tuos, Capricorne, foues penetralibus ignes.

Hinc fortitan pia & sancta Mater Ecclesia, vt Ethnicorum ritum de Igne, qui Kalendis Martij renouabatur à Vestalibus, suauiter aboleret: propterea in Sabbato sancto induxit noui Ignis benedictionem, vt denotetur Ignis nouæ legis amore ardentis, (quæ prouenit ex Christi morte) ac per ipsam totus Orbis inflammetur: inde eadem die in benedictione Cerei canit Diaconus è suggestu: *Gaudeat & tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni Regis splendore, illustrata totius Orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur & mater Ecclesia tanti luminis adornata fulgoribus, &c.*

Atrio excedentes Vestales, cum atrio excedebant, matronarum custodiæ mandabantur, Plinius Iun. Ep. lib. 7. *Angitiæ Fanniæ valetudo, contraxit hanc, dum assidet Iuniæ Virgini Vestali, sponte primum; deinde etiam ex auctoritate Pontificum; nam Virgines cum vi morbi atrio Vestæ coguntur excedere, matronarum curæ, custodiæque mandantur, quo munere Fannia, dum sedulo fungitur, hoc discrimine implicata est.* Quod etiam animaduertit Cœlius Rhodig. antiquar. lectionum lib. 15. cap. 14. B

Auctoritas. Magna erat penes Virgines Vestales auctoritas. Sueton. in Vitell. cap. 16. ait: *Suasit Senatui, vt legatos cum Virginibus Vestalibus mitterent, Pacem aut certè tempus ad consultandum petituros.* Adde & Vibidiæ Vestalis precibus Messalinam tentasse veniam à Claudio Principe marito consequi; vt refert Tacitus 11. annal. similiter Cicero orat. 2. Agrar. ait. *Si quicquam deliquero nullæ sunt Virgines quæ me à vobis deprecentur.*

Testamenta. Testamenta penes eas erant asseruata, Sueton. in Cæsare cap. 83. ait. *Testamentum, cuius aperitur, recitaturque in Antonij domo, quod idibus Septembribus proximis in Lauicano suo fecerat, demandauerat que Virgini Vestali Maximæ:* Vbi notandum vnam inter eas auctoritate præcipuam, quæ Maxima dicebatur, vt etiam Sueton. in Domitiano capite 3. *Corneliam Virginem maximam vocat.* Sed nemo melius prærogatiuas expressit, quam Seneca lib. 6. Controuers. 8. *Tibi Vestali Virgini Magistratus fasces suos submittunt, Consules, Prætoresque via cedunt, nunquid ex igna mercede virgo es? Sacerdos raro iuret, nec vnquam nisi per Vestam suam moriar, numquid de nuptijs appellata es?* Item Carpentis, seu pilentis, vt alias matronarum vectas, ex Suetonio in Tiberio cap. 2. C

Honores. Honores redditi illis fuerunt, vt etiam viuo Patre testamentum condere, ac cætera gerere sine Curatore possent, quemadmodum & trium filiorum Matres; Vt cum fascibus, si prodirent, deducerentur; & si casu in quempiam incidissent, qui ad mortem duceretur, necari eum non licebat; verum deierare Virginem oportebat, se forte, non autem dedita opera, & de industria obuiam factam, referunt Plutarc. Plinius. & Lipsius.

Ornatus. Ornatus, seu vestitus earum Suffibulum appellabatur. Fest. Pomp. lib. 17. ait. *Suffibulum vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum quod in capite Vestales virgines sacrificantes habebant; idque fibula comprehendebatur.* Vittas capitis ornamenta, vt aliæ matronæ gestabant. D. Ambros. ad Valentinianum. *Vix septem Vestales capiuntur puellæ, en totus numerus, quem insula vittati capitis, &c.* Ouid, 3. fast, D

Decidit ante atros lanea vitta focos.

Et 3. fastor.

Nullaque dicetur vittas temerasse Sacerdos.

Nec Vestales modo Vittas, sed etiam alij sacerdotes. Tacitus primo Annal. *Sacerdos apud aram Vbiorum ruperat vittas.* Præterea vestibus albis contra lasciuiam Vestales vtebantur, quarum oræ seu extremitates purpureæ erant vt voluit Lipsius de Vestalibus cap. 12.

Pœna incæstus. Sed vt magnus eis honor est habitus; ita & delinquentes grauissimis affi-

cie-

A ciebantur ſupplicijs, Vetus Scholiaſt. Iuuenal. ad Satyr. 4. *Hæc virginibus Veſtæ pœna fuit decreta, ſi vitiatæ fuiſſent, viuæ in parietibus ſtruebantur, aut ſub terra obruebantur.* Plinius lib. 4. ep. 11. *Fremebat Domitianus, æſtuabatque ingenti inuidia deſtitutus, nam cum Corneliam Maximillam Veſtalem defodere viuam concupiſſet, vt qui illuſtrari ſæculum ſuum huiuſmodi exemplo arbitraretur, Pontificis Maximi iure, ſeu potius immanitate Tyranni, licentia Domini, reliquos Pontifices non in Regiam, ſed in Albanam ſuam conuocauit.* Et Symmachus ep. 120. lib. 9. reſcribit, quod incœſtum Primogeniæ Veſtalis apud Albam legibus vſque ad eum diem conſideratis ſeueriſſimè vlciſcatur: Quod vſque adeo obſeruatum, vt in Annalibus pro prodigio Veſtalis damnatio notetur, Euſebij Chronicon Olympiade. 73. de Minutia Veſtali: Ratio prædictæ pœnæ, quod terra huiuſmodi libidinoſa corpora purgari crederentur, ex Clement. Alexand. pædagog. 3. & vt ignis nil patitur impuri; ita Virgines iſtæ omni corporei contagij labe carere debent. Propert. eleg. lib. 4.

Et ſatis vna malæ potuit mors eſſe puellæ,

B *Quæ voluit flammas fallere Veſta tuas.*

Tradit Feſtus, iniuſtum fuiſſe eas cremare; vel quod mortuos tantum crement, vel quod corpus ſummis conſecratum cæremonijs interficere, & manus adferre ſacræ mulieri, nefas cenſeretur; ipſamque vltro mori volentes infra terram demittant in extructum ad hoc domicilium.

Refert Plutarchus, quod iuxta portam Collinam ſit tumulus ſeu agger, in eo domus ſubterranea non magna, in qua ex ſuperiori parte deſcenſus, in eaq; lectus conſtratus, lucerna ardens, paucæque eorum, quæ ad vitam fouendam ſunt neceſſaria, primitiæ reponuntur, vt panis, aqua, lac in vaſculo, & oleum, tamquam nefas putent fore, ſi corpus ſummis conſecratum cæremonijs fame pereat: tum illam, quæ ſupplicio eſt afficienda, lecticæ impoſitam extra opertam, loriſque reuinctam; ita vt nec vox exaudiri poſſit, per forum vehunt: ei omnes via decedunt taciti neque horribilius vllum ſpectaculum, aut dies, quam Vrbs agat triſtiorem; vbi ad locum lectica peruenit, vincula

C Lictores ſoluunt, ac Princeps ſacrorum quædam ſecretò comprecatus, obuelatam educit, & in ſcalis deorſum in domum deferentibus conſtituit; ita ipſe cum reliquis ſacerdotibus reuertitur, poſtquam damnata deſcendit, ſurſum gradus attrahunt, multaque ſuperne terra ingeſta domus occulitur, & complanatur. Hæc refert Plutarchus, Seuera namque à Veſtalibus exacta pœna. Iure ne an iniuria id fecerint Romani, non diſputo? Probare factum non poſſum, dãnare nolo. Locus iſte ad portã Collinam, dicebantur Campus Sceleratus, cõtinet id totũſpatij, quod eſt à porta collina vſq; ad portã Salariã.

Nec incongruum hic erit referre ex Baronio in Notationibus ad Martyrologium Romanum 25. Octobris. Qualiter Daria iam virgo Veſtalis, tempore nubendi impleto, traditum in vxorem Chryſantho; ob Chriſtianam religionem ſuſceptam, viua cum Chryſantho iuſſa eſt ſententia Iudicis effoſſa terra lapidibus obrui; quod ſymbolum habuiſſe videtur, cum illo ſupplicio quod apud Ethnicos Romanos iure Pontificio Virginibus Veſtalibus irrogari conſueuit. Quamquam ſtupratoris ſupplicium diuerſum à prædicto fuiſſet.

D Inſuper dicuntur hi paſſi via Salaria extra Portam, quæ & Collina nuncupata reperitur; dictus locus ille infamis Campus ſceleratus, quod illic vt ſcribit Liuius lib. 8. Decad. 1. Veſtales delinquentes viuæ defoderentur.

Virgo Veſtalis capi ſolita fuit, inquit Agellius; de quo ritu aliud non non extat, niſi quod fertur, quæ capta prima eſt à Numa Rege eſſe captam; at lege Papia cauetur, vt Pontificis Maximi arbitratu Virgines à Populo viginti legantur, ſortitioque ex eo numero fiat, vt eam poſt Pontifex Max. capiat, eaque Veſtæ fiat; ſed ea ſortitio, ex lege Papia, non omnino neceſſaria poſtea fuit: nam ſi quis honeſto loco natus adijſſet Pontificem, atque attuliſſet ad Sacerdotium filiam ſuam, cuius ratio ſecundum ritus Religionis haberi potuiſ- *Capiebatur Veſtales.*

set, gratia Papiæ legis per Senatum fiebat: capi autem Virgo propterea dici videtur, quia Pontifex Maximus manu prehensa ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capta abducebatur; vt in libro Fabij Pictoris, & Amata inter capiendum à Pontifice Maximo appellabatur: quoniam quæ prima capta fuit, hoc fuisse nomine traditum est: hactenus Agellius. A

De alimentis ac muneribus.

Alebantur Vestales sumptibus publicis: Durauit autem earum Sacerdotium vsque ad Theodosij Senioris Imp. tempora, quo regnante vna cum alijs sacerdotijs, nequicquam reclamante Senatu, omnimodo est sublatum, vt ex epistolis Symmachi, & D. Ambrosij responsionibus manifestum est, & refert Rosinus antiq. Rom. lib. 2. vbi ad capit. 12. Paralipom. ac idem Rosinus libro 3. cap. 19.

Symmachus etenim scribens Valentiniano, Theodosio, & Arcadio Auggg. conqueritur acriter de sublatis muneribus in Vestalium fauorem à Christianis ministris vt in ep. 54. lib. 10. his verbis: *Vestalium Virginum prærogatiua detracta est? sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt. Honor solus est in illo velut stipendio Castitatis; vt vittæ earum capiti decus faciant, ita insigne ducitur sacrificij vacare muneribus, &c. siquidem saluti publicæ dicata virginitas crescit merito, cum caret præmio. Absint ab ærarij vestri puritate ista compendia. Fiscus bonorum Principum non sacerdotum damnis, sed hostium spolijs augeatur, Capiunt legata Liberti, Seruis testamentorum iusta commoda non negantur: tantum Nobiles Virgines, & fatalium sacrorum Ministri excluduntur prædijs hæreditate quæstis? Quid iuuat saluti publicæ castũ corpus dicare, & Imperij æternitatem cœlestibus fulcire præsidijs? armis vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes? pro omnibus efficacia vota suscipere? ex huiusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Vestales virgines, & ministros Deorum victu modico, iustisque priuilegijs: stetit muneris huius integritas vsque ad degeneres trapezitas, qui mercedem vilium baiulorum sacræ castitatis alimenta verterunt, sequuta est hoc factum fames publica, & spem prouinciarum omnium messis ægra decepit Non sunt hæc vitia terrarum; nihil imputamus astris: nec rubigo segetibus abfuit nec auena fruges necauit Sacrilegio annus exaruit: necesse fuit perire omnibus quod Religioni negabatur. Commendabat enim terrarum prouentus victus Antistitum, remedium magis, quam largitas erat. Dicet aliquis sumptum publicum denegatum alienæ religionis impendijs. Absit à bonis Principibus ista sententia, vt quod de communi quibusdam tributum est, in iure fisci esse videatur. Omnia regitis, si suum cuique seuratis, plusque apud vos iustitia quam licentia valet. Faueant clementiæ vestræ sectarum omnium arcana præsidia, & hæc maximè, quæ maiores vestros aliquando iuuerunt, vos defendant, à nobis colantur.* B C

Relationi præfatæ Symmachi Vrbis Præfecti D. Ambrosius libertate magna respondet, validissimisque rationibus euertit, vt in ep. 12. lib. 2. maximè his verbis. *Habeant Vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc, qui nesciunt credere, quod possit esse gratuita virginitas: prouocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? vix septem Vestales capiuntur puellæ, en totus numerus, quem insulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lectica ministrorum circumfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis, & corporis oculos, videant plebẽ pudoris, populũ integritatis, concilium Virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen vsu nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarũ insignia, non luxus deliciarum, sed vsus ieiuniorum: non priuilegia, non lucra: omnia postremo talia, vt reuocari studia putes dum exercentur officia: suis castitas cumulatur dispendijs: non est Virginitas, quæ pretio emitur: non est integritas, quæcunque tanquam in auctione nummario ad tempus solicitatur compendio. Prima Castitatis victoria est facultatum cupiditates vincere: quia lucri studium* D

tenta-

A *tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda Virginibus. Quæ Christianis munera redundabunt, quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet, vt qui totum sibi sub Imperatoribus Gentilibus vendicarunt, ijdem sub Principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem.* Hæc, & alia S. Ambrosius.

Et ista de Virginibus Vestalibus satis sint enarrata.

De Sibyllis earumque Oraculis. Cap. IV.

VEstales quoniam Ethnicas, & Virgines fuisse satis vidimus; lubet etiam de Sibyllis referre, quas ex Gentilibus natas, & in Virginitate seruatas omnibus ferè innotescit. Earum libri apud Romanum Populum tanta ve-
B neratione fuerunt, vt nobilissimos viros custodes illorum creauerit, omnibus Ciuilibus munijs exemptos: vt Dionys. Halinarcass. ex Varronis traditione, lib. 4. referat: *Nullam rem, ne sacra quidem Romani tam diligenter, quam Sibyllina oracula custodiunt: vtuntur autem eis ex S.C si quando seditionibus turbatur status Reipublicæ, aut in bellis insignis aliqua clades accepta est, aut prodigia quæpiam dubia, magnumque aliquod portendentia nunciata sunt, vt plerumque fit.* Primitus à Tarquinio duo nobiles viri creati, per quos dicti libri custodirentur; sed anno 388. ab V.C. eorum numerus auctus ad Decemuiros, quod vsque ad Syllæ tempora obseruatum; inde Quindecimuirorum mẽtio fit, quorum munus ad Theodosij senioris tempora diminutum, cum melior pars Senatus esset ad fidem conuersa, & inde cœpit contemnere illos; & demum sub Honorio Principe Stilico illos combussit. Quibus cum cæteris superstitiosis sacris est abrogatum, sicuti per Card. Baron. in Eccles. Annal. ib. est annotatum.

C Apud alias quoque gentes in veneratione fuisse Sibyllas tradit Lactant. lib. 1. Diuin. Institut cap. 5. plures auctores antiquos referens, qui eas laudarunt; & Tiburi ait earum vnam nomine Albuneam, vt Deam coli iuxta Anienis ripas, cuius in gurgite simulacrum inuentum librum habens in manu Senatus in Capitolium transtulit; & aliarum etiam duarum Sibyllarum statuę Romæ erant iuxta Rostra ex Plinio lib. 34. cap. 5. & refert Lactant.

Secundo Sibyllarum vaticinia probantur auctoritate plurimorum Patrum, qui eas in testimonium nostræ fidei adducunt, & laudant: Iustinus Martyr in admonitorio Gentium, sic illas alloquitur: *Vt cultum Dei ex parte condiscatis, facilè vobis præstabitur ex antiqua Sibylla Cumæa inspiratione quapiam per oracula vos edocente, quæ nimirum prophetarum doctrinæ proxima videntur.* Et post multa de ipsa simul cum Platonis testimonio enarrata concludit: *De Saluatoris nostri Iesu Christi aduentu, & de his omnibus, quæ ipse facturus erat, manifestè pronunciat, quarum notitia vobis necessaria, quædam præexcitatio futura est ad sacrorum prophetias virorum.* Sanctus Augustinus in ex-
D positione inchoata epist. ad Rom. de Sibyllis, vt veris vatibus sic fatur. *Fuerunt & inter Gentiles prophetæ, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo cecinerunt; sicuti etiam de Sibylla dicitur; quod non facilè crederem, nisi quod Poetarum quidam Romana lingua nobilissimus antequam diceret ea, quæ de innouatione sæculi, quæ in Domini Nostri regnum satis concinere, & conuenire videntur; præposuit verbum dicens.*

Vltima Cumæi iam venit carminis ætas.

Cumæum autem carmen Sibyllinum esse nemo dubitauerit. Et ante sanctum Augustinum Euseb. in 4. lib. de vita Constantini, id ipsum Virgilij carmen eodem modo exposuit. Versus autem Sibyllæ, ad quem alludit Virgilius est hic:

Tunc

Tunc Deus è magno Regem demittet Olympo. A

Rursus idem S. Augustin. de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 23. quædam carmina refert Sibyllæ Erythreæ miro artificio composita; ita, vt ex litteris versuum intitialibus resultent hæc verba IESVS CHRISTVS FILIVS DEI SERVATOR. Lactantius vt supra retulimus, S. Hieronym. lib. 1. aduers. Primin. Theophilus Antiochiæ Episcop. lib. 2. ad Autolycum, Sibyllarum & earum versuum meminere. Clemens Alexandr. refert etiam lib. 6. Stromat. Paulum Apost. hortatum fuisse suos ad lectionem Sibyllanorum voluminum in recondita quadam scriptura inquiens: *Libros Græcos sumite, & Sibyllas agnoscite, vnum Deum quomodo significent, & ea quæ futura sunt. Hidaspem sumite, & legite, & inuenietis in eis Filium Dei clarius & apertius esse scriptum.* Quod testimonium si indubitatum esset, nihil amplius pro Sibyllarum auctoritate desiderari posset.

Tertio ex odio peruersorum hominum & veritatis inimicorum in Sibyllinos libros, eorum auctoritas comprobatur, inter quos Iulianus Apostata, qui vt refert Ammianus Marcell. in historia sua, Sibyllæ carmina apud Aenam ciuitatem ignibus tradidit. De Stilicone quoque Honorij Cæsaris genero, sed proditore, refert Rutilius Sibyllina carmina cremasse, ibi. B

Nec tantum Getticis grassatus proditor armis,
Ante Sibyllina fata cremauit opus.

Et de eisdem mox.

At Stilico æterni fatalia pignora regni,
Et plenos voluit præcipitare colos.

Quarto probatur auctoritate Ecclesiæ, quæ in missa Defunctorum pro teste Sibyllam citat.

Dies iræ, dies illa
Soluet sæculum in fauilla
Teste Dauid cum Sibylla.

Hæc autem Sibylla est Erythræa quæ de mundi fine ita cecinit.

Exuretque ignis terras, cælumque, solumque, C
Incendetque fores angusti carceris orci.

De eadem loquens Tostatus quæst. 5. cap. 18. Deut. ait. Huius multa dicta Ecclesia canonizauit, & recitat, scilicet versus illos, quos ipsa in Græco scripsit, & quosdam postea in hexametros Latinos conuertit, scilicet:

Iudicij signum tellus sudore madescit,
Et Rex aduenier per sæcula cuncta futurus.

Et cæteri qui canuntur in matutinis Natiuitatis. Hæc Tostatus de suis temporibus loquens; nunc autem non habentur hi versus in officio Natiuit. Quinto cum eadem vaticinia sint de rebus, quæ nisi Deo reuelante præcognosci poterant, vt de Vita, & Passione Domini, vt res gestas narrare potius, quam futura prædicere videantur: vnum tantum Sibyllæ Delphicæ de Christi Passione in exemplum adducam.

Impinget illi colaphos, & sputa sceleſtis
Israel labijs; nec non & fellis amari
Apponet escam, potumque immitis aceti. D

Alia pleraque sibyllinorum Oraculorum vide in Biblioth. Vet. Patr. tom. 8.

Præter mysteria fidei nostræ prædixerunt alia multa: nam Erythræa Graijs perituram esse Troiam; & Homerum mendacia scripturum affirmat apud Lactantium. Romani omnes Vrbis suæ futuros euentus, & fata Sibyllinis libris contineri putabant; etsi hanc famam conetur eluere Cicero lib. 2. de Diuinatione, cum putaretur eorum interpres in Senatu, qui Regem Romæ futurum iniquissimis audiebat auribus: reuera tamen & *Tempus* designauit Sibylla, cum scilicet Romani sub Augusto Aegyptum in prouinciam redegissent; & *Personam*, ipsum videlicet totius orbis æternum Regem: cuius prædi-

A prædictionis etiam tacitè meminit Tullius lib. 1. ep. ad Lentulum ep. 7. Habetur autem hoc vaticinium lib. 2. Oraculorum Sibyllinorum his verbis.

Sed poſtquam Roma Aegyptum reget,
Frænabit ſummi tunc ſumma potentia Regni,
Regit inextincti mortalibus exorietur
Rex etenim ſanctus veniet, qui totius orbis
Omnia ſæclorum per tempora ſceptra tenebit.

Communis ergo Romanorum opinio erat, vera de Romanis prædixiſſe Sibyllas, quare ſæpius earum libros conſulebant, vt videre eſt apud Liuium Decad. 4 lib. 1. Decad. 1. lib. 3. Decad. 4. lib. 6. Decad. 3. lib. 2. & Decad. 4. lib. 8. & 10. Ad quæ vaticinia alludens Tibullus lib. 2. eleg. 5. cecinit.

Te duce Romanos nunquam fruſtrata Sibylla eſt,
Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.

Et Claudianus lib. de Bello Gildonico.

Si mea manſuris meruerunt mœnia naſci
B *Iupiter auſpicijs, ſiſtant immota Sibyllæ*
Carmina.

De huiuſmodi vaticiniorum auctoritate Iuuenalis Satyr. 8.

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Oracula Sybillarum augentes.

Sibyllina Oracula quantæ ſint auctoritatis; & quid eadem prædixerint paſſim conſiderauimus: ſed quoniam ſapientiſſima ſua prouidentia iam diſpoſuerat Deus; vt eius in hunc mundum aduentus vtriſq; Populis, Hebræo & Gentili antecedentibus ſæculis præmonſtraretur. Hebræis vt inquit Apoſtolus ad Hebræos cap. 1. *Multifariam, multiſque modis locutus eſt Patribus in Prophetis*; ac etiam figuris & ſymbolis Legalium cæremoniarum: Gentibus verò idem aduentus fuit præſignatus per Mercurium Triſmegiſtum, Hidaſpem, & Sibyllas; à ſanctis Patribus Gentium Prophetiſſas nuncupatas. Verum dum Chriſtiani contra Gentes de illarum vaticinijs ſibi multum præualebant; prohibita ſub pœna mortis fuit illis prædictorum lectura, vt conC queritur Iuſtinus Martyr in Oratione ad Antoninum Pium Imp. pro Chriſtianis: *periculum autem imminens* Chriſtianis in tali contrauentione colligitur ex epiſtola Aureliani Imperatoris ad Senatum relata à Flauio Vopiſco in vita eiuſdem Aureliani his verbis. *Miror vos Patres ſancti tam diu de aperiendis Sibyllinis libris dubitaſſe, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in templo Deorum omnium tractaretis.*

Sibyllina oracula non omnino certa.

Dico tamen ſecundo non cogi nos oraculis Sibyllinis certam præſtare fidē. Ratio prima eſt, quia non eſt de fide Sibyllas Spiritu ſancto afflatas oracula ſua edidiſſe; hoc enim neque ex ſacra Scriptura, neque aliunde pro certo definitum habemus. Quamuis enim Patres earum teſtimonio contra Gentes vtantur; non aſſerunt tamen eiuſdem auctoritatis, atque libros ſacros earum oracula habenda; neq; id perſuadere intendit Eccleſia, cum Sibyllam citat: nam & D. Paulus Poetas Gentiles in teſtes adducit, neq; hinc licet argumentari illos Poetas pro veris Prophetis habendos.

D Et quamuis multa de Chriſto illæ prædixerint, quæ humanitus ſcire non poterant non propterea inde certi ſumus hæc ab eis dicta fuiſſe, & non ab aliis falſò ſuppoſita; ſicuti Auguſtus & Tiberius Impp. ſanxerunt, vt ex Tacito lib. 4. Annal. vel cur non etiam à dæmone eis ſuggeſta, qui ex veris Propheris ea diſcere poterat, vt aliqua vera dicentibus etiam falſa crederemus. Sed demus hæc ipſa Deo inſpirante prædixiſſe, numquid omnia alia earum dicta ſimiliter excipienda erunt? non valet illatio; nam & Balaam ſpiritu prophetico multa vera prædixit, ac poſtea diabolo ſuggerente peſſimum conſilium Regi Moabitarum dedit. Vnde licet probabiliſſimum ſit Deo inſpirante ipſas eſſe locutas, quia tamen Eccleſia hoc non definiuit, neque tanquam certum nobis propoſuit, non tenemur de fide earum oracula ſuſci-

pere

pere, quamuis contra Gentiles, qui ea vt diuina venerabantur, efficaciſſima nobis argumenta præbeant. Videmus etiam quod Gelaſius Papa ſicuti non approbauit, ita nec reprobauit Sibyllarum oracula, relinquendo illa cum ea probabilitate, quam prius habebant. A

De vita Sibyllarum.

De Sibyllarum vita quamquam nihil nobis ferè certi conſtet: ſupponitur tamen communiter eas Virgines fuiſſe, vt de Cumæa Sibylla Virgil. 3. Aeneid.

Quæcunque in folijs deſcripſit Carmina Virgo.

De prædictarum Virginitate S. Hieron. lib. 1. Aduerſus Iouin. inquit: *Quarum inſigne Virginitas eſt & Virginitatis præmium Diuinatio.* Præterea vſque ad ſenectam Virginem permanſiſſe idem Virg. inquit.

Olli ſic breuiter fata eſt longæua Sacerdos.

An Idola coluerint ſi Virgilio credimus? affirmabimus; ſed appoſite ipſe ad ſuam Religionem non ad veritatem locutus eſt: Et quamuis Scriptores nihil de ea re loquantur; probabile ſatis eſt illas non coluiſſe Idola: Primo, quoniam dæmones oſores ſunt Virginitatis, & libidinis amantes; ſi igitur à Sibyllis culti fuiſſent, eas tandem in obſcenas voluptates impuliſſent. Et ſi quis obijciat Veſtales, quæ & Idololatræ erant, & tamen Virgines. Reſp. non per totam vitam virginitatem coluiſſe ipſas, ſed vſque ad annos 30. & hoc tempore pœnarum timore non Virginitatis amore fuiſſe coërcitas. Moueor ſecundo, quoniam cum eleuatæ ad hanc dignitatem futura prædicendi & ſua myſteria reuelandi à Deo fuerint, valde probabile eſt non permiſiſſe in tam enormem ignorantiam aut culpam ipſas incidere, vt dæmones pro Deo ipſæ adorarent. B

Ex gentibus etiã aliqui ſalui.

Tertio quoniam etiam ex gentibus nonnulli ſalui facti ſunt, & probi fuerunt, vt patet de beato Iob & alijs; quoniam ex Hebræis fontibus ad Gentes Dei veri cognitionem conſtat peruenire potuiſſe, & conſequenter gentibus ſalutis Oſtium non clauſum fuiſſe, prælertim cum Deus auxilia ad hoc ſufficientia nemini deneget; & inter gentes nonnullos fideles & iuſtos extitiſſe innuere videtur Dominus apud Io. ibi: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere.* Imo Toſtatus quæſt. 8. in cap. 33. Num. inquit *Plurimos Gentilium ante prædicationem Euangelij credimus vitam æternã fuiſſe aſſecutos.* Idque cauſæ fuit cur Iuſtinus Martyr in Apolog. 2. Non Abrahamum ſolum ſed & Socratem, & Heraclitum Chriſtianos appellat his verbis: *Chriſtum primogenitum eſſe Dei edocti ſumus, Verbumq; ac Rationem eſſe, cuius vniuerſum humanum genus eſt particeps & quicumque ex præſcripto rationis vixerunt, licet impij habiti ſint, quemadmodum inter Græcos Socrates, & Heraclitus, atque ijs ſimiles; inter Barbaros vero Abraham, & Ananias, & Azarias, & Miſael, & Elias & alij plures.* Inſigne valde eſt quod ex Theophane refert Card. Bar. anno Chriſti 781. his verbis: *Hoc anno in longis Thraciæ muris quidam homo fodiens, inuenit arcam lapideam, quam cum purgaſſet, & eleuaſſet, reperijt virum iacentem, conglutinatas arcæ literas continens hæc: CHRISTVS NASCETVR EX VIRGINE MARIA, CREDO IN EVM. Sub Conſtantino & Irene Impp. ſol iterum me videbit.* Quod etiam aſſerunt Latini & Græci hiſtorici. Quis neget hunc qui in Chriſtum credidit, & de ſuo tempore poſt multa ſæcula prædixerat, ſaluum eſſe: & inde hunc potuiſſe alios agnatos & amicos hanc eamdem fidem docuiſſe, vt & iſti quoque quamuis Gentiles, ſalutem conſequi potuerint? C D

An Sibyllæ furentes vaticinatæ.

Aduertendum etiamq uamquam velint aliqui Sibyllas furentes vaticinatas; è contrario tamen carmina ſua ſcripſiſſe & libros compoſuiſſe, videntur conuincere, quæ de ipſius libris Tarquinio oblatis referunt Dionyſius Halic. ex Varronis traditione lib. 4. Plin. lib. 13. Lactan. lib. 1. cap. 6. & alij; quorum duas partes eamdem Sibyllam cremaſſe, ac demum tertiam partem coactum Tarquinium eodem pretio emere, quo ab initio omnes illa obtulerat. Conſtat etiam Sibyllinos libros Romæ linteis aſſeruatos; refert Symmachus libro 4. epiſt.

A epistola 14. ibi: *Monitos Cumanos libros linea texta sumpserunt*: Nec non Claudianus libro de bello Getico ait.

Quid carmina pascat
Fatidico custos Romani carbasus Aeui.

Vnde pro certo habetur Sibyllas non eo modo, quo Pythonissæ fœminæ furentes solebant, oracula edidisse; erat enim omnino turpis, & indignus nimis vt Deus eo vteretur; qualis autem hic fuerit, breuiter describit S. Ioan. Chrysost. hom. 29. in epist. 2. ad Corinth. ibi. *Primum traditur Pythia fœmina fuisse quæ in tripode sedens expansa, malignum spiritum per infernum emissum, & per genitales partes subeuntem excipiens furore repleretur, ipsaque solutis crinibus baccharetur, ex ore spumam emittens, & sic furoris verba loquebatur*: à quibus non dissidet vultus & habitus: quem suæ Sibyllæ dat Virgilius. At veræ Sibyllæ mentis compotes oracula prom bant siuè scribebant, aut extra se quidem raptæ, absque tamen vlla oris deformitate, aut motuum insa-
B nia, sed quietæ & compositæ, prout Dei afflatas spiritu decebat, effabantur: & quamuis S. Ambrosius *in* cap. 1. ad Corinth supponat malo & improbo spiritu fœminas fuisse arreptas, & Aristot. sect. 30 probl, easdem atræ bilis œstu circa mentis sedem succenso, exagitatas doceat. Respondeo Commentarios illos non esse sancti Doctoris Ambrosij: Deinde cuiuscumque sint, loqui ipsum non de veris Sibyllis, sed de Pythonissis, quæ à profanis Scriptoribus cum Sibyllis veris confunduntur. Ad Aristot. Resp. voluisse eum ad causas naturales omnes effectus, etsi admirabiles, reducere; cumque videret fœminas vaticinantes furere, & bacchari ad humorem melancholicum siuè ad atram bilem, quæ insaniam gignere solet, recurrisse: At Sibyllæ nostræ nõ insaniebant, & supra naturæ vires futura prædicebant.

Nec vrget, quod supponitur germanos Sibyllarum libros non amplius exi- *Oracula Sibyllina an ex combustione defecerint.*
stere & adulterinos esse, qui sub earum nomine citantur, ac proinde nullam fidem mereantur. Quoniam & si Romæ post bellum Marsicum in cella
C Capitolini templi igni fuerunt absumpti, non defuisse tamen alibi, & summa diligentia quæsitos, vt Dionys. Halicarn. lib. 4. refert his verbis: *Qui nunc extant è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis vrbibus, partim ex Erythris Asiæ, ex S. C. legatis illuc ad transcribendum missis; partim ex aliis vrbibus etiam à priuatis hominibus descripti, in quibus inueniuntur quædam supposititia*: Ex quibus deinde examinatis alios, vt legitimos probarunt, alios spurios reiecerunt Augustus, & Tiberius, vt ait Card. Baron. anno Christi 19. Deo sic iam illos præparante ad vsum Christianorum, vt ex illis firmius suaderent Gentilibus Christianæ fidei veritatem.

Ex his igitur patet, magnam quidem fidem mereri oracula Sibyllina, non *Quot Sibyllæ fuerint?*
tamen tantam, vt eis assentiri necessariò cogamur. Porrò decem communiter fuisse dicuntur Sibyllæ. Prima fuit *Persica*, cuius mentionem fecit Nicanor, qui res gestas Alexandri Magni scripsit. Secunda *Libyca*, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertia *Delphica*, de qua Chrysippus in lib. de Diuinatione. Quarta *Cumæa* in Italia quam Næuius in libris belli Punici
D annotat. Quinta *Erythræa*, quam Apollodorus suam ciuem fuisse affirmat, eamque vaticinatam Troiam perituram & Homerum mendacia scripturum Sexta *Samia*, de qua Eratosthenes in antiquis Annalibus Samiorum reperisse se scriptum, retulit. Septima *Cumana*, nomine Amalthea, ab alijs Demophile nominatur. Octaua *Hellespontica* in agro Troiano, scribit Heraclides Solonis & Cyri fuisse tẽporibus. Nona *Phrygia*, quæ vaticinata est Ancyræ. Decima *Tyburtina* nomine Albunea, quæ Tiburi colitur vt Dea iuxta ripas Anienis. De quibus vide Rosinum eiusque supplementum; Solinum cap. 8 Suet. tom. 1. cap. 1. cap. 19. S. Augustin. de C. D. cap. 23. Sixtum Senen. lib. 2. Biblioth. verbo Sibyllæ. Aelianum lib. 12. Var. lib. 35. & alios.

De Virginibus Christianis. Cap. V.

SEd præfatis Virginibus Vestalibus, ac Sibyllis in Gentilitate procreatis: satis præstantiores, & maiori admiratione intuendæ sunt Virgines nostræ Christianæ, quæ voluptates sæculi & sexus infirmitatem superantes præter innumera tormenta, sanguinem & vitam contempserunt, vt Deo Virginitatis illibatum florem seruarent: & omissis quæ de Lucia, Agnete, Cæcilia & alijs plurimis essent dicenda: tria tantum in hoc adducam exempla, inter admiranda potius quam inter imitanda sanè facta reponenda.

Et primum de *Euphrasia Virgine* Nicomedienti, vt refert Nicephor. lib. 7. cap. 13. histor. & Card. Baron. ad annum 309. vbi Spond. n. 9. quæ Dioclet iani persecutione ad lupanar itidem ducta; cum iam ab intromisso milite impuro vt violaretur; se eo loci vidit, vt neque vi neque lacrymis ab armato iuuene tueri pudicitiam posset; sistere illum iubet, ostenditque velle se pretio redimere quod prece non potuisset: sagam se ac magicis initiatam carminibus ab infantia, ijsdemq; operam dedisse dicit: notum sibi esse medicamenti genus, quo qui semel corpus illinat, nullo deinceps ferro, teloue penetrari posse: tantum arcani se ea conditione monstraturam, vt sibi persanctè iuret, nullã inposterum pudori iniuriam illaturum; quod cum miles incensus armorum gloria, facturum iureiurando se obstringeret: puella liquefacta quam apud se habebat cera, collum perbene ac ceruices inungens, vim remedij in se experiri hortata inquit periculo meo fidem veneficio adiũgam: stringe iam ferrum miles & collum quod modo ipsa mihi liquamine communiui, pete quantum potes; ille cui ardorem libidinis cupido experiundi medicamenti penè extinxerat, ferrum securus educit, inq; locum à Virgine designatum, valide vibrat, ac teneræ collum puellæ confestim secat: præcidit que eodem ictu sibi spem potiundæ Virginis, ac Virgini metum amittendæ Virginitatis.

Cæsar Baronius vir eruditione dignitate & sanctitate Eminentiss. cum Euphrasiæ præfatæ exitum retulisset tom. 3. Annal. continere nequiuit se, quo minus Ludouicum Ariostem Poetarum hodie famosissimum; vulgarem propterea, vulgoque planè ac triuio dignum appellaret, quod tantum facinoris in laudata Euprhasia ad amatorias nugas traduxerit cant. 21. nec veritus (ita enim loquitur) temerè, ac impiè Poeticis impurisque figmentis illud intexere, atque è rebus sacris procaciter argumentum sibi comparauerit: Adeo egens affectibus; vt eos etiam foras deriuare potuerit

Virgo Antiochena.

Secundum adducitur exemplum à D. Ambrosio eloquio mellifluo relatũ lib. 2. de Virginibus; sed ab alio profano Poeta in malum sensum suffuratum qua videlicet pia & ingeniosa arte Virgo quædam Antiochena deluserit virginitati suæ insidiantes. Hæc quo magis publicos hominum aspectus euitabat, eo amplius eorumdem animos incendebat: etenim pulchritudo audita nec visa plus desideratur: Itaque sancta Virgo, ne diutius alerentur illi spe potiendæ cupiditatis, integritatem pudoris professa; sic restinxit improborum faces, vt non iam amaretur sed proderetur. Puella igitur pauida ne incideret in insidiatores pudoris, animum ad virtutem parauit; tam religiosa vt mortem non timeret, tam pudica vt expectaret. Illi autem excogitare cœperunt quemadmodum religionem tollerent, vt inde eriperent etiam castitatem. Iubent autem aut Virginem sacrificare, aut lupanari prostitui. Hic puella non quod de religione ambigeret, sed de pudore trepidaret, ita loquitur intra se: Hodie aut Martyrij, aut virginitatis nobis inuidetur corona: tolerabilius est mentem Virginem quam carnem habere; vtrumque bonum si liceat: si non liceat, saltem non homini castæ, sed Deo simus: fortassis

& nos

A & nos ſeruando religionem, ſeruabimus etiam caſtitatem; ita & Iudith quæ ornauit ſe non amore ſed religionis intuitu; & pudorem ſeruauit & patriam. Itaque talibus informata exemplo, *animo ſimul tenens verbum Domini: Quicunque perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Ducitur ergo puella Dei ad lupanar: ſed vbicunque Virgo eſt, templum Dei eſt nec lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam. Clauditur intus columba, ſtrepunt Accipitres foris, quis prædam primus inuadat: At illa manibus ad cœlum leuatis: Chriſte, inquit, qui Suſannam de adulteris triumphare feciſti, ne patiaris corpus meum inceſto ſacrilegij attrectari, quod eſt templum tuum; vt quæ ad adulterium veni, Virgo diſcedam.

Vix compleuerat precem: & ecce vir militis ſpecie terribilis irrupit. Quemadmodum eum Virgo vt vidit tremuit, cui populus tremens ceſſit, & ad Virginem dixit ipſe miles: Ne quæſo paueas ſoror: frater huc veni ſaluare animam tuam non perdere: ſerua me, vt & ipſa ſerueris. Quaſi adulter ingreſſus, ſi vis martyr egrediar: veſtimenta mutemus, conueniunt mihi tua & mea tibi, ſed
B vtraque Chriſto. Tua veſtis me verum militem faciet, mea te virginem ſeruabit. Bene tu veſtieris, ego melius exuar; vt me perſecutor agnoſcat. Sume habitum qui abſcondat fœminam; trade qui conſecret Martyrem. Induere clamydem quæ occultet membra Virginis, & ſeruet pudorem: ſume pileum, quod tegat crines, abſcondat ora. Et inter hæc verba chlamydem miles exuit. Suſpectus tamen adhuc puellæ habitus perſecutoris & adulteri rei nouitate illa obſtupeſcens; vt interim Virgo ceruicem cenſere tur offerre. dum chlamydem tradit miles. Hæc pompa in lupanari agitur cum de Martyrio certarent inter ſe miles & Virgo; diſſimiles inter ſe natura, ſed Dei miſeratione conſimiles. Mutato igitur habitu ſuaſa & ignota puella deluſis adulteris & cuſtodibus euolat de laqueo; & (quod nulla vnquam iam viderant ſæcula) egreditur de lupanari Virgo. Ex adulteris interim foris tanquam lupis frementibus ad prædam agnæ, vnus qui erat immodeſtior introiuit; ſed vbi hauſit oculis rei textū: Quid hoc inquit eſt? Puella ingreſſa eſt, vir videtur
C quinimo miles ex Virgine: audieram & non credideram, quod aquam Chriſtus in vina conuertit: iam mutare cœpit & ſexus: Recedamus cito hinc, dum adhuc qui fuimus ſumus; vt non in aliam formam nobis transformari contingat; & pudicus exibo, qui adulter intraui.

Indicio rei damnatus eſt miles pro Virgine, qui pro Virgine comprehenſus eſt; ita de lupanari non ſolum virgo ſed etiam Martyres exierunt. At vero cum intellexiſſet puella ſententiam aduerſus militem liberatorē ſuum; fertur ad locum ſupplicij eam cucurriſſe certaſſe ambos de nece; cum ille diceret: Ego ſum iuſſus occidi, te abſoluit ſententia, quando me tenuit. At illa clamare: In me lata iſta ſententia, quæ pro me lata eſt: moriar innocens, ne moriar nocens: nihil hic medium eſt: hodie aut rea ero tui ſanguinis, aut Martyr mei: ſufficiunt membra morti, quæ non ſufficiebant iniuriæ; eſt in Virgine vulneri locus, qui non erat contumeliæ: ego opprobrium declinaui, non Martyrium tibi ceſſi: veſtem, non profeſſionem mutaui. Quod ſi mihi proripis mortem non redemiſti me ſed circumueniſti. Caue ne contradicere audeas. Noli mihi
D eripere beneficium ſententiæ, vt Martyr deueniā, qui feciſti ne violarer. Poſſumus vterq; ſatisfacere ſententiæ, ſi me prius patiaris occidi. In te non habent aliam quam exerceant pœnam; in Virgine obnoxius pudor eſt. Itaque glorioſior eris, ſi videaris de adultera Martyrem feciſſe, quam de Martyre adulteram reddidiſſe. In hac pugna duo contendunt, & ambo vicerunt: nec diuiſa eſt corona ſed addita. Ita ſancti Martyres inuicem ſibi beneficia conferentes, altera principium Martyrio dedit, alter effectum.

Tertium facinus in medium proferam dignum certè memoratu à recentioribus annis. Expugnata ſiquidem Nicoſia anno 1570. Selimo Turcarum Rege, vrbe totius Cypri opulentiſſima, & ſexaginta hominum millibus fre- *De Virgine Cypria.*

quente. Mustaphus rerum successu ferox ex manubijs, atque omni præda pretiosa quæque nauigia duo, & ingentem Myoparonem spolijs onerat: in primis ergo egregios forma pueros, puellasque tota ferè Insula conquisitas *Myoparoni imponit*, traditque omnia quadringentis prætorianis militibus Selimo Imperatori comportanda; vt essent illa argumentum victoriæ. Vehebatur eo Myoparone inter captiuas Cypria *nobilis puella*, quæ secum reputans quid sibi in Selimi potestate euenturum esset, ac pudicitiæ maximè periculum, magnum quid animo agitare cœpit. Et cum à portu ad duo milliaria prôcesserant: milite nitratum puluerem extrahente ad vsum tormentorum, interuenit ibi puella cum lumine. Enimuero nacta illa patrandi facinoris opportunitatẽ, propius repentè prosilit, ac deliberata morte ferocior, ingenti sanè ausu intra ea receptacula ignẽ iacit. Emicuit illico feralis flãma, magnoque fragore auulsa à sedibus suis tabulata, atque in altum excussa, rapuere simul eadem vi semiusta hominum corpora, permistaque & conglobata omnia in aquam decidere sonitu miserabili; cæteri aut collisi inuicem & consauciati aut incensi, exceptique vndis expirauere. Nec se intra myoparonem continuit clades, fragmentis hominum tabularumque ex alto latè decidentibus; corripuit ignis proxima nauigia, horæque vnius spatio quantum erat toto regno conquisitum prædæ, hominumque quatuor exceptus; ex quibus rei series dein cognita in oculis Insulæ, Mustapho ipso inspectante, consumptum est. Sic puella nobilis vita patriæ ruinam, vita suorum necem barbari Ducis ambitionem fregit: restinxit ea flamma tot faces libidinis, ac posteris defensæ fortiter pudicitiæ exemplum reliquit: Adeo stupore, factiue nouitate Imperantis Selimi animum Virgo puella fregit.

Porro quamuis violentas sibi manus inferre nec Gentilium, nec Christiana lex concedat (quod de *Sampsone* S. Augustinus ait, de Ciuitate Dei lib. 1, cap. 21. & 26.) quia latenter Spiritum sanctum hoc iussisse putandum est; Euphrasia, ac Cypria Virgo, de quibus diximus, extra illorum classem reponendæ sunt, quæ tædio vel desperatione vitæ, eiusmodi scelus perpetrasse dicuntur. Sicut & *Pelagia* Virgo Antiochena, quæ cum matre, & sororibus Diocletiani persecutione manus carnificis & sententiam Principis, eas lenonibus illudendas tradentis, effugerunt: Pelagia è sublimi domus tecto præcipitem se dando, mater & sorores aquis se immergendo; quos ob præclarum facinus S. Ambros. lib. 3. de Virginibus celebrauit præconijs & sanctus Chrysostom. duabus Orat. quæ extant apud Surium 9. Iunij: & hæc satis de nostris Christianis Virginibus, quarum similia de Ethnicorum Vestalibus nunquam legimus.

Et hinc agnoscamus quam dispar sit vitæ conditio illarum Ethnicarum Vestalium Virginum, quæ honoribus, diuitijs, & omni delitiarum genere affluebant, à nostris Christianis Virginibus, quæ pro virginitate seruanda, mortem non modo violentam à Tyrannis, sed spontaneam etiam appetiuerunt, vt vidimus. A quibus non multum alienæ sunt sacratæ in claustris Virgines Christianæ, quæ spretis diuitijs, & omni fœminarum cultu; paupertate, vigilijs, ieiunijs, & abstinentijs summo Deo seruant veram mentis & corporis Virginitatem.

De Comitijs Romanorum. Cap. VI.

ABsoluimus institutæ scriptionis quæ de Vrbe, Romanoque Imperio, eorumdemque moribus erant dicenda: Diximus præterea, quæ Religiosum cultum eorundem Romanorum respiciebant: Iam de ciuili & Politi-

A Politico regimine dicere aggrediemur; & primo de Comitijs dicendum à Populo peractis ad eligendos Magistratus. Scripserunt de prædictis Varro, Panuinus, Sigonius, Rosinus, & alij plures.

Comitia à coeundo dicta; quia Populus coire his & vnum in locum conuenire soleret ad ferendum de aliqua re suffragium: vnde Comitia dicta intelliguntur, quando vniuersus conueniret Populus; ad differentiam conciliorum, vbi pars tantum aliqua eius congregata esset. *Comitia Vnde dicta?*

Genera Comitiorum fuisse tria; Curiata, Centuriata, & Tributa inter omnes conuenit. Calata Comitia proprium & peculiare genus non efficiunt; quóniam Calatorum alia fuisse Curiata, alia Centuriata Græco vocabulo καλέω quod voco significat: quamquam recentiori æuo nomen Comitiorum Calatorum in his tantum, quæ pro collegio Pontificum habebantur, vel testamentorum condendorum causa fiebant, idque religionis cuiusdam & antiquitatis ratione. Testamentum Calatis Comitijs tempore pacis fiebat bis in anno, vt Præco vniuersam circumiret Ciuitatẽ, populum conuocans; ac tum B qui testamentum condere volebat, ipso teste populo testamentum scribebat. *Genera.*

Curiata Comitia, quod ea omnium prima sint, fuerunt in quibus Populus curiatim suffragium dicebat: hoc est, in quibus Populi per curias diuisi sententia rogabatur. Curiam à cura dictam: Curiæ erant triginta illæ partes, in quas Populum Romulus distribuit; vt etiam nostris temporibus in pluribus vrbibus dicuntur Parochæ seu Regiones. *Curiata Comitia.*

Fiebant in prædictis Comitijs Curiatis quorundam Magistratuũ confirmationes, item Testamenta & similia. Ius autem conuocandi Comitia huiusmodi primum penes Reges existebat, deinde mutata Republica penes Consules, Prætores, Dictatores & Pontifices.

Suffragium vero in Comitijs tulerunt ciues Romani, & quidem hi tantum, qui in curias descripti erant, nempe qui in Vrbe habitarunt; qui autem ex Colonijs, vel municipijs, vel etiam prouincijs Romam migrabant, ij cum in curias describerentur, patria sua sacra relinquere cogebantur, & ea C recipere, quæ eius curiæ, in quam describebantur propria essent.

Locus Comitiorum Curiatorum fuit in foro; immo pars fori à palatij porta finiens ad Templum D. Mariæ Nouæ, vt refert Marlianus in Topographia antiquæ Vrbis: & quamuis dictus locus multis annis tecto caruisset, longo tamen tempore post Hannibalis aduentum in Italiam, tectum impositum ei fuisse, idque inde à Cæsare restauratum; & plurimis statuis, ac Rostris idem locus ornatus. In Rostris ferebantur leges, agebantur causæ, & Conciones habebantur: Illud autem memorabile de Rostris est: quod Antonius occisi Ciceronis caput præcisum, & ad se allatum, inter duas manus in Rostris poni curauerat, vbi ille sæpe Consularis, eo ipso quoque anno aduersus Antonium, quanta nulla vnquam humana vox cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat; vt ex Liuio, Plutarcho, Dione, & alijs.

Tempus Curiatorum Comitiorum non erat certum, vt Populus conueniret ad ferendum suffragium, sed quandoque Reipublicæ necessitas id requirebat; tunc conueniebant diebus tantum comitialibus.

D Modus Curiatorum Comitiorum vt iusta essent. Primum vt ante illorum tempus edicerentur ab aliquo eorum Magistratuum, quibus id ius fuisset, vt iam diximus: conuocabatur deinde Populus per triginta Lictores: item comitia habebantur Auspicato; nempè Auium inspectione, de cœlo obseruatione, & tripudij animaduersione. Obseruabatur hoc, vt Curia primò ad ferẽdum suffragium fortè vocata, esset boni ominis; si contrarium accideret, Comitia in alium diem proferebantur. Tandem quod pluribus curijs visum esset, id ad Patres referebatur, vt ab eis confirmaretur. Populus inde ferebat suffragium non vniuersus confusè, sed per curias vocatus; quodque pluribus visum esset curijs, id ad Patres referebatur; *Et inde contra sen-*

ten-

tentiam Patrum Populus confirmabat. A

Suffragia ferebantur à curijs *Vocalia* vsque quo Anno V.C. DCXIV. cautum fuerit, vt Comitijs, quibus Magistratus crearentur, Populus non voce, sed *Tabella* suffragium ferret. Ita liberum iudicium suum in Magistratibus creandis Populus habebat. Secutæ hanc legem sunt & aliæ, quibus cautum, vt etiam in Iudicijs populi, in legibus iubendis, & vetandis, item in Iudicio perduellionis tabulæ vsurparentur.

Centuriata Comitia.

Centuriata Comitia à Centurijs dicuntur; sicuti Curiata à Curijs. Ad quorum rationem intelligendam refert scire, Quid fuerint Centuriæ, & à quo institutæ? Fuit autem Centuriarum auctor Seruius Tullius vt ex Liuio, Dionysio, Floro & alijs: ex quibus libet ascribere verba Dionys. lib. 4. ibi: *Seruius iussit censeri bona omnium Ciuium cum iureiurando bonæ fidei, adscriptis ætatis annis, & parentum nominibus, atque adeo liberorum etiam, atque coniugum: ad hæc quam quisque regionem Vrbis, quemque pagum incoleret: ei qui non censeretur pœna proposita, vt bonis in fiscum redactis, cæsus virgis, sub hasta veniret: diuque ea lex Romanis seruata est.* Peracto censu cum ex scripto B & ipsorum numerum, & opes eorum cognouisset, commentus est institutum Reipublicæ saluberrimum; vt ex quinque classibus prædictorum constituerentur. CXCIII. Centuriæ, & vnicuique classi arma essent præfinita ad munus præcisum. Centuriones deinde præfecti, vt quisque erat virtutis spectatissimæ, qui centurias imperatis peragendis assueisceret. Hi ordines fuere tam Legionariorum, quam leuis armaturæ peditum: equitum vero delectum habuit ex opulentissimis.

Erant igitur Centuriata Comitia, quibus Populus per classium centurias diuisus suffragium ferebat, ita vt suffragia colligerentur centuriarum; & quod plures Centuriæ iussissent, id ratum haberetur. Vt autem Centuriarũ, ita etiam Centuriatorum comitiorum auctor fuit Seruius Tullius ex Dionysio & Liuio.

De causis Comitiorum Centuriatorum refert Dionysius: Seruium Tullium Regem tria Comitijs illis peregisse; vtputa Magistratus creasse, leges tulisse, & bellum indixisse: quod institutum etiam post assertam in libertatem Rempublicam permansisse ex antiquarum rerum scriptoribus. C

Personæ quarum interuentu Comitia Centuriata peracta sunt; triplices considerandæ sunt. Aliæ videlicet quæ ius habuerunt Comitia centuriata conuocandi: aliæ quæ suffragium in ijs intulerunt: aliæ quæ his Comitijs præter priores adesse oportuit. Ius igitur horum Comitiorum habendorum fuit penes Magistratus maiores tantum; & quidem penes Consules, Prætores, Censores, Dictatores, Interreges, Tribunos militum Consulari potestate, & Dictatores legibus scribendis. Personæ quæ suffragium tulerunt, fuerunt Ciues, qui in Centurias descripti erant, quique ius suffragij *habebant*: non tantum qui in Vrbe Roma sed etiam qui extra Vrbem in Italia habitabant, ciuitate tamen cum iure suffragij donati erant. Neque omnes Ciues qui in Vrbe habitabant, ius suffragij Comitijs centuriatis habebant: qui enim à censoribus ignominiæ causa vocabantur; si plebeij essent, adimebatur ijs ius suffragij; & referebantur in tabulas Ciuium eorum, qui eo iure carebant, nec erant in albo Centuriæ suæ sed tantum vt pro capite suo tributi nomine æra penderent. Præter eos autem, de quibus diximus, etiam quasdam alias personas his Comitijs interesse oportuit, quarum tantum nomina hic recitabo. Fuerunt autem illi, in Comitijs quidem Magistratuum candidati, Distributores, Rogatores, Custodes, Prætores, de quibus alias forsan dicemus. D

In loco inaugurato Centuriata Comitia haberi oportebat, non tamen intra pomerium sed extra, vt docet Agellius lib. 15. cap. 27. quod etiam confirmat Sp. Posthumius Consul. Locus autem Centuriatis Comitijs destinatus erat Campus Martius, quem Cicero dicit; *Consularibus auspicijs consecratum;*

quia

A quia Imperij consularibus auspicijs omnia ferè peragebantur, quæ publicè in eo campo fieri solebant. Itaque de eo hic aliqua adijcienda.

Fuit Campus Martius, qui alibi etiam Tiberinus dicitur, locus extra Vrbem Romam prope portam Flumentanam: Martius dictus, eo quod Marti sacer, vel dicatus esset. Seruij enim Tullij Regis tempore iam tum Marti sacer fuit, in eoque Comitia Centuriata habita testatur Dionys. lib. 4. Postea à Tarquinio Superbo vltimo Romanorum Rege in proprios vsus conuersus, post electos Reges à Bruto & Collega rursus ad pristinam conditionem redactus est: qua de re libet adscribere verba hæc Dionys. lib. 5 *Iunius Brutus, & P. Valerius bona Tyrannorum Populo diripienda dederunt, agrum quem illi priuatim possederant, inopibus ex plebe diuiserunt, vno tantum Campo excepto, qui situs est Vrbem inter & fluuium: Is iam ante Marti sacer erat: pratum equis & iuuentuti in armis exercendæ accommodatum. Id Tarquinius contempta religione suis oppleuerat segetibus; sicuti satis apparet ex decreto Consulum de eius frugibus.* B *Cum enim omnia Tyrannorum bona agenda, ferandaque permisissent Populo; quicquid frumenti erat in eius campi areis, vel in stipula, vel tritum tam, non permiserunt auehi, religione vetante iusseruntque totum effundi in Tyberim: Et nunc quoque eius facti manet monumentum; benè magna Insula Sacra Aesculapio, cincta flumine, consecrata è frumenti aceruis putrescentibus.* Hæc Dionysius. Marlianus in Antiquæ Romæ Topographia lib. 16. capit. 12. refert de Campo Martio præter natiuam loci, pratorumque amœnitatem, etiam ornamenta & statuas Illustrium Virorum in Capitolio erectas, illuc translatas. Strabo etiam lib. 5. eleganter describit his verbis. *Campi enim admirabilis magnitudo, & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat: nec minus tam multis pilam, trochum, palæstram exercitatione tractantibus, aliaque incumbentia simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatosque vsq; ad fluminis alueum colles? scenicarum ostentatio picturarum eius generis spectacula præstant, vt difficile & inuitus abscedas.* Hæc ille. Varia etiam ludicra in hoc Campo exercebantur, vt docet Horatius. Tumultu exorto delectus in C eo habebatur: clari viri mortui cremabantur: & hic Campus fere schola erat Militiæ Romanæ, vbi iuuentus ad palum omni genere armorum exercerentur, caput petendo, lateribus insidiando, poplite succidendo, insiliendo, resiliendo, punctim potius quam cæsim feriendo; & interim tamen assiduè sese protegendo, item iaculando. Pars ibi Tyronum pilis, lapidibus, sagittis manu, funda, arcu iaculandis exercebatur. Tum verò saltu fossæ latitudinem, aut valli altitudinem superare; præcipuè autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat. Erant etiam equi ligneij in campo, vt insilire, desilire, dextera, læua, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret: veros etiam equos domaret, & futuris præ ijs assuefaceret. Nec prætereundum quod Pomponius Lætus, & Plinius lib 36. cap. 10. referunt: Ab Augusto mirabile Horologium ibidem fuisse conditum strato lapide ad Obelisci magnitudinem, & habuisse lineas easdem, & in angulis quatuor ventos cum inscriptione, vt Boreas spirat ex opere musiuo. In hoc igitur Campo propè fluuium locus erat, qui *Area* vocabantur, vbi milites, D vt dixi, exercebantur.

Erat & locus alter, cui includebatur Populus, donec de creandis Magistratibus suffragium tulissent, cui nomen esse voluerunt *Septa*, aut *Ouilia* vt benè Seruius ad Eclogam Virgilianam: *Septa propriè sunt loca in Campo Martio inclusa tabulatis, in quibus stans Populus Romanus suffragia ferre consueuerat; sed quoniam hæc septa similia sunt Ouilibus, duo hæc inuicem pro se ponuntur.* Hic locus qui primò ligneis cancellis postea marmoreis septus est; ideoq; propter similitudinem caularum gregis *Ouile* dictum: nam vocatus ad Comitia Populus, & distributus in Tribus, vel Centurias manebat in Campo, postea vt quæque centuria latura erat suffragium, introducebatur in septa. *Septa.*

per angustum Pontem, neque tunc alijs licebat esse intra septa: quam ob rem Marius in Præturæ petitione ambitus suspicionem dedit, quia eius seruus intra septa est deprehensus. Liuius Decad. 3. lib. 6. *Citatis Centuriæ senioribus, datum secretum in Ouili cum hic colloquendi tempus.* A

Vt ad institutum thema reuertamur. Circa modum Centuriatorum Comitiorum: Ante eadem Comitia erat consuetum, vt ex auctoritate Senatus fieri oporteret; scribit enim Dionys. lib. 9. quod Tributis Comitijs non esset opus Senatus auctoritas; in reliquis maximè eius necesse esset accedere: deinde præmitti oportebat edictum, ad quam diem conuenire deberet Populus. Id vero edictum *in tabella scriptum publicè proponi* solebat. Ante Comitia Legum condendarum seruabatur, vt Legislator concionem haberet, in qua Populo necessitatem & vtilitatem legis proponendæ ostenderet; deinde etiam recitatet & publicè proponeret, vt Populo potestas fieret eam cognoscendi otiosè; & vt inde liceret librarijs describere, si quis vellent legem apud se habere: vt ex Dionys. lib. 10. Quemadmodum in legum, sic etiam in Iudiciorum Comitijs obseruabantur, vt triundino accusatio promulgaretur B vt docet id Cicero in Orat. pro domo sua

In ipsis Centuriatis Comitijs obseruari erat erat solitum, vt nisi captatis ante Auspicijs iure poterant fieri: quorum auspiciorum duo erant genera, Obseruatio de cœlo, & Auium inspectio. Ei igitur qui Comitia habiturus erat, parendum erat obnunciationi: & Magistratus tantum maiores poterant obnunciare, non autem minores, nempe Consules, Prætores, & similes: captatis auspicijs & sacris peractis milites præsidij causa in Ianiculum introducebantur, maxime priscis temporibus, quoniam multi hostes circum Romam habitarent, veriti Romani, ne dum ipsi Comitia Centuriata agerent, hostes per insidias Vrbem aggrederentur. vt refert Dionys. lib. 37. Ordinarium autem ac legitimum erat, vt ex Candidatis crearentur Magistratus; & in tabellis nomen eorum scriberetur.

Tributa Comitia. Tributa Comitia fuerunt, vt apud Agellium lib. 15. cap. 27. cum ex regionibus & locis; hoc est per Tribus suffragium ferebatur. Erant igitur Tribus Populi Romani partes distinctæ locis in Vrbe diuersis, & regionibus vndique circum Vrbem per Italiam dispersis, sic appellatæ; aut à Tributo dando; aut quia primò tres tantum fuerunt, vnde etiam Tribuni dicti: Earum primus auctor Romulus, vt refert Dionys. lib. 2. his verbis. *In tres partes diuisa vniuersa multitudine, singulis præclarum aliquem virum ducem præposuit: deinde vnamquamque rursum in decem partibus, totidem fortissimos viros eis præfecit: Has curias, illas Tribus vocare voluit, sicut vocantur & hodie.* Fuerunt autem earum Tribuum nomina hæc: Ramnensis, Titiensis, & Luceres. Ramnensis dicta à Romulo primo Vrbis conditore: Titiensis à Tito Tatio Sabinorum Rege, qui à Romulo prælio victus, ab eodem in Vrbem Romam, & Imperij societatem receptus fuit; Luceres à Lucretino, vel à Luco Asyli in quem multi fuga delati ciuitateque donati fuerunt; vt voluit Plutarchus in Romulo, & alij. C

Causæ Tributorum Comitiorum *habendorum generales fuerunt quatuor:* prima ad creandos minores Magistratus: altera ad Sacedotes collegiorum cooptandos: tertia ad leges ferendas: quarta ad Iudicium exercendum. D

Tributis Comitijs vocandis non erat vnus destinatus locus, quemadmodum *curiatis, & centuriatis:* Hinc interdum in Campo Martio, interdum in Comitio, & aliquando in Capitolio, aliquando in prato seu Campo Flaminio Tributa Comitia habita.

Indicebantur hæc Comitia ab aliquo Magistratu, qui ea habiturus erat, idque vt plurimum triundino antequam haberentur. In his tot dabantur tabellæ quot erant Candidati, quorum nomen receptum esset.

Et hæc attigisse sufficiat de Comitijs in genere.

Ex

A Ex huiusmodi popularibus veterum Romanorum Comitijs seu congressibus apprehendamus dubium & inconstantem populi animum velut Oceanũ, alternis æstibus reciprocum, multisque iactationibus aut naufragijs semper infidum. Vide acclamationes factas Galbæ magno Imperat. nec multò post iacet inhumatum cadauer, inglorium, calonum pedibus calcatũ: quam fœda primò de Ottone sparsa; itum deinde in Ottonem vna voce, omnium laude; inde in Vitellium, exinde in Vespasianum contra Vitellium. Manlium intuere, cuius vnius dextera Capitolium stetit; non staret Roma nisi Manlium Populo Romano dedisset Deus: & illius non multo post sanguine Capitolina funestata mœnia; vt nobis ex his proponatur ingrata Populi mens, semper alia, nunquam diu eadem: Nam quantos, (si vetera recenseas) stetisse in Populo superiores arbitraris? omnium gentium, ætatumque historias reuolue: nec è centum quinque sua morte, aut inter caros suorum amplexus vitam finiuisse, pro certo habeas; qui exilio, ferro, veneno, aut inter tela vitam posuerunt. *Consideratio.*

B Nouorum deinde cum auidissimus sit Populus, vetera semper præsentium desiderio fastidit: odit adeo vetera nouorum cupidissimus: ad hæc seu dolo, seù sanguine, seù benignitate perueniat; iuxta habere consueuit. Impetu namque fertur fluminum more, quæ præruptis aggeribus, cæco lapsu, nullo boni maliue discrimine in obuia sæuiunt: similis mari, quod modò in se tranquillum, modò leui ventorum appulsu minas cœlo iaculatur, semper infidum nec vnquam minus tranquillum, quam cum tranquillitatem spondet, mentitur.

Sed neque vera à falsis distinguit Populus: rapitur ad proposita, non ducitur: *sic vulgus credulum nimis est, & ad nocitura pronum. Hinc fatua illi* consilia, & sine delectu in res properat, de quibus eum sero pœniteat, nec futura prospiciens, nec præteritorum memor: & ferè mendacijs pascitur: vera an falsa pro eodem habet: satis nimirum ipsos placitura dedisse, quæ cum ferè facilius credantur, fœcundiusque serpant: fit vt vera, tanquam se-
C mina bona, tunc demum primum inserantur, cum animorum ager totus zizanijs occupatus tenetur, sera nimis prudentia. Prima sunt, quæ fortius illabuntur & mouent; quicumque proinde primus occupauit, primus possedit, nec ab hac possessione falsissimarum licet rerum quisquam illum repellet: tantum valet vacuos, & ad amica sibi pronos plebeios animos occupasse.

Nihil vero medium in Populo: aut enim abiectè seruit: aut superbè imperat; vt verè Tacitus: *Nihil in vulgo modicum, terrere, nisi, paueant: vbi pertinuerint, impunè contemni*. Fœmineum in populo pectus, aut ignauescit, aut sæuit: suspicionibus vero muliebri more, tanquam fluminibus innatat: minimæ illi res maximæ, & tanquam læsæ maiestatis crimina sunt; tam calidus in ferrum, quam in minas & suspiciones. Ita ingratitudine, & inuidentia grauidum circumfert pectus: punire in alio imprudentiam suam vult, præmiare alterius felicitatem non vult.

Vulgi & Popu'i quanquam semper ferè varij & inconstantes fuerint animi
D motus, vt vidimus; non sic priscorum Romanorum comitia, & congressus fuere, dum solius virtutis, & publicæ salutis scopum præ oculis illi tantum haberent: nullo nationum ve! sanguinis discrimine habito: ignaua siquidem nobilitate *nihil turpius, nihil abominabilius fuit illis*.

Quoniam de Comitijs Romanorum iam diximus; & cum in similibus hominum cœtibus vt plurimum Ratio status præualeat Iusto: lubet hic inquirere damna, quæ Reipublicæ afferat hæc Ratio status, quæ est hæresis? Propheta Ieremias cap. 9. postquam ingemuerat: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei*: subdit. *Quia omnes adulteri sunt*, COETVS PRAEVARICATORVM. *Damna quæ affert Reipublicæ Ratio Status.*

Adulterij nomine proximis illata iniuria, significatur Deo irrogata idololatria. A
Cœtum autem præuaricatorum, vocat conuentum hominum per omnia debacchantium, ac potissimum in proximos iniuriosorum. Adidit etiam Propheta: *Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis, confortati sunt in terra*. Ex Hebræo sic verti potest; & eiaculari fecerunt linguam suam, hoc est, arcum suum ad mendacium, & non ad veritatem roborauerunt se in terra: Adeo vt sanctissimus vates, quasi expressis verbis referre videatur maximum illud malorum omnium, quo maxima ex parte laborat inter hæreticos sæculum hoc nostrum nequam; quod ita hoc scelere infame est, vt cõplere videatur Amorrhæorum mensuram, iam iam euersioni proximam, ac ferro ignique damnandam. Atqui cum verborum veritas sit, quæ Rempublicam congregat, congregatam conseruat, conseruatamque ab omni temporum, hostium atque inuidiæ incursionibus tuetur, atque defendit; ita contra mendacia velut sagittas eiaculantur, numquam veritatem: atque ea ratione maximè existimant confortare se ipsos posse, statumque suum communire, ac stabilire in terris. Qui cum à recta veritatis via deflexerint, *de malo* voluntatis peruersæ *ad malum* excæcati intellectus *egressi sunt*; à peccatis nimirum ad errores, à sceleribus in hæreses: *Et me non cognouerunt dicit Dominus*; quia nulla est tam propinqua atheismo hæresis, quam quæ Deo præfert status conseruationem, ea, inquam, quæ Ratio status dicitur. Quæ omnia meritò consequitur: *Et dabo Ierusalem in aceruos arenæ, & quia dereliquerunt legem meam, &c.* B

De Regimine & Magistratibus Vrbis: Cap. VII.

PEruenimus ad Regimen Vrbis, & Magistratus eiusdem descriptionem; quorum ordines, munia dignitates & priuilegia sunt nobis explicanda: cuius regimen Polybius lib. 6. omnibus aliarum gentium Rebulpublicis anteponere non veretur: illius namque aeuo Reipublicæ Romanæ formam non simplicem, sed mixtam & compositam fuisse ex Monarchia; Aristocratia & Democratia; ita vt in Consulum potestate Monarchia siue Regnum; in Senatus auctoritate Aristocratia; in Populi maiestate Democratia apparuerit: quam sententiam ex veteribus quidem Dionysius, & Cicero; ex recentioribus autem Carolus Sigonius, Paulus Manutius, Nicolaus Grucchius, & alij sequuntur. Romani enim antiquæ Reipublicæ auctores quidquid Politicæ artis in exteris quibusque gentibus obseruare potuerunt, id omne in suam Rempublicam transferre omni ope, atque opera conati sunt. Vuillalpandus in Apparatu Vrbis & Templi Hierosolymit. part. 3. pag. 336. C

Regiminum reuolutio.

Vicissitudines regiminum in nostra Vrbe à potentia vnius per Romulum instituta, cum ad libertatem sanciente Bruto transisset; ac iterum à libertate ad paucorum potentiam sub Pompeio, Crasso, & Cæsare; ac etiam sub Lepido, Antonio, & Augusto; demum ad illam vnius potentiam miro circuitu reditum fecit; sicuti compendiosè Tacitus innuit in principio lib. 1. his verbis. *Vrbem Romam à principio Reges habuere. Libertatẽ & Consulatum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur: neque Decemuiralis potestas vltra biennium, neque Tribunorum militum consulare ius diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio. Et Pompeij, Crassique potentia, citò in Cæsarem: Lepidi atque Antonij arma, in Augustum cessere.* Inde apud Ezechielem cap. 1. non absque mysterio magno in ea prima visione quatuor animalia prõponuntur, quæ iuxta plurimorum opinionem figuræ erant quatuor orbis imperiorum: præcedebat autem Rota prædictis singulis animalibus, vt indicaretur quo- D

modo

A modo per circuitum regimine voluantur: cuius reuolutio adeo connaturalis est, vt quod scribit Tacitus de Roma vti historicus, præuiderit iam ante Aristoteles tanquam Philosophus 3. Polit. his verbis: *Et ob hoc forsan Rex ab initio repertus est, quod difficile erat viros plures excellenti virtute reperiri; præsertim cum tunc ciuitates paruæ forent*; Quod idem est vt diximus: Vrbem Romam à principio Reges habuere. Sequitur Aristoteles. *Sed cum postea contingeret, vt plures pari virtute reperirentur, non amplius tolerarunt Regem, sed commune quiddam quærentes, Respublicas constituere*; quod idem vt dixit Tacitus; Libertatem L. Brutus instituit. Subdidit etiam Aristoteles: *Cum vero deteriores facti, lucrum sibi quærerent ex gubernatione Rerumpublicarum, paucorum hinc potentiam exortam fuisse credendum est, honorabant enim diuitias*: Exinde namque processit Pompeij, Crassi, & Cæsaris potentia, & Triuiratus Augusti Sequitur Aristoteles, *Ex his verò in Tyrannidem transiere*: Ecce quod inquit Tacitus, Pompeij, Crassique potentia citò in Cæsarem: Lepidi atque Antonij arma in Augustum cessere.

B Hisce vero reuolutionibus extitit primum Regia potestas apud Romanos: quoniam Cæsar & Augustus cum reperijssent Vrbem discordijs dissolutam, dominium illius obtinuerunt, D. August. de C. D. lib. 2. inquit: *Ea libido dominandi, quæ inter alia vitia generis humani immoderatior inerat vniuerso Populo Romano, postquam in paucis potentioribus vicit, obtritos, fatigatosque cæteros etiam iugo seruitutis oppressit*: Cum alijs plerisque vrbium fundationibus hoc idem contigerit, vt refert Sallust us in Catilinam: *Igitur initio Reges, nam in terris nomen Imperij id primum fuit*. Iustinus hist. 1. lib. 1. *Principio rerum, gentium, nationumque Imperium penes Reges erat*. Aristot. 2. Polit. *Fuerat enim antiqua ciuitatum gubernatio paucorum, & Regna*. Denique pluribus exemplis in sacro textu: Genes cap. 4. Cain primæ ciuitatis in Orbe fundator ante diluuium, Rex ipse cum successoribus extitit: ita post diluuium Babylonia vix extructa Nembroth *Cœpit esse potens in terra*, vt in Sacro textu, & refert D. August. de C. D. lib. 15. cap. 20. *Regia potestas.*

C Post Regiam potentiam in Vrbe Roma cæteri Magistratus consecuti sunt; quorum alij Maiores, alij vero Minores erant, de quibus A. Gellius lib. 13. cap. 14. Maiores Prætores, Consules, Censores; neque tamen eorum omnium inter se eadem potestas; ideoque inter se collegæ esse non poterant. Maiores Centuriatis Comitijs fiebant. Minores Magistratus creandis Magistratibus Tributis Comitijs dabantur; ideoque de prædictis in progressu plura referemus.

Senatorum originem à Romulo institutam esse nemo ambigit: quippè qui Vrbis parens & conditor, cum iam nouam Ciuitatem viribus & robore iuuenum affatim à se munitam cerneret; non minoris momenti fore ratus, si eamdem consilij ope fulsisset, ex primoribus ciuibus qui tunc aderant, centum Patres numero elegit: quos ob honorem Patres, ob ætatem Senatores appellauit, qui summum quemdam Magistratum gerunt. Qui vero ex his primoribus centum Patribus geniti sunt, *Patritij* sunt nuncupati. Hunc ordinem Tullus Hostilius expleuit, Alba à se diruta, Albanisque in Vrbem in- *De Senatorum origine.*

D ductis: tunc Tullios, Seruilios, Quintios, Geganios, Clodiosque Senatores accepit.

Exactis autem Regibus, Brutus Consul exhaustum bonis viris Senatum intuens, primores equestris ordinis adscribi in Senatores operam dedit, illosq; *Conscriptos Patres* appellauit. Penes hos quidem Senatores semper totius Reipublicæ summa innixa est, vt ne Reges quidem, Consules, aut Dictatores, aut alius quispiam Magistratus inconsulto Senatu quippiam moliretur; adeo vt cum Tarquinius Superbus pleraque præter Senatus auctoritatem decerneret; tum demum amisso Regio nomine Tyrannus appellaretur.

Senatores sunt triplicis ordinis: alij enim Patritij, alij Pedarij, nonnulli Con-

scripti appellabantur. Patritij sunt hi, qui geniti sunt à centum Patribus à Romulo electis: Conscripti, qui Regum, Consulum, Censorumue decreto in Senatum lecti sunt: Pedarij, qui non haberent sententiæ dictionem in Senatu, sed in aliorum sententias pedibus irent; & ideo Pedarij nuncupati; seù quod essent ex his qui pedibus irent in Senatum ad differentiam eorum, qui sella curuli veherentur. A

Ordo consulendi Senatus: aliquando mos fuit rogari illum, qui princeps in Senatu à Censoribus positus fuerat: aliquando vt etiam hi prius rogarentur, qui Consules designati essent: vsu tandem introductum, vt quem Consul ipse rogasset, is prior ex sententia verba faceret.

De modo habendi Senatus A. Gellius lib. 14. cap. 7. inquit, Haberi illum solitum per has personas, nempè Dictatorem, Consulem, Prætorem, Tribunum Pleb. Interregem, Præfectum Vrbis: extraordinario iure Tribunos militares, qui pro Consulibus essent, Item decemuiros, item triumuiros Reipublicæ constituendæ creatos, consulendi Senatum ius habuisse.

Loca habendi Senatus per augures constituebantur; & Templa appellabantur: vnde & in Curia Hostilia, in Pompeia & in Iulia, cum profana essent loca, templa per augures sunt constituta. B

De Tempore habendi Senatum: Ante exortum solem, aut post eius occasum Senatus consultum irritum esse.

De Aetate autem Senatorum; etiam adolescentibus Senatorum ius ingredi Senatum fuisse ex veteri instituto: quo minus tandem in Senatum illi ætati venire liceret, Papyrij prætextati factum in causa fuit, ne cui paucioribus XXV. annis nato Senatum ingredi liceret, vt refert V. Maximus, item Plutarchus in vita Magni Pompeij.

Senatoriæ personæ etiam Vxores nuncupabantur, item Adoptiui filij; dūmodo sese in adoptionem dedissent, antequam Patres in Senatū essent ducti. De quibus omnibus latè Dionys. lib. 2. Liuius lib. 1. A. Gellius libro 14. cap. 7. Feneſtrella & alij.

Quæstores.

Quæstoribus creandis origo vetustissima est: ipsum etiam Romulum & Numam duos habuisse Quæstores, quos non voce sed Populi suffragio creatos tradunt Scriptores; quod verò publicæ quærendæ pecuniæ præpositi essent, appellatos aiunt: Nonnunquam autem maleficia conquirere Quæstoribus negocium traditum est, ex quorum exercendis quæstionibus, Quæstores dictos fuisse. Etiam quia de capite ciuis Romani iniussu Populi non erat permissum Consulibus dicere, propterea Quæstores constituebantur à Populo, qui in capitalibus præessent rebus. Ii appellabantur Quæstores parricidij, de quibus etiam in lege 12. tabular. C

Interregia potestas.

Romulo ab humanis sublato fluctuantibus Patrum animis quo pacto Rempublicam procurarent; & ne eamdem rectore vacuam vis aliqua externa adoriretur: Centum Patres decem decurijs factis, singulos ex singulis legunt, qui summæ rerum præessent: ex ijs vnum qui insignibus Imperij & fascibus esset, decernunt. Quinque dierum spatio finiebatur Imperium, eo pacto vicissim inter se sortiebantur. At vero plebs cum quereretur pro vno Rege centum sortitam esse: permittunt Patres, vt quem Populus Regem iussisset, ita demum ratus haberetur: Tum Interrex concione aduocata Populus Regem creabat, apud quem summa rerum erat. D

Duumuiri capitales.

Duumuiris capitalibus vnius tantum augumento triumuiri collegæ facti sunt, qui capitalibus quæstionibus præessent, & carceris rerum capitalium agerent custodiam, ijque capitales nuncupati. Eorumdem interuentu in eos, qui cum Catilina coniurauerant animaduersum est vt meminit Sallustius.

Præfectus Vrbis.

Vrbis Præfectus à Tarquinio Superbo Rege habuit initium: cum Regibus proficisci opus esset, penes Præfectum Vrbis summa rerum relinquebatur: vbi autem Imperium propagatum, totius Italiæ iurisdictio ad Præfectum Vrbis

A bis delata est. Omnia enim crimina, quæ per Italiam admittebantur, Præfectus Vrbis sibi vendicabat; ac etiam intra centesimum lapidem, si quid admissum esset, ad cognitionem Præfecti Vrbis pertinebat. Cæterum quò se extenderet Præfecti Vrbis iurisdictio, refertur ab Vlpiano tit. 12. lib. 1. Digest. & refert Fenestrella de Magistr. Rom. cap. 6.

Consules. Consularis potestas regiæ potestatis exemplo instituta. Exactis enim Regibus duo viri creati sunt, quibus præterquam quod annuũ Imperium datum est, nihil aliud immutatum est: itaque lictores, & trabeam, cæteraque Regum insignia tenuere. Quod consulere rempublicam deberent, Consules nuncupati; iniunctumque vt omnium curam agerent, quæ è republica fore arbitrabantur. Primi Consules post exactos Reges fuere L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus: apud alterum tantum eorum existebant lictores 12. qui cum fascibus virgarum securim præferebant. Ab Ethruscis finitimis populis asciuerunt Consules sellam curulem, togam, & prætextam. Lictores dictos à ligando existimant, quod quem Consules prehendi, ligariq; iussissent
B præsto essent. Consularis potestas deinde inferior cœpit esse regiæ auctoritatis, & inde libertatis iacta sunt semina. Constituebatur Consularis potestas habitis per Consulem seù alterum illorum, siuè per interregem, aut dictatorem Comitijs, quæ tribuum, centuriarumq; conuentu & suffragijs constant; ijsque ritè peractis, in quem populi suffragia concurrebant, is erat Consul designatus. Ita ex fine primi libri Liuij, ex. 4. Dionys. &c.

Dictator. Dictatorem Albanos prius habuisse. Apud Romanos primus Dictator factus est T. Largius: Latino enim Sabinoq; bello impendente quadraginta Populis in Romanos coniuratis, Dictatorem Romæ creari institutum. A summa illius potestate non fuit ius prouocandi, & animaduersum in caput cuiusque Romani ciuis, & totius Reipublicæ potestatem habebat. Lictores & vniuersa regum insignia Dictatori attribuerunt. Dictator nullo alio pacto creari consueuit, quam cum vis aliqua maior de improuiso oborta ingentem Vrbi cladem minitari videretur, prius non nisi à Patribus, velut pleraque
C alia. Tandem vt cætera quoque idipsum immutatum est: Bello enim quod Populus Romanus cum Falisci gessit, & Tarquinijs, primus de plebe Dictator creatus est C. Marius Rutilius. Hunc Magistratum quoniam amplissimus esset, non nisi sex menses licuit retinere: quod vero futuros dictare Magistratus solitus esset, appellatum esse Dictatorem, ait Varro. Huius etiam prætextu Magistratus L. Sylla, ac deinde Iulius Cæsar Remp. oppressерunt, tyrannidis inuisum & infame nomen euitare cupientes. Et hæc de Dictatore per veterum disquisitionem: vt ex 2. Liuij lib. & Dionys. circa finem. 5.

Tribunus plebis. Tribunis plebis creandis initium fuit secessio plebis à Patribus in montem sacrum; cum de liberanda à nexibus fœneratorum plebe, spes quibusdam certis indicijs versatur, quæ tum quadam ac nimia lusione protrahi videretur à Patribus; quod cum ingentem trepidationem ijsdem Patribus incussisset, dum omnium militum robore Vrbem exhaustam cernerent, si belli vis aliqua ex parte irrepsisset, Merenium Agrippam summæ tunc auctoritatis virũ, plebi pariter ac Patribus carum legatum ad comprimendam Popularem se-
D ditionem decernunt; qui graui vsus oratione pacem cum Patribus iniuit: in cuius fœderis pactione conuenit, vt plebeios in Vrbe Magistratus obtinerent. Duos ergo Tribunos tum habere plebs cœpit, Tres deinde, demum decem Tribunis in plebem Romanam fuit iurisdictio: quorum tanta creuit auctoritas, vt quicquid Senatus decreuisset, ita demum ratum haberetur, si Tribuni approbassent. Tribuni dicti, quod tunc in tres partes Populus diuisus esset, aut à tribuum suffragio, quæ tunc quatuor erant. Stabant autem in vestibulo, vbi habebatur Senatus, & quæcunque Senatores decreuissent, Tribunis animaduertenda perferebantur; vt si pro Republica fore videretur, approbarent T. literam in tergo adijcientes. Cætera ad arbitrium reijcerent:

nec

nec alio pacto rata iudicatum iri. Istud etiam inter Tribunos obseruatum, si cæteri omnes vnam rem probassent, vnus vero id prohibuisset, plus cæteris omnibus in ea prohibitione polleret, & reliquos omnes facile impedire posset. Vide Liuium lib. 2. Dionys. lib. 6. ante finem. Fenestrelam de Magistratibus capit. 10. A

De Proconsulari potestate.

Bello à Populo Romano cum Equis infeliciter gesto, maximoque terrore Vrbi illato: tunc Consul qui in Vrbe remanserat, Proconsulem creauit, qui obsesso collegæ auxilium afferret. Creatus est igitur Proconsul T. Quintius. Quod vero pro Consulibus mitterentur, eorumque vice functuri essent, Proconsules sunt appellati: cætera quidem Consularia insignia ijsdem concessa præterquamquod sex dumtaxat lictoribus vti iniunctum est. Delegata quamuis iurisdictione Proconsul initio vteretur, propria tamen iurisdictio eidem postea competere est institutum: obseruari etiam cœptum, vt quo quisque anno Consul fuisset, sequenti Proconsul remaneret, & varias Prouincias cũ Imperio sortiretur. Potestatem suam Proconsul nisi in ea prouincia, quam sortitus est, exercere potest, quamuis voluntariam. Lites quæ seriosa animaduersione indigent, summatim diffinire non debet: quæ cognitionem nõ desiderant, summatim animaduersa poterit pronunciare. Non habentibus Aduocatum ob inopiam, seù aduersarij potentiam vltro exhibeat. Liuius in princ. lib. 3. & latius in 1. Digest. tit. 16. B

De Legato Proconsulis.

At vero quoniam negociorum prouincialium multitudinem per seipsum obire Proconsulem difficile est; Legatum Proconsules habere solent, qui non propria sed mandata iurisdictione vtitur, quem prius etiam quam in prouinciam peruenerit, substituere non potest: si negocium aliquod graue legato occurrerit, Proconsuli remittere debet: vt latius in tit. 16. lib. 1. Digest.

Ædiles plebis.

Aedilitia plebeia pro vetustissimo Magistratu habenda: mortuis namque Consulibus seù aliter detentis apud Aediles plebis tota Reipublicæ summa residebat. Crescentibus autem plebis opibus, ita vt etiam Dictatores ac Põtifices de suo quoque corpore præstarent, duos ædiles plebeios à Patribus creandos peruicerunt. Duos tandem Aediles creatos à Iulio Cæsare, qui quoniam frumento præessent, Cereales appellati sunt: & Aediles à sacrarum ædium, quam gerebant, cura appellatos esse: Curules vero ij, qui ex Patribus creati sunt, quoniam sella curuli vehérentur. Munera ædilium hæc erant, vt locorum discretio cuilibet ordini pro dignitate in ludis & theatris assignaretur: quod si seruum quispiam aut iumentum morbosum aut vitiosum pro integro, sanoque vendiderit, edicto Aedilis emptori succurreretur: quod vero cloacæ publicæ, & aquæductus, cæteraque ædificia lauta, munda, integraque & expedita afferuarentur, Aedilium officium esse: denique quicquid rerum vitiosarum pro sincero, fractum pro integro venisset, edicto Aedilium redhiberi solet. Vide ex princ. lib. 7. Liuij Dionys. lib. 6. Gellius cap. 21. lib. 17. & titul. 2. lib. 1. Digest. C

Decemuiri.

Decemuiri legum ferendarum causa creati, qui leges Solonis Athenis Romam allatas promulgarunt in 12 tabulis: vt inquit Liuius lib. 3. Anno trecentesimo altero quam condita Roma erat, iterum mutatur forma ciuitatis à Consulibus ad Decemuiros, quẽadmodum à Regibus ante ad Consules venerat, qui de litibus iudicandis constituti, apud quos de libertate etiam & ciuitate suberat iudicium. Translatio Imperij minus insignis, quia non diuturna mutatio fuit: læta enim principia eius Magistratus nimis luxuriauere, abstinentes à Patribus; crudelitatem, & luxuriam exercebant. Hæc Tyrannis cito lapsa est; repetitumque vt duobus mandaretur Consulum nomen & Imperium. Vide Dionys. circa finem 10. libri & sequentis per tot. D

Præfectus Annonæ.

Annonæ præfecturam habuisse initium volunt aliqui anno 18. post exactos reges T. Geganio, & P. Minutio Coss. quo tempore annonæ maxima caritas fuit: missique in Sicilam fuere P. Valerius & L. Geganus pro adducendo fru-

A frumento. Cuius ope Magistratus egregia Populo Rom. penuria laboranti, sæpè opera nauata est: cum enim Magnus Pompeius ageret atque è Sicilia cũ magna vi frumenti soluere pergeret, ac gubernatores classis non se cõmittendos sæuienti pelago dicerent, illam saluberrimam Reipublicæ vocem edidit: *Nauigare necesse esse, viuere necesse non esse.* Vide V. Maximum cap. 3. l. 9. Liuium lib. 2 ante medium, Feneſtrellam cap. 15. & alios.

Tribunus militũ

Anno LXX. *post exactos reges*, tres è Patricijs creati Tribuni militares consentiente plebe, omnem Consularem auctoritatem habuere. Sexto anno ius Imperij Romani ad Consules redijt. Officium autem Tribunorum militum erat in castris milites continere, & ad exercitationem producere, vigilias circuire, rei frumentariæ præesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere; quoniam is, qui tali officio præst, dare & obseruare castrensia omnia debet. Tribunorum militarium duo genera, primum eorum, qui in exercitu creari solent: alij qui Comitijs designantur, ex Liuio lib. 4. tit. 2. lib. 1. Digest.

Censores.

B Cum census esset auctus, & Consules non sufficerent, *duo creati fuere*, ad quorum *censionẽ, censuram vel arbitriũ* censeretur Populus; & ob id Censores appellati. Creabantur autem quinto quoq; anno: ciues tunc sic notabãtur, vt qui Senator esset eijceretur Senatu: qui eques Rom. equestrem dignitatẽ perderet: qui plebeius non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset ciuis tantummodo, vt pro capite *suo tributi nomine æra* præberet. Iidem completo *quinquennio lustrabant*, & sacrificium Suouetaurilia faciebant, ex sue oue, & tauro. Censores magistri morum erant, à censendo, de Ciuium moribus castigandis: vel à censu, quod quinto quoque anno Populi Romani censum agerent. Illud quoque Censoribus negotium datum est, ne in fœnore modus excederetur. Vide Liuium lib. 4. A. Gellium cap. vlt. Feneſtrellam cap. 17.

De Triumuiris colonia deducendæ.

Aricini atque Ardeates cum de ambiguo agro sæpè bello certassent, multis inuicem cladibus fessi, Populum Rom. tandem ea de re iudicem constituere C Triumuiros igitur deducendæ coloniæ à Romanis creatos. Pertinebat verò ad huius Magistratus officium, vt & agros nouis colonis diuiderent, vrbes designarent, ædificare volentibus areas partirentur, commodis regionibus ciuitatem distingueret, legibus ac magistratibus insignirent, & ad speciẽ optimi tabernaculi Rempublicam effingerent, ex Liuio lib. 3. prim. Dec.

Prætor.

Notare debemus omnes Magistratus Prætores appellatos: sed Patres, quo tempore L. Sextius primus ex plebe Consul creatus est, Furium Camillum primum Prætorem Vrbanum, qui ius in Vrbe diceret, creauerunt: mox vnico Prætore non sufficiente, quod multi peregrini in Ciuitatem venirent, alius creatus est Peregrinus; eo quod plerumque inter peregrinos *ius diceret*. Capta deinde Sardinia, *alijsque prouincijs*, totidem Prætores quot prouinciæ in ditionem venerant, creati sunt: partim qui vrbanis rebus, partim qui prouincialibus præessent. Dictus Prætor quod præsit: seu à præeundo quasi præiret iure & exercitu. Ob Magistratus honorem regia illi erant insignia Consularesque ferè apparatus, lictores vero non amplius sex, sella curulis, D trabea, cæteraque huiusmodi tradita sunt. Liuius in fine lib. 6. Feneſtrella capite 19.

De Quinque viris mensarijs.

Cum improbitate fœneratorum plebs Romana magnitudine æris alieni penè obruta esse videretur, eique difficultati Principes plebis sæpius succurrere tentassent; inclinatis tandem ad concordiam omnium animis: quinq; viri creati sunt, quos à dispensatione pecuniæ mensarios appellarunt, qui rem difficillimam tractatu, & plerumque parti vtrique, semper certè alteri grauem; impendio publico & iactura sustinuerunt. Tarda enim nomina inertia debitorum quam facultatibus ærariorum mensis in foro positis dissoluerunt. Ita ex lib. 7. Liuij.

Præfecti

De Præfecto prætorio.

Præfecti prætorio apud Cæsares erant, sicut magistri equitum apud Dictatores, nam cum secundas apud Cæsarem partes gestarent, præessentque disciplinæ publicæ emendandæ; adeo à paruis orta principijs creuit auctoritas, vt lecta Principis sententia, à Præfecto prætorio prouocatio sit sublata: nec ab eiusdem sententia minores ætate possent restitui. Ita in lib. 1. Digest. lege vnica tit. de Præfecto prætorio. A

De Præfecto vigilum.

Augustus coercendorum incendiorum causa septem cohortes opportunis Vrbis locis dispposuit, ita vt binas Vrbis regiones vnaquæq; cohors præsidio tutaretur Tribunis, & supra omnes Præfecto vigilum præpositis. De incensoribus, effractoribus, furibus, raptoribus apud Præfectum vigilum cognitio est; vt quoq; scelerum omniū quæ nocturno tempore committi solent; nisi si quæ tam atrox tam famosa persona sit, vt ad Præfectum Vrbis remittenda videatur. Vt in lib. 1. Digest. tit de Præfecto Vigilum.

Procurator Cæsaris.

Procurator Cæsaris inter ipsum Cæsarem, & Populum Iudex erat constitutus Huic Magistratui principalis totius rei licentia commissa est, ita vt quicquid ab eo negociorum Imperialium gestum est, proinde habeatur ratum, ac si ab ipso Cæsare fuerit peractum: sed si rem quasi propriam procurator tradat, non putant dominium transferre: tunc transfert, cum negocium gerens Cæsaris ipsius consensu tradit: nec alienare rem Cæsaris, sed diligenter negocia eius obire iniunctum est. Et hæc satis vt ex lib. 1. Digest. tit. 19. B

Consideratio.

Magna profectò fuit Romanorum solicitudo in Magistratuum delectu, diuersæ etiam inter se potestatis. Vnde in hoc argumento recogitemus & nos quales Rex seù Princeps debeat adlegere Magistratus, qui Reipublicæ præsint. Audiat ille in hoc delectu monentem Iethro, Exod. 18. *Proinde de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt auaritiam, & constitue ex ijs, qui iudicent Populum.* Vult potentes, ne intueantur personam diuitis, quique valeant *virtute irrumpere iniquitates:* quos nec egestas spe præmiorum ad illicita trahat; nam in Deut. capit. 16. *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum:* Quare de A. Seuero Imperat. inquit Lampridius: *Si vnquam iudicem furem vidisset, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret.* Hoc benè intellexit Euripides apud Stobæum. C

Oblata quamuis dona amicorum manu.
Nunquam recepit: spiritu celso negans
Emancipare quæstui mores suos.

Deligat ergo Rex, quos grauior ætas magnoque collecta vsu experientia, integritasque, & caili mores animus sibi constans, & periculis maior commendat: quos in audiendo faciles, in comprehendendo celeres, in decernendo lenes, in inuestiganda veritate diligentes, studijsque & laboribus addictos deprehenderit: quibusq; fides omnibus vitæ commodis antiquior, omnibus opibus carior, quorumq; eruditionem sancti mores ornent. Sequatur Rex in deliberando illud Lampridij in A. Seuero Imp. *Si de iure tractaretur, solos doctos in consilium adhibebat: si vero de re militari, milites veteres & senes, & benemeritos, ac locorum peritos.* Et in hoc maximè splendet Moysis magnitudo animi, quod nullum filiorum virtuti Iosue prætulerit in militaris Imperij successione: & quod non oportet filijs Imperium, aut regimen cõmittere, nisi mores principatus congruant, benè Isidorus Peluſiota libro 3. epist. 289. D

Ne in vnum omnia conferat.

Præterea ne conferat Princeps in vnum prima aut plura regni munera: Aemulationem hæc prouocant, prosiliunt ex inde odia, quæ solo plurimum ferro, & sanguine ponuntur. Augustus publica munia solebat diuidere, ac noua etiam excogitare: vt cum pluribus benefaceret plures obstrictos teneret. In vnum verò omnia prima munia regni contulisse, dominum propè delegisse

A legisse est; & cum ab huius manu regia ferè beneficia fluant, hanc dexteram pro regia plures habebunt: cumq; benefacere is plurimis possit, deuinctos sibi arctius plurimos habebit, quam vt regia illum dissoluat manus aut salus. Se ergo, regnumque in discrimen Rex conijcit, *quisquis in vnum prima omnia conijcit*. Sed neque amat hunc ipsum, quem tot honoribus opibusque Princeps obruit, vt cuius vitam omnium æmulationibus, odijs, ferro obijciat: adeo vt inter beneficia non putem reponi posse nimium hunc Principis in vnum affectum, *cum ferè ingentibus præcipitijs ingens hic fauor claudatur*. Quo fit vt nimij hi Regum amores metuendi magis sint, quam amandi cum rarissimè æternent, plurimumque in odia vertantur, securibusque, ac funè finiantur. Plenæ omnes *historiæ sunt, nec vllum propè sæculum fœcundius* nostro: nec tango quæ notissima in Germania, Hispania & Gallia tota euenere. Prudens ergo discat alieno exemplo infida fortunæ munera, & inter risus ferrum ac præcipitia timeat, exilia, vincula, sanguinem, populi furorē. *Et sanè perrarò diuturna citò nata, nec ferunt ætatem, quorum accelerata*
B magnitudo est: ferunt, quorum lenta & tarda munerum accessio est.

Cum vni præterea omnia committuntur, propior iam regno is est. Et quid facilius quam amicos parare & regia fortuna vti augendæ potentiæ? Quid si ærario etiam imperet, quid vetat regia pecunia eos sibi obstringere, quos vetus nobilitas, noua egestas audere docuit? primis etiam quibusque regni muneribus fidissimos sibi præficere? varios deinde regni proceres affinitate sibi connectere? *Quod vbi fit, quid ad regnum præter nomen deest: quid ad nomen præter audaciam?* Merouæos qui nouit in Galliæ regno, & Capetum, scit quid velim.

Error denique est, vni plurima regnorum munia concredere; neque enim tam *validus aut ferreus* quisquam est vt omnibus vnus sufficiat, vnus tam varia solus feliciter expleat. Non sumus Angeli, vt nulla nos negociorum moles fatiget, nullis frangamur. Homines sumus, atteritur hæc caro & liquescit: neque quas *attulimus ad res arduas vires referimus*: delumbatas fere & primæuo robore destitutas referimus.

C Gubernatores præterea magnarum prouinciarum nec perpetuos, nec multorum annorum à Principe constituendos. Libertatis securitas, Mamerco *Dictatore, Si magna Imperia diuturna non essent*: Fuit in hac sententia Cæsar cum Præturam vltra annum, Consulatum vltra biennium non putauit protendendum: suo enim exemplo didicerat, quid Magistratus prorogatio ad occupandum regnū posset. *Quo vero longius dissitæ prouinciæ*, & exercitus in manu est; hoc amplius periculi est posse & imperare nolle, quod vix huius sæculi est. Continuatio quippè animos suggerit & audere multa supra priuatam fortunam ipsa imperandi consuetudo docet: & graue sanè videtur ab Imperijs, quæ ipsa mora quasi in naturam transierunt, ad nulla descendere, à summis fastigijs ad ima vallium. Facilè namque vir fortis militum animos sibi conciliat; dum æquat cum milite labores, obuio & fortuito vtitur cibo, veste habituque vix à gregario discrepat, segnes exemplo *sæpius* quam pœna coercet, prædisque suos onerat, &c. Summa tamen primaque exercitus mu-
D nia regia voluntate conferri debent: & maximè prouinciarum, & vrbium propugnacula, quæ habenæ Gubernatoribus erunt ne facilè in Regem valeāt armare: aliquos etiam fidos designari oportet exploratores, qui dicta, facta, consilia studiosè rimentur, & periculorum Regem moneant.

Gubernationes Amouibiles.

Maximam verò maritimorum locorum curam habeat à quibus ferè regnorum incolumitas pendet; *cum neque maria claudi possint*, & facilis hosti aditus, & expedita quiduis suppeditandi ratio sit, & impediendi ardua.

Maritimorum Locorum cura habenda.

In quibus prouidendum, ne loca hæc maiore præsidiario milite impleat, quam propugnatio deposcit: impedimento enim sibi, & *grauis multitudo* est, locorum angustijs arctata, nec vltra commeatum miles admittendus. Exclu-

Nimia præsidia Noxia.

denda quoque ab his locis imbellis multitudo, quæ animos adimere militi solet, & non minimam commeatus partem fructu nullo absumere. A

Bene Armari militem oportet.

Dabit etiam operam: vt cum in omni acie & loco benè miles armatus prodeat, tum in regnorum propugnaculis maximè: benè enim armati beneque compositi pauci pluribus inermibus incompositis, & imparatis & inassuetis ad arma potiores sunt.

De Legibus. Cap. VIII.

VT aliquid compendiosè ad nostrum prouentum de Romanorum Legibus quoque proponatur, ne susceptо muneri omnino defuisse videamur; de earum origine leuiter aliquid attingemus; cæterum de particulari legum perscrutatione copiosè congesta in Iustiniani Imp. pandectis Lector aduertet: dummodo rigida legum perscrutatio non recipiatur; inquit enim Menander apud Stobæum in Florilegio tit. 44. B

Lex res egregia est: at qui nimium respicit
Leges, calumniantis personam induit.

Optima ergo omnium atque æquissima naturæ Lex est; quæ tum nihil cuiquam deesse, tum ea quæ quisque habet æterna iubet esse: nam quemadmodum cuique animantium generi tributa ad vsum ac victum sunt particularia quædam, vt diuersi generis animantibus nihil denegetur: nempe alitibus aer, mare piscibus, quadrupedibus terra, certa cuique animanti sedes ac naturale domicilium: omnia tamen omnibus communia sunt. Cuius ad similitudinem propè humanæ leges accedunt, & laudabilior ea vitæ ratio est quam hominum generi illæ præscribunt: neque ailud exemplum spectarunt, qui ciuitates suas optimis & saluberrimis legibus temperarunt, inquit namque Euripides apud Stobæum tit. 44.

Vtilius Vrbi legibus nihil est bonis,
Per quas potens, pauperque tantumdem ferunt, C
Aequalitatis arbitro libramine:
Vincitque fretus iure maiorem minor.

Celebrantur præter cæteras Lacedæmoniorum leges à Licurgo latæ; Atheniensium à Solone; commemorantur & illæ, quas Locrensibus Zeleucus, Thurijs Charondas, Getis Zamaxis; Laudat etiam Cretensium leges Plato Carthaginensium Isocrates: Romanas verò Polybius anteponere omnibus non dubitat: cum hæ ab ijs, qui cæteris hominibus ingenio ac sapientia præstiterunt, summopere laudatæ, prædicatæque sint. Quare prudenter idem Polybius iudicat, quod duabus potentissimis ciuitatibus Carthagine & Roma, multorum annorum bello & Imperio decertantibus, ad extremum succubuisse Carthaginem, & victam conditiones accepisse, ob eam maximè causam putat, quod quo tempore inter eas incidit contentio; tum & Carthagine multo quam antea negligentius, & Romæ multò quam vnquam diligentius leges colebantur: nihil enim sine iure perpetuum est. D

Videndum ergo quid sit Iustitia, quid Ius: vnde dicatur: & quot sint eius positiones. *Iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens.* A iustitia iusappellatur, sicut filia à matre. Est enim ius ars boni, & æqui, cuius meritò quis nos Sacerdotes appellat, ideò sacra iura ministrantes.

Duplex est ius, Publicum & Priuatum. Publicum spectat ad statum Reipublicæ principaliter: Priuatum ad singulorum vtilitatem. Priuatum ius triplex est. Naturale, quod natura omnia animalia docuit: Gentium, quod apud omnes gentes æqualiter obseruatur: Ciuile, quod vnaquæque Ciuitas sibi constituit. Ius ciuile duplex est, scriptum, quod consistit in sex partibus Lege, Plebiscito, Senatus consulto, Principum placito, Prætorum edicto, &

in

A in Prudentum responso. Non scriptum ius est, quod vsus approbauit.

Origo omnis iuris in Ciuitate Romana ex lege 12. Tab. sumpsit exordium, Initio enim Ciuitatis Romanæ Populus sine certa lege, manu solius Regis gubernabatur. Aucta siquidem Ciuitate Romana, Romulus Populum in triginta partes diuisit, quas partes Curias appellauit, quia tunc Reipublicæ curam gerebant, per quas leges quasdam Curiatas ad Populum tulit. Tulerunt & sequentes Reges: quas omnes Sextus Papyrius vno libro conscripsit: & ab eo appellatum ius Papyrianum: deinde expulsis Regibus propter violatam Lucretiam, omnes leges exoleuerunt; in desuetudinemque abierunt: & Populus Romanus cœpit quasi viginti annis magis consuetudine, quam lege vti. Postea ne id diutius fieret, constituti sunt publica auctoritate decemuiri, per quos peterentur leges à Græcis Ciuitatibus Athenienſium & Lacedæmoniorum, vt dixit textus Instit. de Iure natural. §. & non ineleganter; quorum nomina ponuntur. Dist. 7. cap. 2. Has leges in tab. æneis scriptas, pro rostris posuerunt, datumque est eisdem decemuiris vno anno ius prædictas le-

B ges corrigere, & si opus esset, interpretari: qui animaduertentes aliquid deesse primis legibus, alias duas eisdem tabulas adiecerunt: & ita ex accidenti appellatæ sunt leges 12. tab.

Origo Iuris ciuilis.

Leges XII. Tab.

His legibus latis, cœpit Interpretatio prudentum desiderari, quæ disputatio prudentum communi nomine appellatur ius ciuile. Ex his legibus eodem tempore actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quæ pars iuris legis actiones, idest legitimæ actiones appellantur. Ex his fluere cœpit ius ciuile: ex ijsdem legibus actiones compositæ sunt.

Prudentum responsa.

Augescente Ciuitate euenit, vt plebs in discordiam cum Patribus veniret, & secederet in montem Auentinum, sibique iura constitueret, quæ Plebiscita vocantur, & *Legem specie constituendi interesset*, potestas autem esset eadem.

Plebiscita.

Deinde ob difficilem congregationem Populi & plebis, cura Reipublicæ ad Senatum deducta est, qui se cœpit interponere, idque ius appellabatur

C Senatusconsultum.

Senatus Consulta.

Eodem tempore Magistratus vel Prætores iura reddebant proponentes edicta vt quisque sciat, de qua re dicturi essent, seque præmuniret, quæ edicta Prætoris, vel ius honorarium appellantur, quia ab honore Prætoris venerat.

Prætoris edicta.

Nouissimè euenit, vt necesse esset Reipublicæ per vnum consuli: igitur constituto Principe, data est ei potestas, vt quod constituisset, ratum esset: quæ Principalis constitutio vel Principis placitum appellatur. Et melius ab vno solo quam à multitudine id præstatur: Aristot. Rhetor. primo his verbis. *Quia vnum nancisci, & paucos facilius est, quam multos, qui rectè sentiant; & possint leges condere, & ius constituere.*

Principis Placitum.

Lex est quod Populus Romanus Senatorio Magistratu, veluti Consule, constituebat. Vel lex est, cui omnes homines decet obedire. Legis virtus hæc est, Imperare, Vetare, Permittere, Punire. Senatusconsultum est, quod Senatus iubet atque constituit. Non enim ambigitur: Senatum ius facere posse: hinc Vellianum, Macedonianum, & alia multa.

D Consuetudo est ius non scriptum, quod pro lege seruatur, cum deficit lex. prima Dist. cap. consuetudo. Nam diuturni mores consensu vtentium approbati legem imitantur. Instit. de Iure natur. §. Ex non scripto. Et est consuetudo optima legum interpres L. si de interpretatione eodem tit.

Consuetudo.

Quod Principi placet, legis habet vigorem; quicquid enim Imperator per epistolam statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit: legem esse constat. Istæ leges appellantur Constitutiones, vt voluit Euripides apud Stobæum tit. 44.

Constitutio.

Aequum est malos
Melioribus parere, & imperium pati.

Et quædam leges sunt generales, quæ sine dubio omnes ligant. Quædam Personales, quæ nec ad exemplum trahuntur: quia quod Princeps alicui ob merita indulsit, vel pœnam irrogauit, vel alicui sine exemplo subuenit, personam non egreditur; & illud appellatur Priuilegium, quasi priuata lex. A

Consideratio. Attigimus satis pro nostro instituto opere de scriptarum Romanarum legum origine; quia prius non scribebantur eiusmodi, vel alia lex; licet celebrentur columnæ duæ à filijs Seth filij Adam erectæ lateritia & lapidea, quibus artes inscriptæ essent, quas ipsi inuenissent aduersus incendium & diluuium, quorum posteriorem in Syria testatur suo tempore extitisse Ioseph. 1. Antiquitat. cap. 3. in fin. Tamen ab V. C. ad annum vsque trecentesimum sine legibus viuebat Populus Romanus, quod ancipiti bello distractus esset; Liuius lib. primo & 3. & in l. 2. de Orig. iur. Postea Decemuiri legum condendarum causa creati sunt, qui Athenis reuersi, leges 12. Tab. in foro proposuerunt, in ære incisas. Halicarn. Diodor. Liuius; cuius æris materia fuit apud Græcos, Latinosque ad insculpendas res maioris momenti, vt leges, fœdera, edicta, priuilegia, &c. quæ in templis etiam reponebantur (sicut Mosaicæ tabulæ in arca sacratiore tabernaculi, templiue) vt demonstrat Rychquius de Capitol. Rom. cap. 30. Pro ære has causas affert Lorinus in Deuteronom. cap. 4. vers. 13. ante finem. Vt intelligantur leges ab omnibus quemadmodum illius metalli tinnitus clarissimus est, ex quo proinde tubæ campanæque: vt omnes nutriant; sicut ære fit omnium quibus nutrimur æstimatio: vt abstergat omnia vitia, ad eum modum quo æs adusta rodit & incidit. purgat; renititur putredini; denique ad quamdam perennitatem. B

Leges primum in ære & quare?

Decalogum quare in tabulis lapideis. Vnde proponitur quæstio: Quare Deus conscripserit Decalogum potius in lapideas, quam in ligneas, aut papyraceas tabulas. Sed rectè post Lippomanum respondet Nouarinus in cap. 31. Exod. num. 416 in fin. *Voluit Deus his saxeis tabulis significare stabilitatem, & firmitudinem legis suæ; vt enim gentes incidebant leges suas in æs, quo significarent eas debere esse inuiolatas; ita Deus insculpsit Decalogum suum in lapides, vt declararet se potius cœlum & terram aboliturum, quam Decalogum suum.* C

Lex Dei possibilis Obmutescant quæso impii Lutherus, Caluinus, & alij nouatores, cum dicunt: Dei legem in tabulis lapideis scriptam, propter eius duritiam, impossibile in hac carne eiusdem consequi implementum: maximè in dilectione eiusdem Dei; vt in primo Decalogi præcepto. Quoniam respondetur non posse solum diligi Deum in toto corde & anima, vt in cap. 30. Deuter. vers. 6. sed posse etiam mandata seruari ab his qui diligunt Deum, vt apud Ioan. capit. 14. *Qui habet mandata mea & seruat ea; ille est, qui diligit me.* Et cognoscuntur esse discipuli Christi, ex eo quod dilectionem habent adinuicem propter Deum, vt idem Ioan. cap. 13. ibi: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Quamuis porrò minus perfecta sit dilectio in hac, quam in alia vita: tam perfecta tamen esse in hac potest, vt præcepto implendo sufficiat, ad verè denominandum Christi discipulum, amicumque immo & perfectum, vt Abrahæ dixit Deus in princ. cap. 17. Genes. ibi *Ambula coram me, & esto perfectus.* Et apud Matth. cap. 5. in fin. inquit Christus: *Estote ergo vos perfecti sicut & Pater meus perfectus est.* Dauid testatur in toto se corde exquisiuisse Deum in Psalm. 118. de ipsoque scribitur testimonio Dei, quod eum sit secutus in toto corde, custodiens mandata eius, facienq; quod placitum est in conspectu eius; vt in 3. Reg capit 14. vers. 8. quodque fuerit secundum cor illius, vt in Act. cap. 13. vers. 22. Vt omittam Iosiam 4. Reg. cap. 23 vers. 25. Aza. 2. Paralip. cap. 15. vers. 17. Iosue: in lib. Iosue c. 11. vers. 15. & parentes Ioannis. Luc. c. 1. vers. 6. Possumus quæ dictæ sunt, cõfimare verbis Christi, Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* D

Quod

A Quod si regnum Dei ex præceptis seruatis: quomodo prætenditur impossibilis eorumdem obseruatio? Ratiocinatur autem August. serm. 191. de tempor. quod non præciperet, qui bonus ac iustus est Deus, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus: talia namque præcipiens homo iniquus haberetur, & de Deo talia concipi impium esset. Eamdemque opinionem de possibilitate & facilitate præceptorum Dei probat, post plurimas Patrum auctoritates, & rationes testatur Lorinus in cap. 30. Deuter. vers. 6. ante fin. & vers. 14. col. 2. & seq.

De Militia. Cap. IX.

PLura recensuimus, quæ priscorum Romanorum Politiam respiciebant. Primo circa Religionem iam vidimus, de Sacerdotijs: inde de Comitijs, Magistratibus, & Legibus: modo de Militia, quæ ad Politiam quoq; pertinet, B & cum satis diffusum sit hoc thema, longum requireret volumen: pauca de hac Militia attingentes iuxta Romanorum institutum, muneri nostro satisfeciisse censebimus.

De hac inquit Tullius: *Rei Militaris virtus præstat cæteris omnibus: hæc nomen populo Romano, hæc huic Vrbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic Imperio docuit.* Aliqua Militi & Duci de ea præscribere intendentes, fortia potius Romanorum facta, quam verba docebunt: & præter supra relata à nobis lib. 1. capit. 2. de eorundem exercituum dispositione & ordine.

Hoc tamen de Milite dici potest, studium omne in armis & militaribus equis, non in scortis & conuiuijs extitisse. Somnum saxa excipiebant, campus sudorem bibebat; etiam in pace labore & incommodis bellum pati discebat, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo; vt quanto plus in exercitationibus etiam in alta pace laborasset, tanto plus de C victoria speraret: exercitatio etenim plurimum valet, & molliora membra laboribus obdurescunt, ac callum quemdam per incommoda induunt; sed multo hic opus sudore, vt labore consequaris, quod natura largita non est: nec vno impetu obdurandum corpus. Incuruas arbores lento igne & frequenti inflexu in rectum deducas: vim ij adhibeas, franges, non flectes: eadem infirmando corpore militi eueniunt; ne dum bella ingruunt, ignauo assuetus otio, dura refugiat. Plurimum in omni militarium exercitationum genere valuere Romani: hinc traditum à scriptoribus in ardua & longa contra Cimbros pugna nullum sudantem, nullum Marianum militem suspirantem visum: priores exercitationes corpora indurauerant, sudorem deterserant. Hinc optimus miles ille est, quem non adduxit molle & pingue solum, sed saxa, montiumq; asperitas, aut dura tellus, & retro sterilis, ac non nisi duris ligonibus, & sudoribus fœcundata: è duro nimirum fortior miles venit, ignauus è molli; cum ferè naturam loci corpora sortiantur. *Perpetua Militiæ Exercitatio.*

Assuescat deinde miles audire Præpositos, nosse ordines, intelligere oc- *Obedire militum est.*
D casiones, differre impetus fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare; plus in Duce, quam in se reliquoque exercitu reponere, maximumque certamen in gloria statuere. Prima militis laus est parere; & imperata exequi: Ducis verò munus est consulendo, prouidendo, cunctando victoriam suis parare.

Animis maximè & viribus bellicæ res, non militum numero peragantur; *Animis & viribus non militum numero.* industriam omnem in delectu Dux ponat. Veterum Romanorum nos exempla doceant. Lucullus perexigua manu tribus prælijs sexaginta supra trecenta millia trucidauit, ingentesque prælio quarto Mithridatis ac Tigranis duorum potentissimorum Regum exercitus deleuit, terra marique victor; vt

sint

sint, qui scribant, peditum millibus duodecim, equitum non totis millibus duobus trecenta armatorum millia fudisse. Paria quoque in Pompeio reperimus: in Lusitanis, ac Hispanis, in Oriente & Occidente etiam maiora: robore & animis, non numero metiendus miles. A

Miles variarum Nationum.

Variarum nationum è gente varia militibus Romani vsi feliciter; Cæsar ante alios, quem secuti alij Romani Impp. Hannibal etiam Hispano & Gallo milite robur sustinuit Romanorum; cum Carthaginenses ad prædam potius quam ad pugnam videretur seruasse. Iam tanta bella à Romanis in Germania, Anglia, Belgio, Orbeque toto peracta externo ferè milite: hinc auxilia illis & auxiliares copiæ: Et consultum illis videbatur, quam oppugnabant gentem, in se mutuo armare; æmulationem verò gentium diuersitas prouocabat; cum pro suæ quisque gentis gloria fortiter profutura æmulatione dimicaret; quam accendere etiam verbis Cæsar, Drusus, Germanicus, Agricola, alijq; consueuerunt.

Cauendum tamen ne miles externus validior sit, nec numero tuum vincat: & sanè tunc beneuolentia, præmijs, fiduciæ ostentatione arctius sæpè colligari militem externum quam domesticum; docent magnus Alexander, Hannibal, Cæsar, Pompeius & alij. B

Obseruanda militi.

Obseruabit miles diligenter magnorum Ducum consilia, res gestas, militaria stratagemata, audaces conatus, infelices, felices, præmeditatos, inopinatos successus: gentium dein inter quas versatur mores, ingenium, locorũ naturam, fluminũ, maris, & reliquorum omnium: hostium molitiones, animos, dolos, prudentiam, potentiam, & opes: quibus maximè rebus hostis capiatur: simplicis ingenij an fallacis sit: in crudelitatem an in misericordiã pronior: duro sæuoq; ingenio, an miti & facili: an pecuniarum & munerum auidus sit, prodigat sua an aliena concupiscat, & rapiat: singularum denique virtutum vitiorumque hostilium curiosior indagator sit. Certus magnam ab hac scientia & benè gerendæ rei ac victoriæ partem pendere, quorum ignoratio florentissimis regnis ingentia damna perperisse constat.

Otium non permittendum.

Nullum ab armis seù laboribus otium Dux suis permittat: notum illud Catonis: *Inertia & torpedo plus detrimenti affert, quam exercitatio.* Et illud Vopisci in Probo. *Numquam militem otiosum perpessus est, dicens annonam gratuitam militem non debere comedere.* Etiam in summa pace sudare, & periclitari doceat: deest hostis non deerit vigilanti in omnem fortunam laborum materies; armabit in socios, & hostili inter contubernales velitatione, quid timere, quid fugere, quid prosequi, quid impetere, ferire, præterire in hoste debeant, docebit; quando referre pedem, quando inferre; quomodo concurrere, ictum vitare, arma tollere, deprimere, mutuo tutari, animare lassatos, opportunum pugnæ locum præoccupare, fallere etiam & circumuenire hostem, fugam nonnumquam simulare, vt hostiles soluantur ordines, insidias incautis struere, terrorem concitare: qua etiam arte peditatus se aduersum equitatum, paucique aduersum confertam turbam tueantur. Ipse in his Dux spectator, laudator, præmiator erit: laudabit strenuos, segnes plus exemplo quam verbis incitabit, magis tamen vitia, quam virtutes dissimulabit. Venerationem deinde apud suos sibi paret: ac cum socius ipse laborum ac periculorum sit; stet tamen sua Duci veneratio, nec quicquam committat, quo suorum contemptum patiatur. Prætereuntis exemplum Ducis apud Vopiscum vide in Aureliano ibi: *Nullum vnquam diem prætermisit; quamuis festum quamuis vacantem, quo non se pilo, & sagittis, cæterisque armorum exerceret officijs.* Et in Traiano Cassius. *Pedibus ferè ingrediebatur, quoties flumina transeunda haberet, ipse auidus pedibus sicut miles traijciebat.* C D

Voluptas qualis.

Cum otium militi sit vitandum, ne concidat animis, ne ad periculorum nomen expallescat, ne langueſcant membra solis laboribus roboranda; ita & aliquam voluptatem concedendam, quam præmia comitentur, telorum

iactu,

A iactu, luctatione, cursu, amica velitatione. Factum à Pompeio & Traiano. Adde natationem, quæ nec Augustus erubuit Nepotes, nec Cato filium docere: neque enim semper pontes, factum à Cæsare in Aegypto, ab Alexandro magno sæpè.

Præmia benemeritis.

Præmijs fortia suorum facta Dux decoret. Factum id à Romanis & Græcis: Hinc illæ ciuicæ coronæ, murales, obsidionales, nauales, aureæ torques, armillæ, hastæ, equi, agri, pluraque huiusmodi, quæ plurimum animum addebant; ac etiam in hostile ferrum & mortem cogebant: vt eadem coniugibus & filijs, post mortem illorum viuentibus, ad ardua quæque maximis animis intrepidè obeunda monumentum essent.

Pœna ignauos.

Pœnam & ignominiam ignauis quoque irrogabant Romani. Factum à Senatu, cum captiuos vltro à Pyrrho donatos recepisset: decreuit enim vt ex ijs, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur: recursum verò ijs ad pristinum militiæ ordinem proposuit, si quis bina spolia ex hostibus retulisset. Sed &
B cum Hannibal sex millibus Romanorum captiuorum redimendorum potestatem fecisset, conditionem spreuit: *memor tantam multitudinem* armatorum iuuenum, si honestè mori voluissent, turpiter capi non potuisse. Validum remedium ad ignauiam reprimendam, animos dandos; ita medici grauiores morbos asperis remedijs curant, etiam ignibus & ferro. Errores tamen militares vniuersim non acerbius corrigebant Romani: Prudenter Cerealis, Scipio, Otho, Germanicus paucorum pœna Reip. consuluerunt; pluresq; alij feliciter semper. In priuatis tamen delictis seuerum potius se præbeat: factum à Tiberio, qui militem quod pauonem sustulisset, capite puniuit; & Pescennio, quiob vnius gallinæ direptionem, decem commanipulares, qui raptam ab vno comederant, securi percuti iussit, teste Spartiano. Impunita tamen scelera Dux non relinquet, ne indulgentia in exemplum procedat: nec seueritate modum excedet; bonitate maximè præmijsque vincendus, & exstimulandus est miles.

Ardor temperandus.

C Temperabit etiam nimium ardorem suorum Ductor: *laudabant animos* Romani, non probabant furores. Cæcus enim furor est; in inimicum ferrum ferarum more improuidus ruit, dum non tam quod pati possit, quam quod inferat malum considerat: Scipio, Cæsar, Aemilius suorum imprudentes ardores mora temperabant.

Commoto exercitui non se opponat.

Si inciderit in commotam militarem multitudinem, nunquam se toto corpore opponet; nec imitabitur fatuos naucleros & inexpertos maris, qui ventis & fluctibus contra eunt, & irata in caput suum exasperant maria obnitendo; sed peritorum potius nautarum more, declinabit fluctus, & sæuientium ventorum rabiem, & cum prora non possit, lateribus nauigabit; perq; prudentes circumductiones cautus portum petet. Imitabiturque Menenium Agrippam, non Posthumium lapidibus obrutum; non Voleronem, sub quo fracti consulares fasces. Cedet proinde ferocientibus, & mitigabit mollibus minas: non mitescunt mutua collisione lapides, flammas euomunt, & mutuo illisu franguntur. Aliquid etiam tempori largiendum, non raro morò sola
D feritas mitescit. In ipsa commotione, cum nullam furor rationem admittit, simulatione opus est, donec remiserint se illi venti & fluctus.

Hostilia consilia indaganda.

Hostilium consiliorum serius indagator sit. Plus sæpè ad victoriam fuit, conscium inimicorum consiliorum fuisse, quam præualidum duxisse exercitum. Starent regna & respublicæ, si hostilia studia, & molitiones cognitæ *fuissent: non sciuisse perijsse fuit*; nec quicquam facilius quam præscita auertere mala, & malis occurrere venientibus: nihil difficilius quam ignoratis mederi. Ita in medico, sciuisse ægritudinem, propè superasse est: perimit qui ignorat: quod & in medico, hoc in Republica, & exercitu. Profundat proinde in hanc rem pecuniam, quisquis magna sperat: quæcunque aula aurum

rum admittit, proditrix consiliorum domini sui est. Quanti verò referat hostilium consilia nosse, ab Epaminonda habemus, cuius illud est: *Nihil in Duce laudabilius, quam hostilia consilia nosse.* A

Non contemnendus Hostis.

Nunquam hostem quis comtemnat: contemptus neglectum parit; inde clades, & pereunt regna: contempsisse, arma subministrasse, animos exacuisse est. Quid mollius stillicidio? & à tam molli elemento saxa exeduntur, & rupes: eadem contingunt florentissimis & validissimis regnis, quæ Orbi fabula facta in cineres redegerunt: quantas flammas sæpè dedit scintilla contempta. Deteriora à contempto hoste euenerunt. Noli robori tuo nimium fidere, aut hosti diffidere: tuta etiam time: timor prudentiam acuit, & rationes subministrat robori, & moderatur vires, ne belluarum more in nocitura ruant. Co gita tecum tacitus quidquid euenire potest: præuidisse enim, propè vicisse est.

Hostibus fugientibus laxanda via.

Hostibus vero fugientibus laxandam viam, pontemq; sternendum aureum Scipio monet. Factum hoc à Cæsare contra Tenctheros & Germanos, ab Antigono contra Aetulos, à Themistocle contra Xerxem: cuius præceptum est, non esse fortiter instandum fugientibus, quo facilius alias fugerent. Ostendit exemplo hoc suo, L. Martius, qui perexigua desperabunda manu duos Carthaginensium fudit exercitus, quibus paulò ante duæ consulares Romanæ acies impares fuerant. Pro animo nimirum & ferro desperatio est: exemplum in Manlio habemus, qui cum ad omnes portas oppositio milite viam hostibus clausisset, in rabiem magis quam in audaciam Thuscos accendit; sic dum via fugæ Volscis clausa, magna Romanis illata clades, Consule & Dictatore saucio. Adeo ipsam ignauiam necessitas acuit; & fere desperatio benè gerendæ rei caula est. B

Apparatus belli.

Apparatum verò bellicum ante bella industria magna paret, commeatumque omnem disponat, ne rerum necessariarum inopia exercitus laboret. Prima proinde Ductoris cura sit, ad ea loca suos deducere, in quibus certa commeatus spes affulgeat, quam nec intercludere hostis possit, nec perdere, cui rei opportuna loca quærenda sunt: cauendum serio ne rerum inopia pressus, iniquo loco, & numero inferior in pugnam trahatur. Laudati in hoc genere Marius, Scipio, Cæsar, & Pompeius ante omnes: vicerat ante Pharsalicam commeatus inopia Cæsarem, si vincere à suis permissus fuisset: dum tribuerunt, quod erat prudentiæ, socordiæ; & ipse non suo sed suorum pugnauit impulsu: victus à Cæsaris exercitu est, cui rerum propè omnium egestas animos addiderat. C

Hostilium locorum Cognitio.

Fuit hoc magnorum Imperatorum, vt locorum, fluminum, montium, viarum, nemorum, rerumque aliarum omnium cognitionem haberent, neue hostilia à tergo propugnacula intacta hosti relinquerent intuta receptui, incommoda commeatui, impedimento auxilijs submittendis, nuntijs destinandis. Quare vt securitati exercitus per omnia consulerent; nihil hostile post se patiebantur, memores magna ex his damna non semel data: Damnat in hoc Varum, & Vitellium Tacitus, de Cæsare vero illud Suetonij est: *Exercitum neque per insidiosa itinera duxit vmquam, nisi perspeculatus locorum situs.* D

Locus receptui designandus.

Vt certus aliquis locus receptui commodus, ac commeatui opportunus; obseruatum à Ducibus, Cæsar: *Nouiodunum erat oppidum Aeduorum ad ripam Ligeris, opportuno loco positum. Huc Cæsar, omnes obsides Galliæ frumentum, pecuniam publicam, suorum atque exercitus impedimentorum magnam partem contulerat.* Quare firmo illa loca præsidio tenebantur in tutelam.

Itinera speculanda.

Speculetur per peritos, fidosque itinera, per quæ ducendus exercitus, recludat vias, patefaciat aditus, tuta reddat itinera; præoccupet si qui colles: insideat si quæ nemora: nec in angustum se duci aut trahi patiatur. Peccatum in hac re à Posthumo Consule, vnde natæ Caudinæ furcæ.

Hoc

A Hoc etiam à peritissimus traditum, ne hostilem agrum ingressi, copias diuiderent; sed integro exercitus robore in hostem irent. Peccatum in hoc à Cæcinna, qui copias dum per interualla ducit, ab Octauianis cæsus est. Vitellius etiam dum dispergit vires, se & Imperium perdidit: stare poterat, si toto exercitu venienti Vespasiano se opposuisset: diuisit copias, & perijt. Ita ferè flumina in varios deducta alueos minus habent roboris. Coniuncti Nero & Salinator Asdrubalem cum exercitu strauerunt: Brutus & Cassius dum copias diuidunt, infelici errore cadunt: Manilius & Cæpio dum disiungunt exercitus, à Cimbris & Teutonibus vincuntur, qui cum se disiungunt à Mario cæduntur: Pætus etiam dum à Corbulone decedit, funditur. *Copias ne diuidat in hostis agro.*

Perrarò in colloquiũ mutuum Duces exercitus veniant, rarius Reges: non solent congressus illi felices exitus spondere. Ita infortunatus Henrici Castellæ cum Ludouico Vndecimo congressus fuit, Caroli etiam Burgundiæ Ducis cum Frederico Imp. Treueris, Carolique cum Eduardo Angliæ Rege in D. Paulo. Et maior ferè Ducibus, Regibusque admiratio in absentes, B comtemptus in præsentes: cum plerumque absentia miremur, laudemusque non visa; nam in præsentibus facilè aliquid occurrit non laudandum, non venerandum, non amandum, non timendum; vt plurimum verum illud sit: *Minuit præsentia famam*. Ac etiam, *Ex longinquo maiestas*. *Colloquia rarò cum aduersario.*

Neque alterius misericordiæ se exponat militiæ Dux. Factum à Scipione apud Syphacem & Massiniſſam; à Vespasiano cum Agrippam ad Gamelienses mittit; ab Augusto & Antonio, cum se Sex. Pompeio credunt; à Iugurtha, cum se temerè Boccho committit, à quo vinctus, Mario per Syllam traditur; à Ionatha, cum se Triphoni & Ptolemensibus credit. *Misericordiæ alterius non se exponat.*

Periculis se non vltrò & gratuitò exponat, neque in capite suo omnium fortunas, vitamque temerè proijciat: non timidus sed intrepidus sit inter pericula; interritus in arduis, non temerarius; audax dum sua & Reipublicæ salus deposcit: extra quæ non abijciat salutem suam, à qua reliquorum salus pendet. Quod si quæ maior vis coegerit, non dubitet Decios Patrem, & filium imitari; non Cæsarem in Hispania; non Iunium Brutum in Aruntem; C non Codrum Athenienſium Regem, cuius interitu factum ne Athenæ occiderẽt; non Magnum Alexandrum inter pericula, quam pocula hilariorem; non Leonidam apud Thermopylas pro patria stantem, occumbentem, suosq; trecentos toti Asiæ obiectos, nouo more animantem: *Sic prandete commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi*. Paruerunt tanquam si victoria promissa esset: non Marcellum fortiter in Gallorum Regem apud Padum procurrentem; non Cornelium Cossum in Fidenatium Ducem proruentem, vtrumque victorem; non Scipionem Nasicam, qui vltro se Ducem obtulit Gracchanæ seditioni tollendæ. *Periculis non se obijciat.*

Disciplinæ militaris tenacissimus sit obseruator, nusquam illam impunè infringi patiatur; memor P. Rupilij, qui nec genero pepercit, cuius negligentia Taurominitana arx perierat. C. Cottæ qui P. Aurelium sanguine sibi iunctum virgis cædi iussit, quod eius culpa non castra capta forent: Q. Fuluij Flacci Censoris, qui Fuluium fratrem Senatu mouit, quod legionem cui D præerat, iniussu Consulis domum dimisisset: Posthumij Tuberonis, qui filium sua sponte præsidio progressum, victorem securi percuti iussit: Manlij Torquati, qui filium etiam ignaro Patre Consule prouocatum à Tusculanorum Duce Metio, victorem abripi à Lictore, & mactari imperauit. Seuera hæc sunt: fateor; & tamen si alterutrum deligendum, rigorem magis quam indulgentiam probarem. Nolo seueritatem ire in crudelitatem: non amo Syllas & Marios crudeles, non Manlios & Posthumios in suos supra parentum clementiam seueros: sed neque Mancinos amo & Albinos, quorum indulgentia exercitus in Hispania & Africa luxu & otio perierunt. Mediocritatem amo; magis tamen in seueritatem quam in indulgentiam pronum *Disciplinæ militaris obseruator.*

velim militiæ Ducem: non magna ab illa timeri damna, ab hac maxima poſ- A
ſunt, & debent. Et certè in hominum vitiorumque colluuione ſi mollitiam &
lenitatem admoueris, generioſioribus medicamentis opus, ferro nimirum
& ignibus. Proinde rectè Romanus miles ſic à Vegetio definitur: *Eum eſſe, qui ſub Imperij Romani ſigna iurans in caſtris habitet; ad arma contra hoſtes expedienda ſemper paratum; duritiam pro Imperio perferre, & malum hoſtile manu militari à Republica Romana arcere adſuetum.*

Ordinis cura habenda. Ordinis maximam curam veteres Romani habebant. Quis enim neſciat quantos exercitus leuis etiam ordinum turbatio perdiderit? quam validas verò & numeroſas acies imperitus militaris ordo proſtauerit? Xerxes in Græcia, Cimbri, & Teutones in Italia, Antiochus, Mithridates, Tigranes in Aſia docuerunt.

In inſtruenda acie magnum momentum. Iam in inſtruenda acie quantum momentum ſit, primi omnes Orbis terrarum bellatores, & euentus docuerunt: nihil hic certi quidquam præſcribi poteſt in tanta rerum varietate, tam ſubitis & incogitatis, fortuitiſque B
caſibus. Prudentiæ proinde gubernatoris pleraque hic committenda. Sæpè conſilium gladiatorum more in arena capiendum: exemplis hæc ſuis Cerealis, Germanicus, Fabius, reliquique propè Romanorum docuerunt. Annibal, vt primum Romanorum impetum ſuſciperet, ferociam frangeret, auxilia in capite ſtatuit; pro clypeo & vallo auxilijs vſus: ita omnibus propè in Italia prælijs, Gallico & Hiſpanico ſanguine triumphos ſibi parauit. Nobile Scipionis factum eſt: cum enim cornua ex auxiliaribus conſtituiſſet, mediam aciem è Romanis: pugnæ die ordinem mutauit, in cornibus Romanos iuſſit eſſe, mediam aciem auxiliaribus conceſſit: quæ res victoriæ cauſam dedit; cum ſumma celeritate procurrere iuſſiſſet cornua, tardiuſque reliquos inſequi, factum vt veteranus miles Romanus Carthaginenſium cornua, quæ ex auxiliaribus conſtabant, perrumperent, nec magno exinde negotio mediam veteranorum aciem loco pelleret, cum ex veteri diſciplina auxiliares fere cornua implerent.

Triplicem aciè inſtruere Romanis vſitatum. Romanis vero vſitatiſſimum fuit, triplicem aciem inſtruere; vt mutuo ſuc- C
currerent, laſſiſque ſubducentibus ſe recentes integrique ſuccederent. Factum à pleriſque Imperatoribus. Cæſar etiam in Pharſalico bello quartam inſtruxit aciem, quæ illi victoriam dedit: è validiſſimis quoque certos ſibi non vno prælio Cæſar delegit, tum ad ſubita, & inexpectata pericula propulſanda, tum ad occurſandum hoſti extra ordinem procurrenti.

Equitatus varia diſpoſitio. Equitatus autem, nunc claudebat exercitum tanquam cornibus, nunc vno ſe latere continebat, nunc per aciem diſpergebatur, nunc totus iungebatur, nunc per turmas diuidebatur; vt aut vniuerſus procurreret, aut tarmatim; idque vel pro locorum natura, vel rei euentu, vel hoſtili conſtitutione.

In orbem Romani ſe tutabãtur. Frequentatum deinde à Romanis, maximè in periculis, & frequenti hoſtili equitatu, vt in orbem acti ſe tutarentur. Factum à L. Pompeio contra Perſeum, à militibus Sempronij, à Cæſarianis in Anglia, & contra Labienum in Africa, feliciter plurimum. Cauendum tamen hic ne ab hoſtium multitudine cingaris: fecit Scipio, qui cum in orbem pugnantes Hiſpanos per- D
rumpere non poſſet, exercitum circumduxit: quod facilè illi ob hoſtium paucitatem, non ſine ſuorum ſanguine deleuit.

Opportuna caſtris loca capiẽda munienda. Doceat ſuos Dux opportuna caſtris loca capere, munire: nocte dieque conſilio, ac ſi res poſcit, manibus etiam obnitatur, & armis: cibo aſſueſcat fortuito, laborantibus ſuccurrat, ſtrenuique militis ſimul ac Ducis officia exequatur: occurrat pauentibus, & vbi plurimus labor, & periculum. Dux ipſe & miles conſilio, manu, voce; laudem verò ſtrenuis; inualidis ſolatium; trepidantibus animos; exemplum omnibus oſtendat: nihil deinde apud ſuos remiſſum, nihil vero apud hoſtes tutum patiatur.

Solemne

A Solemne apud Romanos, exercitum fossa, vallo, propugnaculis claudere; ne nudos hostibus obijcerent, tutioresque ab insidijs essent; ac etiam vt laboribus miles assuesceret, ne otio paulatim diffluerent. *Exercitum fossa vallo claudere.*

Si necessitas quacunque causa nata, annonæ, pluuiarum, frigoris, morborum, hostili numerositate: cogat agmen retrocedere; imitetur magnos Duces: paret omnia receptui; animos inde suis addat, consilia tegat: præmia spondeat, suos militari ordine pedem referre cogat, tanquam aliquid meditetur in hostem: caueat verò ne aut præpropera celeritate ordines turbet, metum inijciat; aut nimia lentitudine recipere suos ad tutiora, cum aliter non possit. Exempla desumet à Pompeio Brundisij, à Cæsare apud Dyrrachium, ab Annibale contra Neronem & Fabium, à Mithridate contra Pompeium. Sertorius etiam per varia loca suos dispergit, vt Metello insequendi spem adimat: factum idem à Viriato. Iphicrates obsessus in Thracia plurimis excitatis ignibus hostem fallit, se suosque periculis eximit, incautumque hostilem exercitum à tergo inuadit, cædit, victor ex obsesso B factus. *Prouideat receptui necessaria.*

Fugam etiam non rarò militiæ Duces ostentarunt, vt hostem fallerent, & præsidentem traherent in insidias: factum à Cæsare & Labieno in Cingetorigem; à Parthis in Crassum; à Tomiride in Cyrum; ab Annibale in Minutium, Marcellum, Sempronium, Flaminium. *Fugam aliquando simulabit.*

Temperandus militaris æstus prudentia; cum ferè nimia velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiæ sit: modo lentitudine victoriarum opportuna non negligat; nam cum in celeritate spes omnis posita sit, vt præoccupasse hostem vicisse sit; tum improuida acceleratio spes magnas euertit. In qua re Ducis prudentia magnum momentum habet: qui hic celeritatem, ibi moram inijciet. *Mora & celeritas prudentia regulanda.*

Neque quidquam certi in celeritate & mora præscribi potest: nunc enim celeritatem res deposcit, tarditatem alias. Hac Annibalem Fabius fregit, insolentem victorijs Ducem: illa Nero Asdrubalem, cum se incredibili celeC ritate Salinatori coniunxisset. Romanorum plerique magnum in celeritate momentum posuerunt: Scipio, Sylla, Marius, Pompeius, Cæsar in Germania, Gallia, maximèque post Pharsalicos triumphos, de quo Suet.

Illud etiam obseruatum, vt antequam se vniuersæ pugnæ committerent, hostiles vires leuibus velitationibus tentarent: factum à Cæsare contra Pompeium in campis Pharsalicis, & in Belgio etiam: *Quotidie enim equestribus prælijs, quid hostes virtute possent, & quid nostri auderent, periclitabatur.* Vt suorum nimirum & hostium animos, vires, felicitatem experiretur, antequam acie tota concurreret. *Velitationes tentanda.*

Maturitatem, prouidentiam, consilia amabit: temerarios ausus, vt in nauigando scopulos, vitabit, quisquis se & rempublicam saluam volet, quisquis posteritatis memoriam cogitabit: nec fortuitos quosdam successus temeritate natos felices recensebit, quam infelices numero plures & funestis regnorum internecionibus. Scio magnis Ducibus temerarijs conatibus fortunatos respondisse euentus; fuit hoc felicitatis à Deo concessæ, prudentiæ D non fuit: è millibus forsan vnum aut alterum enumerabis: Cæsarem enumerabis sæuos Adriatici maris fluctus scapha proscindentem; Alexander quoque Oceani ignarus, viæ, loci, fluminum, hostium ignarus, in temeritatem gloria impulsus: felicitas periculo eripuit; quod fortunæ fuit, prudentiæ esse non potuit; vt benè Curtius: *Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit, quoties illum à morte reuocauit? quoties temerè in pericula ruentem perpetua felicitate protexit.* At quis felicitatem hanc sibi promittet? non est temeritas felicitatis mater: est enim certior felicitas illa, quam ratio peperit, fouit, auxit. Sed quamuis prudentiæ non respondeat aliquando feli- *Temeritas diffidenda.*

citas; feret vir prudens, & ratione se solabitur; laudabitque prudentes co- A
natus felicitate sua destituto, damnabit fatuos felicitate sua laudatos: felici-
tas extra nos plurimum est, fortuitorum socia, frequenterque stolidorum
socia conatuum. Temerarios proinde ausus vitabit vir prudens, infortu-
natis magnorum casibus edoctus. Neque magnum est temerarium esse; sto-
lidorum hoc ferè est: magnum est prudentem esse, prouidum, circumspe-
ctum, patientem.

Prudentia Duci necessaria. Prudentia vero omnium virtutum maxima Duci necessaria: magno proin-
de in re bellica delectu vtatur: nec vetera omnia damnet, nec vetera probet
omnia, nec fidem adhibeat omnibus, nec deroget omnibus: matura seriaq;
deliberatione in re omni est opus; vt neque celeritate tanquam flamma se
sua comburat, neque nimia tarditate tanquam frigore & glacie concrescat.
Singula dispiciat hostium vires, animos, pugnandi genus, peritiam, indu-
striam, mores, situs, suorum vires, animos, mores, ingenia, an opibus ca-
piantur, spe, aut metu agantur. Illud etiam seriò cogitauerit, nihil deesse
militi patiatur, singulisque de remedio prospexerit, vt paratus in fortunam B
omnem excubet, minimoque damno aduersa excipiat, ac sustineat: aduer-
sus hostiles insidias mentem paret. fraudesque fraude depellat. Videat ne
ad iniquiora ducatur loca, ne ad commeatu destituta, ad valetudini aduer-
santia, ad palustria aut arentia, ad aquarum inundationibus opportuna.

Stratagemata veterum in Duce probata. Laudata in Duce cõsilia & stratagemata veterum more inuenta. Pulchrum
illud Camilli, qui Senones Gallos imparatos circumuenit, Romam sibi
reddidit, liberam è captiua. Et illud Annibalis, qui in Cannensi pugna pro-
uidit, vt solem & puluerem aduersos haberet; fugam dein simulauit, quo
facilius incautos opprimeret; transfugas emisit, quo improuidos in ardore
pugnæ à tergo cæderet: factum & secuta victoria, & cædes omnium propè
maxima quas Roma tulit. Quis ignorare potest Fabium Maximum, qui salu-
berrimis cunctationibus Annibalis ardorem tepefecit, & fregit; & sola mo-
ra, nullo sanguine, vinci posse docuit. Marius cum in Cimbros exercitum
ducit, Annibalem secutus, artemque Cannarum, primò nebulosum nactus C
diem, vt hosti inopinatus occurreret; tum ventosum vt puluis in ora & ocu-
los ferretur, acie dein conuersa in Orientem; quamquam & arte sua victo-
res exigua manu fusi. Epaminonda vero copioso, submisso equitatu, puluе-
rem excitat, ne videri à Lacedæmonijs posset; inde circumducto exercitu,
cum à fronte expectaretur, à tergo hostem inuasit, & victor redijt. Elegans
illud, cum muliebri veste milites induit, qui cum reliquis mulieribus in hо-
stilem vrbem admissi, portas occuparunt, aditumq; suis dederunt.

Simulatio Duci necessaria. Simulatio magnis Ducibus necessaria, cum certo itinere expectantem
hostem alio aggressi sunt. Factum à Q. Flaminio contra Philippum Mace-
donem, ab Annibale in transitu Alpium. Cæsar verò dum metum simulat,
incautum hostem fiducia sui inuadit: omnibus deinde portis peditem, equi-
temque in non expectantes emisit, & in fugam vertit. Ingeniosum omni-
no fuit Pisistrati factum: *Quæ ceperat nauigia Atheniensi milite compleuit: quæ
facie decepti Megarenses, tanquam suis, & cum successu renauigantibus effusi
obuij, inermes oppressi sunt.* D

Consulto Dux agat. Consulto omnia Dux agat: eosque in primis audiat, quos longa militaris
experientia docuit, quosque ætas ad maturitatem composuit: quique non
sperare tantum, sed & metuere prudenter didicerunt. Calida ingenia &
consilia fugiat: temperata sequatur & secura: nec supra vires audeat, nec
infra illas se abijciat; memor nimis arduis præcipitia adiacere, vilibus con-
temptum: non credat nimium audentibus; & quos non tam animus & au-
dacia, quam fatua quædam opinio sui in nocitura impellit. Nimis semper
carò temeritas auctoribus suis stetit: Varus apud Germanos mihi testis. An-
nibalis stolidum etiam illud, cum nauium suarum rectorem interemit, quem

postea

A poſtea maturiore deliberatione adhibita, rei veritate comperta, abſoluit; dum eius innocentiæ nil præter ſepulcri honorem dare poſſet; abſoluit mortuum non profutura abſolutione, ſera pœnitentia inconſultæ damnationis.

Plures conſilijs adhibendi.

Cum vero conſilio omnia Ducem aggredi expediat; ac etiam ei plures in arduis ſint conſiliarij adhibendi: caueat ne vlli, aut perpaucis ante probati, mentem ſuam aperiat: nocuit non rarò propalaſſe ſecretum: quamuis res ſit periculis plena, damno proxima plures conſilijs admouere; nec ſilentium ſperare prudenter quis valeat ex re non vulganda tot tubis & campanis, quot auribus, & oculis concredita; nihilominus militiæ Dux aperiet primis exercitus ſui ductoribus. Tutiſſimum forſan erit, ſi militiæ Dux plura in deliberationem adducat, ac in vtramque partem ſingu orum momenta excutiat. Aperiunt ſe rerum difficultates colliſionibus ingeniorum, quæ in deliberationem adhibemus; dum ſinguli æmu a quadam iudiciorum velitatione ſua firmare, infirmare aliena conantur: ex pluribus dein
B propoſitis, deliget tacitus apud animum ſuum exequenda militiæ Dux Conſueuerunt etiam magni militiæ Duces vulgarium nonnunquam militum, quos longa ætas, & experientia, & vetus militia docuit, mentem prudenter expiſcari, facilesaudire, nec rarò profutura è veterana mente diſcere. At non ex hoc Dux aliorum conſilij erit alligatus; qui audire licet poſſit, iudicium tamen penes ſe retinebit: neque enim vnius eſt ſingula, aut noſſe, aut medicam tam varijs adhibere manum, aut tot ſimul occurrere malis, totque prouida hoſtium conſilia euertere, dolos retegere, aut anteuertere nocitura, aut ſemper profutura ſuggerere: & ſecurius belli Dux res è multorum conſilio aggredietur, minoreque laborabit inuidia, quiſquis plures in conſilium vocauerit: habebitque amicos, quos habiturus erat aduerſarios. Iam verò vt nuſquam magis, quam in bello dubij exitus ſunt, ac nuſquam magis fortuna ludit; conſultiſſimum omnino Duci ſua cum alijs conſilia conferre: quoniam nemo prudens vnum caput ſuum tot liberis omnium linguis
C obijciet, tot æmulantium & inuidentium iudicijs; eoque magis quod mortalium plerique omnes ab euentu prudentiam metiantur, & ab euentu felici, aut infelici nomen induunt fatui & prudentis.

Exequenda prudenter cogitata.

Prudenter multa inueniſſe nec ſatis: opere exequenda ſunt: etenim prudentia non meditando, ſed faciendo abſoluitur: ſunt non pauci bene dicentes, ſana conſilia ſuggerentes, res momentis ſuis ponderantes, verum à falſo, bonum à malo, vtile & decorum ab inutili & indecoro ſecernentes; in rerum vero executione timidi, dubij, lenti & inconſtantes deteriora ſequuntur, à melioribus deduci ſe facilè patiuntur. Non ſunt hi ad imperia nati, ſed ad conſilia danda meliores. Sunt alij quibus ferè oratio inculta, & aridior, incompoſita partitio; ſed prudens rerum delectus, certa & conſtans executio: noluit Deus vtroque munere vnum, aut non niſi rariſſimè beare: vni plerumque dictionem, prudentiam alteri largitus, felicitatem etiam alteri; ita diſpertit dona ſua, vt varia terrarum & cæli ornamenta ſunt: nec vni agro omnia, nec omnia vni regno;
D mutuis ſcilicet hæc muneribus condecorare voluit; quanquam prudentia Duci, inde felicitas, dictioni verò tertio ſit reponenda loco.

Non cedenda illa executis, qui aliud ſenſit.

Neque illi Dux rem committat, qui in deliberationibus, aut extra illas alterius ſententiæ fuit. Languide talis rem aggredietur, negliget etiam, ne damnare vota ſua videatur; adeoque & gaudebit de infelici euentu, quo ſententiam ſuam firmet: & verò vincere nollet, ne conſilium alienum fortuito ſucceſſu probet.

Denunciatoris quando credendum?

Denunciatoribus non eſſe credendum, monent ſapientes; neque negligenda tamen omnino, quæ denunciantur. Cæſar neglectu ſuo occubuit, cum oblatam chartam funeſto & vltimo die ſuo neglexiſſet, hoſtibuſque quæ il-

acce-

acceperat, obseratam reliquit. Sed & nimia credulitas non minus noxia : A
perierunt hac plurimi. Belisarius Dux bello maximus præpropera Imperatoris credulitate inglorium exitum sortitur. Hosti verò denuncianti, spondentique ne facilè fide: peccatum hic à Ionatha bellatorum maximo, cum se filiosque Mathathiam & Iudam Abobi, & in hoc Ptolemæo credit; cum omnes perierunt.

Proditoribus caute vtendum.

Proditionem laudo, non proditorem: vtere tamen illis, sed cum delectu: nec quidquam illis indicibus aggredere, in quo periclitari de summa rerum possis. In manu etiam tua sit proditor, aut vxor vel liberi, seu saltem amicorum aliquis, in quem sæuire possis, ne impunitum ille dolum ferat. Præmijs verò donandi illi liberali manu, sed parca ante obsequium subministrãda, post illud verò ampla. Consilia tamen illis non facilè credas: fluxa tamen fide & labili tales sunt: vbi spes lucri maioris affulserit, datam fidem fallent: tam diu vero illis vtere quamdiu vtiles, nec vltra. Fuit enim mirabile in Aureliano de Heraclammone proditore: *Ego proditorem amare non potui*, & *libenter tuli, quod eum milites occiderunt; neque enim mihi fidem seruare potuisset, qui patriæ non pepercit.* B

Hilaritas vultus.

Hilaritatem vultus præseferat, comitatem, benignitatem, imitetur magnos in hac re viros, Vespasianum, Titum, Germanicum, Neruam, Augustum, Traianum &c. Vulneribus etiam graues, ægrotosque soletur, laudes ingerat, animos addat, egentesque pecunia iuuet, maxime quos verecundia & pudor à petendo retrahit. Fecit Adrianus Spartiano teste, Plinio Traianus, Lampridio Titus &c.

Eruditio Duci.

Doctus militiæ Dux laudandus. Tales ex priscis Romanis fuere Pompeius, Cæsar, Augustus, Lucullus, Sylla, & pars eorumdem magna, vt quoque Græcorum. Si caruerit eruditione litterarum Dux, nec minus damnandus. Ab aratro vocantur Cincinnatus & Marius, ab agresti tugurio Hostilius, à mercatura Tarquinius Priscus, à famulatu Seruius Tullius. Sit saltem in veterum historicorum lectione aliquanto versatus, profutura discet, gentium mores, ingenia, robora, opes, animos, militarem disciplinam; C
bellorum initia, progressus, finem, varios exitus; regnorum incrementa, interitus, causas; quid dein cuique magnum, inopinatum, fortunatum, infortunatumque acciderit, eorumque causas. Facit breuis lectio quod vix plurimorum annorum fastidiosa experientia; imo omnium ætatum, sæculorumque omnium prudentem experientiam breui compendio à lectione militiæ Dux discet: nec quicquam ferè inopinatum euenire illi poterit.

Castimonia.

Castimonia semper in Duce laudata: immortalem sanè illa laudem omnibus triumphis nobiliorem tribuit Scipioni; qui exquisitissimæ formæ vltro oblatam, cum dote remisit, nec tangere voluit, nec videre tam castis oculis, quam corde & manu. Factum hoc idem ab Alexandro, vel hoc solo nomine Magno, cum Darij vxorem ac filias miræ pulchritudinis benignè habuit, solatus est, vicem indoluit, habuitque vt matrem, vt sorores, nec alio loco. Damnati contra Tarquinij filius, Nero, Caligula, Heliogabalus; & similes. Memorandum etiam, quod Aurelianus Imp. deprehensum aliquando militem hospitis vxorem stuprantem, pedibus distentum alligari iussit ad D
duas arbores, quarum cacumina vi attracta restituendo, corpus discerpserunt.

Liberalitas.

In munificentiam semper sit pronior Dux, quam tenacitatem; quinimo in illo profusio semper tenacitate potior fuit: illa suorum sibi animos parat, hæc auertit: ad audendum illa præmiorum spe accendit, hæc terret, & pro audacia ignauiam parit: vulnera mercedem expectant, præmia sanguis mercatur, quæ à prodiga munifici Ducis manu fortissimus quisque expectat; & ferè vilescit sanguis cum præmia ostentes. Tantum prodiga quædam munificentia Ducis in milite potest: fit quoq; in laudando copiosus, fortior

tamen

A tamen factorum magnitudine. Commendatum illud Germanici apud Tacitum. *Propria pecunia militem iuuit; vtque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere, vulnera intuens; alium spe, alium gloria, cunctos alloquio & cura sibi & prælio firmabat.*

Addicta militi stipendia ex fide numerari curabit; quod vbi fit, puniri delicta possunt: cum contra durum sit, maligne stipendia numerare, & rapinas vindicare: exsoluat quod debet militi Dux, & puniat, nec reluctantes inueniet nocentes, nec damnantes alios: at verò non exsoluere & sæuire, barbariem & seditioni proximum est: præmiare & punire Ducis: punire tantum carnificis: absoluere & punire iudicis est. Vis militarem disciplinam sacrosanctam & intactam? præmia benemerentibus, pœnas delinquentibus, vtrisque consueta debitaque militaria stipendia para: si quis in his tardior, seditionem expectet, & Reipublicæ interitum. *Militaria stipendia soluenda.*

Militaribus seditionibus fortiter Dux occurret; causas illarum anteprouida cura auertat, pullulare semina non permittat; quidquid est iactum B euellat; quidquid natum demetat, aut in herba sua suffocet: magna hic pietas est sæuire, magna nullis securibus parcere: & sanè quidquid in hoc genere crudele, pium; quidquid pium crudele est: cum ex hoc vno capite omnium ferè primorum Orbe toto regnorum funesta excidia nata sint, & insepulta cineribus suis orbis imperia iaceant. Causæ ex his variæ; militaris improbitas, insolentia, bellorum lassitudo, armorum tædium, veterum fastidium, nouorum desiderium, speratæ in turbido opes, honores: Ducum auaritia, indulgentia, ignauia, crudelitas, superbia, luxus, violata fides, aut maritalis thorus: priuati alicuius nimia potentia, gratia, ambitio: locorum asperitas, commeatus inopia, ærarij egestas, maligna stipendiorum solutio. Hisce quippe causis Imperia ferè omnia militares seditiones experta: quantas legimus in Romano Imperio sub Tiberio, Claudio, Vespasiano, Nerua, Commodo, Pertinace, Caracalla, Maximino, Gordiano, Maximo, Philippo, Decio, reliquisque propè omnino omnibus: vt meritò C audeat Liuius: *Aeternas opes esse Romanas, nisi inter semetipsos seditionibus sæuiant: id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna Imperia mortalia essent.* *Seditionibus occurrendum.*

Vt causæ tollantur, & remedia seditionum petantur: Ducis est hoc munus: mutanda enim belli sedes in locorum asperitate; in commeatus inopia prouidus ille cauebit, ne in hanc necessitatem milites compellantur: maligna stipendiorum solutioni occurrendum; neque enim quidquam magis proximum seditioni concitandæ: & dum ærarium exhausit, prædas ex hoste permittat, aut magnis sponsionibus alat. *Remedia seditionum.*

Auertendæ seditioni Ducis liberalitas prodest: si videant milites modicis illum contentum viuere, & leui parabilibus: benignitas etiam comitasque, & vltronea etiam inferiorum militum compellatio.

Sub initium ne seditiones coalescant, danda primum opera; si coaluerint, danda primum opera, vt copiæ diuidantur: cadent tunc illi animis. Et à Dionysio feliciter factum.

D Dein si monita alicuius admittant: grata sint colloquia mollibus referta verbis, culpam minuant, & in paucos delictum conijciant: non leui ad meliora incitamento erunt: factum à Scipione Germanico, Othone & alijs successu felici.

Fortiter se etiam aliquando Dux ipse opponat. Factum à Pompeio, Cæsare, Germanico: sed magno hic opus robore, constantia, fiducia; vt inter ruinas, & ferrum & barbaras voces interritus persistat. Nemo prospero hoc successu faciet, nisi magna illum auctoritas, gratia, aut ingens militaris scientiæ opinio tueatur. Cauendum hic tamen, ne se temere in discrimen Dux conijciat.

Com-

Committendi inter se seditiosi: auroque & sponsionibus grauidi, in mutuum prouocandi ferrum, & mutuam diffidentiam. Magnis propositis præmijs excitandi, qui seditionum auctores ferro, & quacunque re alia sustulerint: quorum ferro seditio extincta ingentibus donandi præmijs. A

Seditione composita nulla militaris muneris prærogatiua seditionum auctores donandi, ne præmia eant in audaciæ exemplum: inuicemque disiungendi, & per varias turmas dispertiendi seditiosi, ne leui causa, præteritorum spe allecti, iungantur animis & armis, qui corporibus iunguntur; vt verò à seiunctis periculi minus; ita à vicinitate improbitas crescit: fœcundiora nimirum malorum semina sunt, bonorum facilius exarescunt.

Pacem in bello amet.

Amet Dux in bello pacem, & per arma illam quærat. Fugienti hosti viam sternat; & aperiat; nam ab vltima desperatione præda nulla, laus exigua, sperandæ, sanguisq; mutuo dandus, isq; fortissimi cuiusq; & manu prõtissimi: à desperatione namq; in furorem itur: furor vires & arma ministrat, ac tigriũ more cœco impetu ruit in ferrum; nec quid patiatur intuetur. Sed neq; carere omni hoste veteres voluerunt; cum hostili metu Ciues in officio cõtineri B arbitrarentur; at vbi formido illa mentibus decessit, lasciuia & superbia, quas fecundæ res amant, animos incessunt: & robore suo in nimis alta pace & diuturna, regnum destituitur: vbi enim vniuersim cessant arma, ad ignominiam itur, & pro robore mollities succedit.

Prima cura pietatis.

Primaria tandem in Duce, & in milite Dei cura sit. Nulla sit sine Numine pugna: ante signa Deus, & in ipsis: ante pugnam delictorum pœnitudo; ne mors improuidum occupet; ne in medio scelere succidat vitam, ne anteuertat dolorem; & non profuturæ pœnitentiæ locum relinquat. Scio impari corporis, vulnerumque, ac mortis periculo bonos & improbos versari; sed impari exitu boni, & mali finiunt hanc vitam: aut vt verius dicam, alia, atque alia æternitate vitam hanc claudunt. Vna namque pietas omni ætate, & gente triumphos nobilissimos de impijs hostibus duxit. Nimis orbi nota Mosis pietas, nimis Iosue: nimis veræ pietatis triumphi in Amalecitas, & Amorrhæos, & Ierichuntina mœnia tubarum sonitu sepulta, non C aliud loquuntur. Iordanis aquæ, scissa maria, penduli fluctus Israeli sunt in salutem, Aegypto in interitũ; nimis etiam in Dauide noti Moabitæ, Ammonitæ, Syri, Philistæi; in Ezechia Sennacherib; in Gedeone Madiam Gorgias, Lysias, Nicanor, Apollonius. Nec quis in Christianis potest ignorare Constantinum in Mazentio; Theodosium in Eugenio & Maximino; Heraclium in Cosroe; Belisarium in Vvandalis & Persis; Narsetem in Totila; & alios plurimos. Fuit his omnibus Pietas & in Deum fiducia; nec ferrum triumphos dedit: magnorum horum Ducum hostibus necem contulit ferrum pietate exarmatum: animos certè Ducibus illis vna Pietas dedit & armauit, audere docuit, fidere, vincere; quamuis numero, robore, militari peritia, ferocia, prosperrimarum rerum felici successu, locorum opportunitate, commeatu, bellico apparatu longè superiores essent hostes; sola vero pietate inferiores. Discat ab illis militiæ Dux: quanta sperare possit, quanta Cælo debeat, & imitetur pietatem, qui pares ab hostibus victorias amat: sequentur paria vota, mores, preces, effectus pares. Idem Deus est, qui dedit; eadem pietas sit, D quæ impetret.

Consideratio.

Hæc dixi de Militia contra visibiles hostes; vt apprehendamus etiam contra inuisibiles hostes militare; nempè Diabolum, Mundum, & Carnem: *Militia namque est vita hominis super terram.*

Scripserunt in hoc militiæ argumento plurimi ex veteribus & recentioribus auctoribus; inter quos annis præteritis eruditissimè de Studio Militari scripsit *Gabriel Naudeus Parisiensis*, qui præter præclara & varia opera, maximo litterariæ Reipublicæ beneficio per ipsum in lucem edita; summo

quo-

A quoque labore ex remotissimis etiam Orbis partibus innumera librorum volumina congessit ; & insigniorem totius Galliæ Bibliothecam dispo-suit : iussu & impensis Eminentiss. Card. Mazarini, in cujus aula Bibliothecarij officio ille fungitur.

Quomodo Romana Vrbs tantum excreuerit? Cap. X.

QVoniam Res sacras, Politiam, & Militiam Romanorum perlustrauimus; quomodo Romana Vrbs tantum excreuerit, modo considerabimus.

Veteres Romani Vrbis suæ gloriæ auidissimi, semper omnibus neruis in hoc incubuere, vt æternam posteris patriæ memoriam relinquerent: vnde & pru-
B dentissimè potentia sua vsi referuntur. Nam vt finitimos in Vrbem suam cogerent, astutè consilio inito rebellium oppida funditus euertere: quo pacto Tullus Hostilius Albam celeberrimam vrbem vastauit: Tarquinius Priscus Cornicolo vrbem diuitijs omnibus abundantissimam exitio dedit: Seruius Tullus Pometiam solo æquauit: Libertatis postea tempore Veios Vrbem post decennalem obsidionem fraude, & astutia, non vi occupatam, diruerunt. Itaque priuati Vrbibus, & domicilijs pulsi, proinde sedibus destituti proprijs, ne omnino de salute periclitari cogerentur, Romam pro patria profecti incoluere. Hoc modo excreuit in suis incunabulis Romana Ciuitas, & tam opum quam Ciuium copia inter omnes terrarum vrbes totius machinæ caput extulit.

Deuastatione Vrbium finitimarum.

Idem fermè medium paulo tamen mitius in amplificandæ Vrbis processu obseruarunt ante Romani: in eo, quod Populum deuictum suo imperio iam subiugatum, vel vniuersum in Vrbem receperunt, vel maiorem saltem par-
C tem intra mœnia admiserunt: sic à Romulo Ceninenses, Antennates, Crustumini in Ciuitatem pertracti fuere. Nulla autem gens ciuitatem Romanam adeo auxisse dicitur, quam Sabinorum. Quibus cum cõgressus Romulus post longum & diutinum bellum, pepigit fœdus hac conditione: vt Tatius Sabinorum Rex, cum Populo vniuerso Vrbem ingrederetur, & intra mœnia Vrbis habitaret. Quam conditionem acceptans Tatius, Capitolium & collem Quirinalem pro habitaculo regio elegit. Hanc secutus viam Ancus Martius, Latinos consimili exemplo Politorio, Tellena, & Ficana Vrbibus euocatos, ad Vrbem associauit, montemque Auentinum attribuit.

Aliarum vrbiũ incolas admisit.

Tamberlanes Magnus Sarmacadam vrbem amplissimam mirificè & Populis, & ædificijs, opibusque adauxit; dum opulentiores ex ijs, quos diuersis prælijs deuicerat, illuc sedes suas figere adigebat. Quam rationem obseruantes Ottomanni, cum primum Constantinopoli potirentur, multa familiarum millia ex deuictis vrbibus; earum potissimum, quæ in certis artificijs insigniter excellerent; vtpotè Mahometes secundus Tresibunda; Selimus
D primus Cayro; Solimanus è Tauris; alij aliunde oriundos eò transtulerunt.

Aucta quoque Romana Vrbs ab his, qui Voluptatis gratia societatem habitandi contraxerunt: vt non rarò contigit loci cuiusdam amœnitate homines allecti, viuendi coniunctionem inierint. Amœnitas autem illa, vel per se, ac natura loco inest, vel arte comparata. Ad naturalem atque ingenitam amœnitatem accensentur: purus & incorruptus aer, iucundæ conualles, vmbrosa nemora, idonei ad venandum tractus, amœna fontiũ susurramina, flumina salubria; & si quæ sunt alia, quæ hominis naturam afficiunt & recreant: cuiusmodi visuntur Antiochiæ in Soria, Damasci in Bithynia,

A voluptate inhabitata.

Siuiliæ in Hiſpania, alijſq; locis pluribus. Ad Artificialem locorum amœnitatum referuntur plateæ, ædeſque artificioſè extructæ, theatra, fornices, ſtadia, palæſtræ gladiatoriæ, fontes arte deducti, monumenta, picturæ, pontes, aliaque huiuſmodi, quæ arte potiſſimum conſtant; ſpectantiumque oculos, ac mentes mirè afficiunt. Sic Samum propter templum ibi magnificentiſſimè extructum viſerunt innumera hominum caterua. Alexandria propter Pharos Inſulam, turrimque, quæ ibi viſebatur, arte atquè opere inſigniter extructa, paſſim frequentabatur. Memphin Aegyptiorum vrbem Pyramides in ſummum celebritatis culmen erexerunt. Rhodon gratia viſendæ ingentis Solis ſtatuæ, quæ Coloſſus dicebatur, excurrerunt innumeri. Eorum, qui Babylonem ierunt, contemplatum mœnia à Semiramide extructa, vix putem iniri poſſe numerum. Atque vt paucis omnia dicam; quicquid viſum, ac reliquos hominum ſenſus afficit; adeoq; omnia, in quibus hominum curioſitas acquieſcit, huc referenda veniunt. A

Inter omnes Europæ totius vrbes maximè ab exteris Roma frequentata ſemper fuit: etſi enim hodierna Roma ab Antiqua illa quam maximè diſcrepet, atque ex admirandis ædificijs & ſtructuris nihil hodie ſuperſit præter exiguas reliquias & fragmenta mutilata, ex quibus antiquæ Vrbis ſplendorem, magnificentiamque, & profuſos Imperatorum, principumque ſumptus, opificum diuina ingenia, & induſtriam ſtupere & admirari poſſumus. Certiſſimum tamen eſt, quicunque hanc noſtram Vrbem diligenter & accurate luſtrauerit, ſolertique indagatione notauerit omnia, quæ in ea ſeruantur à viris antiquitatum ſtudioſis; fatebitur, nihil vſquam gentium ſpectari, quod cum Roma poſſit meritò conferri. Atque hæc omnia magis commendari debent, quod præclari Cardinales Eminentiſſimi, Principes, & Ciues nil habeant domi ſuæ, quod non liberaliter peregrinis videndum permittat, tanta humanitate, tanta comitate, vt etiam credere velint, ab eis idem beneficium recipere, quod in eos vltro conferunt: tanta enim in ijs eſt facilitas, vt neminem à ſuis ædibus arceri patiantur, ſed domeſticis ſeuerè iniungunt, vt amicè & comiter omnia communicent poſcentibus, eoſque in cœnacula, hortos, ſecretioraque conclauia admittant; potiſſimum bonarum litterarum ſtudioſos; vt contemplentur, admirentur, & notent quicquid ſpectatu dignum eſt, non ſolum marmora exquiſita, & pretioſa vaſa, ſtatuas etiam ex ære, tabulas, numiſmata, & ſigna gemmis exculta: ſed & minima quæque antiquorum Romanorum fragmenta, ac etiam Aegyptiorum & Chriſtianorum naſcentis Eccleſiæ ſupellectiles, ſeu reliquiæ præbentur viſendæ. Hæc etenim omnia monumentorum & conſuetudinum priſcarum indicia nobis ſunt; magnamque eruditionem litterarum peritis pariunt: de quibus prædictis, necnon variæ arbores, fructus, animalia, & alia petrificata, cum alijs naturæ reconditis ſunt etiam in meo Muſæo ad montis Auentini radices: vt quoque in mea gentilitia domo in Campi Martij regione plurimæ veteres ſtatuæ; ex quibus præcipuè illa Iulij Cæſaris Imp. in vltima ſua ſenectute ab Altrouando in ſuo opere de Statuis Vrbis commendata. Sed permiſſum præterea Peregrinis & exteris in domos Principum, & eruditorum virorum, vt ipſas bibliothecas exactè perluſtrent, libros ex antiqua papyro, membrana, inteſtinis, corticibuſque confectos reuoluant, ac ſeſe contemplatione tam excellentium rerum, ſi fieri poſſet, expleant, & ſatient. Quæ omnia præterire ſatius putaui, cum impoſſibile ſit ſingula annumerare; vel ennumerata explicare & præcipuè lapides pretioſos cælatos & ſignatos capitibus Deorum, Impp. virorũ Illuſtrium, diuerſorũ animalium, herbarum, & arborum, variaq; emblemata continentes; qualia hodie (propter fraudes aliquorum malorum, qui clanculum multa furto turpiſſimo ſubtraxerunt) paucis aliquando monſtrantur, nec aditus præbetur ab aliquibus ad huiuſmodi ſecretiora conclauia. Multique timent ea ignotis communicare, quæ B C D

coniun-

A coniuncta sunt multis statuis, ac picturis, & tabulis nudis & lasciuis: quæ forsan ab aliquibus ecclesiasticis viris propter artificum & operis venustatem & excellentiam solummodo seruantur: Nonnulli autem sunt; qui malignitate deprauati sæculi, post reditum in patriam proteruè suis enumerant & narrant, scriptisque publicant, quæ viderunt; vt inuidiam, dedecus, & contumeliam concitent possessoribus, à quibus comiter & perhumaniter sunt excepti: beneficiorum immemores, ingratitudinem pro gratia referentes. Hæc malignitas & ignorantia excellentium artificum in causa est, cur hodie domibus nobilium aliqui non admittantur, nisi commendatione amicorum id contingat, aut longa familiaritate, & vsu communicationis quotidianæ eos quorum fidelitatem, & ingenium perspectum habent, in Musæa secretiora sua admittant, & amicè communicent, quæ habent preciosa. Hinc fit vt virorum malorum ingratitudo viris bonis sit opprobrio, & damno inæstimabili: impediaturque studium iuuentutis, & comitas, charitasque omnium refrigeretur, ac planè extinguatur.

B Sed ne amplius vagemur; & vnde iam eramus digressi, tandem reuertamur. Magnum momentum ad habitationem Vrbis habuit inhabitantium vtilitas; amoenitas enim nisi habeat adiunctam comitem Lucri, aut emolumenti alicuius fruitionem, nihil æstimatur: proinde hac deficiente, non est quod speret quispiam se multitudine incolarum Vrbem aliquam amplificaturum: siquidem talis hominum collectio non coalescit, nec durat in plurimos annos absque incolarum vtilitate. Quo fit vt non solum ciuitates, quæ vi coactæ primum confluxerunt, verum etiam principatus ac dominationes violenter constitutæ, non diù durent; aut certè accessione ciuium, ac incolarum minimè augeantur: exemplum satis luculentum præbent Tartari, qui Asiam diuersis vicibus hostiliter inuaserunt, Alexander Magnus, Attila, Tamberlanes, Carolus VIII., & Ludouicus XII. Galliæ Reges. Causa enim harum vicissitudinum talis assignatur: quoniam natura nostra coactionis vincula ad habitandum in precisa regione facile disrumpit. Præterea neque sola loci amœnitas tanti est momenti; vt ob eam tantum multitudo hominum coalescat: homo enim ad labores natus est, ac natura aliquid operatur; hinc est vt plures negocioſi quam otioſi vbique reperiantur, laboreque ipsorum fruantur. *Ab vtilitate Vrbis habenda.*

C Vtilitatis autem ratio diuersimoda cum sit: accommodatissima erit ad multitudinem inhabitantium cogendam, atque conciliandā; *Loci situs & opportunitas, soli fertilitas, atque apportandi euehendique commoditas*; Quibus maximè Romanus ager excellit: & nobis infra patebit.

Congruum vt in hac nostra Roma situs aptitudinem consideremus; vbi saluberrimi colles, amœnæ valles, agri feracissimi ad pascua, ad vites, syluæ ad lignandum, eiusdemque situs media Italia; & ob id ad rerum omnium incrementa habilior, vt supra capite 8. libri primi iam vidimus. Sed vt clarius Romuli prudentiam intueamur, in huius Vrbis eligendo situ; ne in lubrico, & instabili fundamento tanta moles locaretur: perspiciamus proposita per Aristotelem 7. Politic capite 5. vbi de Vrbis situ inter cætera opportuna hæc habet: vt ille, *ad terram, & ad mare debeat iacere*: nempè ne nimis distans, nec propinquus sit ad mare: quoniam tali distantia priuatur commodis à nauigatione, ac etiam proximitate subiaceret inimicorum incursionibus. Secundo salubris Aer exoptatur, quo homines continuò recreantur. Tertio Abundantia; nam omnia in se habere & nullius indigere, sufficientis est. Quarto locorum omnium aptitudinem requiri ad aduectionem & deportationem necessariorum. Denique rei militaris peritis asserentibus talem esse oportere, vt ab hostibus quidem non facilè inuadi possit, ciuibus autem facilis sit in aliena egressio, *Desitu Vrbis.*

D Quatenus Vrbs Roma iuxta mentem Aristotelis fuerit situata; refert T. Liuius

uius dec. prima lib 4. his verbis. *Non sine causa Dij, hominesque hunc Vrbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles*; salubris aer demonstratur. *Flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deuehantur*; ecce facultas necessaria aduehendi. *Mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum regionum*; hic dignoscitur vicinitas maris quo ad vtilitatem, & distantia quo ad pericula. *Italiæ medium ad incrementum Vrbis natum vnicè*; quoniam inuasio eius à remotis populis difficilis reddebatur in meditullio Italiæ, Alpibus cinctæ; nec minus illa exposita incursionibus propinquorum Populorum, cum sit vndiq; munita. Deducamus ergo ex præfatis, opportuniorem situm non exoptari in augumentum ædificatæ Ciuitatis (iuxta opinionem Aristotelis) eo, quo nostra Vrbs ROMA extructa reperitur. A

Roma fertilitas.

Causam etiam inter alias non exiguam ciuitatum incrementis præbet terræ fertilitas; quam in agro Romano vigere vidimus etiam supra in capit. 8. Cum enim hominis vita duabus præcipuè rebus sustentetur; victu scilicet, & amictu: & vtriusq; horum æquum ex terra comparetur subsidium, eximium ad hæc emolumentum conferre potest soli fertilitas. Quo autem ipsius terræ fœcundior gleba, eo potior ad nostrum institutum fiet accessio. Cum autem non omnis tellus ferat omnia, ea demum felicissima, atque ad conciliandam accessionem accõmodatissima est ciuitas, quæ copia rerum plurium abundat. Quæ sola causa sæpè permultos mouet, vt patria relicta exteras sedes quærant, vbi rerum omnium affluentia constat atque percipitur. B

Sed neque fertilitas per se & simpliciter ad ciuitatum, Populorumque incrementa satis est. Multæ siquidem sunt regiones, eæque fertilissimæ, quæ tamen oppidorum, incolarumque numero minimè abundant: Sic Pedemontium, quamuis omnibus Italiæ regionibus, frugum, vini, iumentorum, aliorumque esculentorum fertilitate facilè superior sit; incolis tamen minus abundat. In Anglia excepto Londino nulla est ciuitas memorabilis, licet regnum illud omnium rerum copia, atque vbertate abundet. De Gallia idem verum est: sola Parisiorum Vrbs & pomerij amplitudine, & multitudine ciuium plurimum præstat, & alteri Regno non inferior; quantumuis non in vsq; adeo fertili aut commodo solo sita sit; non enim tanta ibi est amœnitas quanta Toureyne vrbe; non tanta rerũ abundãtia, quanta Xantoge aut Poictiers; nec tanta fructuum varietas quanta Landedocke; nec tanta maris commoditas, quanta apud Normanos; nec tanta vini copia, quanta apud Burgundos; nec tanta frumenti vbertas, quanta apud Campanos: nec minus æquiparanda ciuitati & prouinciæ Orielens; quin etiam iumentorum multitudine Britanniæ ac Bruges prouinciæ facilè cedit. C

Itaque exinde consectarium est, bonorum affluentiam non sufficientem esse causam ad societatem populorum contrahendam: sed requiri insuper singularem congruentiam, modum ac rationem in vnum locum cogendorum: quod per idoneam, facilemque apportandi deportandique conditionem, fieri aptissimè poterit; de qua dicemus in posterum: quæ omnia in Vrbe Romæ maximè conueniunt.

Aduehendi opportunitas.

Apta aduehendi deportandique opportunitas, partim terra, partim mari, ac fluminibus haberi potest hic Romæ, Terra quidem: quo superficies eius magis est plana, eò facilior: quod fit varijs vehiculorum generibus, aut essedis, quæ equorum gestatoria sunt, aut id genus alijs adminiculis. Idonea quoque profectio hominum frequens, tum pedibus, caballis, rheda, alijsq; modis. Absque dubio tamen nauale iter terrestri multò præualet: non propter facilitatem modo, sed & propter velocitatem: nam breuiori mora, parciori impensa, ac minore negocio onerosiora quæque de loco in locum maritimo transuehuntur nauigio, quam plaustrali in terris rota. Sic enim diuina ordinauit prouidentia, vt cum hominem animal sociale; omnesque homines D

vnius

A vnius tanquam vniuerſalis cuiuſdam corporis membra eſſe voluerit, ſua dona ſic diſpertitus ſit, vt non omnibus ex æquo nationibus omnium rerum affluentiam conceſſerit: ſic enim fit, vt dum alter alterius indiget adminiculo, mutua illa animorum connexio coaleſcat. Id autem quo fieret compendioſius, aquarum fluctus ita diuina ſua, & inſcruptabili ſapientia ordinauit; vt ad onera ſuſtinenda aduti ventorum flatibus, & rudentum, velorumque adminiculis facillimè quæcunque tranſportare poſſent. Hoc medio facta eſt Orientis, Occidentis, Meridiei, Septentrioniſque apta diſpoſitio, atque amica conglutinatio. Parum enim obſtat, quo minus dicamus omnem tellurem omnia æquè producere propter commodam illam auehendi, aduehendique huc illuc opportunitatem. Admodum tamen parum in mari quiſpiam proficeret, niſi haberet portus ampliſſimos, nauiumque ſtationes tutiſſimas: illos quidem vt minus nauis illidatur; has ne procellarum, turbinumque impetuoſitatibus percellatur, concutiaturque: vt hic in Romano litore inter cæteros
B opportunior eſt ille ad Centumcellas, ſeu Veterem ciuitatem, non à natura, ſed artificioſiſſimis operibus ſub Vrbano Octauo Summo Pontifice fabricatus. Hic obiter recenſendum, Adriani Imp. tempore, cum is aliquando Centumcellas, Vrbem veterem ſcilicet refocillandi animi cauſa diuerteret (vt auctor eſt Cæcilius) Cellas centum Iudicibus, vt ſe ibi præſente cauſas audirent, extruxit, quæ poſtea in Vrbis iuſtæ formam cum creuiſſent: Saraceni Bernardi Regis tempore (fuit autem hic Caroli Magni nepos, qui Italiam Longobardis pulſis obtinebat) diruerunt.

Fluminum quoque vſus non mediocris eſt, eorum præſertim, quorum lata eſt deriuatio, præſertim per opulentas regiones, quales ſunt Padus in Italia, Scaldis in Flandria, Ligeris & Sequana in Gallia, Danubius & Rhenus in Germania; necnon nobili quamuis modico tractu Tiberis per noſtram Vrbem Romam. Atque pari fermè modo, quo fabricatrix natura illos comparauit; ita canales & foſſæ, quæ ex vno lacu, ſeu flumine in alium deducuntur; veris fluminibus opera humana æmula aſſimilantur; vt Medioni
C præcipuè, & in alijs Europæ Vrbibus, iam vidimus.

Omnium vero Europæ nationum tractus ille Galliæ Belgicæ, Flandria dictus, aquarum commoditatibus, atque vſibus maximè gaudet. Sunt enim ibi fluuii Scaldis, Moſella, Tenora, & Rura. Hi totam illam regionem vndique circumfluentes, immenſis opibus propter idoneam nauigationem, & incredibilem commerciorum frequentiam nobilitant. Hac vna re ſupradictis regionibus, & ipſa tota Gallia, multo eſt inferior Italia: ſiquidem flumina, quæ intra Romanorum fines, aliaſque Italiæ partes ex Apennino monte inſtar torrentium ſylueſtrium vtrimque decidunt, recto curſu in Adriaticum, Tyrrhenumue mare feruntur; vnde nulla mora ſiſtendi curſum ſuum ſubitum illis datur; quo fit vt nauigabiles Arnus & Tyberis exiguo admodum decurſu efficiantur.

Cæterum ne quis exiſtimet data deportandi conditione, ſtatim ſequi ipſam vrbis alicuius ampliſſimæ perfectionem: neceſſe enim eſt, vt euidens aliqua ſubſit vtilitas, quæ homines ad coaleſcendum alliciat, vt dictum eſt
D ſupra; ſed & præter hanc etiam alia peculiaria, quæ homines ad mutuam ſocietatem contrahendam alliciant. De quibus nos infra.

Priſcos Romanos ſpeciatim inſpiciamus inconditis moribus alioquin præditos, flexiles, ac ſibi ipſis conſulere neſcios; locum quempiam elegerunt, quem potius quam alium incolere maluerunt. Præcipuo hoc medio hi primitus ſunt vſi: vt Aſylum extruxerint (quod libertatis, refugijque ſedem appellauere) omnibuſque ad id confugientibus immunitatem conceſſerit Romulus; quo ſanè vulgi animos ad Romanam Ciuitatem mirificè allexit, populoſamque eam reddidit innumera fugitiuorum eò confluentium multitudine. Cæterum cum mulierum copia deficeret, Romulus miſſis per Hetruriam,

Aſylo Romæ multitudo.

riam, Sabinamque legationibus, vt finitimos populos sibi matrimoniorum iure deuinciret, & vrbi suæ aduenarum propagatione consuleret: cum vero illi inimicè negarent, quod ægrè ferrent nouam Vrbem in caput ipsorum crescere; sic artem arte lusit Romulus. Ludos se vouisse Neptuno cum simulasset, ad eos publicè celebrandos vicinas inuitauit vrbes, spectaculo publicè indito. Igitur cum plurimi eò cum vxoribus, ac nubilibus puellis concurrissent; vbi tempus visum est, dato signo iussit Romulus ab ijs, quibus demandatũ id fuerat, virgines rapi, quas post coniuncta sibi Hersilia, inter populares distribuit, celebratis solemni more nuptijs: nam ante nuptiarum diem honestissimè eas habendas curauit; dum vim excusat, ac prolis cupidinem in causam vocat, solari eas omni arte conatus est. Atque hæc sunt Romani Imperij principia; quæque prudenter à Romulo excogitata hæc sint, exitus ipse ac tanti Imperij magnitudo declarat. A

Municipia. Alterum adminiculum, quo Roma accreuit, in eo est, quod Ciuitates benè meritas, postea municipia vocatas, iure Ciuitatis priuilegijsque donarunt illi Romani; & ad capessenda munia admiserunt. Dignitas enim magistratus, ius ciuitatis, & priuilegiorum vrbis, omnes eos Romam compulit, quibus suffragia, fauores, ac officia in Rempublicam collata ad dignitates & honores obtinendos spem aliquam inicijebant. Hinc illa Romanæ vrbis incrementa, hinc illa potentia & populo & opibus: quas mirum in modum auxerunt Nobiles & alij opulenti, quos magno agmine quotidie ad confluendum eò iure Ciuitatis donatos, Romanorum proceres illexerunt. B

Admiranda inficta. Fuit quoque priscis Romanis summa cura, vt hominum cupiditatibus satisfacerent. Hunc in finem subinde res nouas, quæque admirationi essent visentibus, instituerunt: hinc illi Ducum victorum triumphi magnificentissimi: hinc splendidissima illa ædificia: pugnæ nauales, palæstræ; venationes ferarũ publica conuiuia, ludi Apollinares, sæculares, alijque incredibili pompa, & solemnitate celebrati. Quo effectum, vt dum hæc Romæ ad spectantium animos oblectandos accõmodata hoc modo continuarentur, ad Vrbem Romam continuo peregrini vndequaque confluerent. Atque his præcipuè medijs Romani potentia, ac robore feliciter excreuerunt: restat vt videamus quid hac in re cum alijs nationibus vsitatum fuerit Romanis. Initium autem de Religione, quæ omnium rerum caput est, faciamus. C

De Religione. Religionis est tanta vis, tantaque necessitas; vt prouldubio non tantum multos in sui amorem pertrahat, sed etiam multorum commerciorum caput existat. Vrbes, vbi religionis cultus est præstantior, faciliorem quoque & illustriorem habent aditum ad potentiæ & gloriæ accessionem. Hierusalem, vt tradit Plinius fuit, Orientis Vrbs antiquissima, & florentissima, tam religionis Deique cultu, quam totius regni respectu: Hierosolymis viuebant Summi Pontifices, Sacerdotes, Leuitæ: peragebantur ibi sacrificia: vouebantur Domino vota: omnis ferè Populus Israelis ibi quotannis ter conueniebat. Scribit Iosephus, Hierosolymæ quando à Tito Vespasiano obsideretur, circiter vigesies quinquies centena millia hominum fuisse. Numerus sanè immensus & fermè incredibilis, si Vrbs ex ambitu, qui quatuor milliaribus paulo fuit amplior, æstimetur. D

Magna itaque religionis vis est in amplificandis vrbibus, ditionibus, illectãdis Peregrinis: quod cum Ieroboam cognitum haberet, vt Tribus decem Israeliticas, quibus imperitabat, suo dominatu coercerit; veram religionem idololatrica permutauit. Hic suo scelere omnium primus dici meruit, qui cupiditate dominandi debitum honorem & cultum Dei magno cum dedecore missum fecit, posteritatique sic supplantatæ malo exemplo præluxit. Caueant Principes, qui præpostero gubernandi modo legem Dei conculcant; nec vnquã ex memoria tristissimum Magistri sui Ieroboami interitum abijciant, sed respiscant, vt alieno cauti malo, periculis eximantur.

Religio

A Religio cultusque diuinus in loco aliquo ad alliciendum illuc homines maximum habet momentum: inspiciamus sanctam Lauretanam domum in Italia, Diuæ Mariæ Magdalenæ cryptam in Prouincia, Monseratum in Hispania, Saluatoris nostri monumenta in Palæstina, & alia sancta loca, quo magnus vndique quotidiè est concursus omnium nationum, vel longissimè remotarum: ibi Deus summum bonum anxiè desideratur, indefinèter expectatur, & quæritur ab omnibus creaturis. An non se in societatem amplificatæ Romæ maximè ingerunt Martyrum sanguis? reliquiæ Sanctorum? loca sancta? & in diuinis suprema iudicandi potestas? An non aspera & inculta hodiè Roma iaceret, nisi quotidiè locorum sanctitas, & religio infinitos homines ab extremitatibus mundi eò pertraheret? An non deserta pateret, nisi sedes Apostolica, clauiumque potestas sede ibi fixa multa millia hominum dulcedine sua delinita quotidiè eo abire cogeret? Sed proh dolor pauci admodum numero sunt Principes, quorum vita pro nitidissimo speculo & exemplari habeatur, ad cuius formam Ecclesiæ componantur. Vbi hodie Numa Pom-
B pilius, qui tot Romæ augurum collegia? vbi Constatinus, qui tot sacra gymnasia struxit? vbi Theodosius, qui tot vectigalia? vbi Iustinianus qui tot priuilegia dedit? Illos inuo, qui spolijs Ecclesiæ, & sacerdotijs ditati, Sacerdotibus victum, Ecclesiæ Censum, pauperibus cibum, ignorantibus veritatis lumen sustulerunt. Sed quid moror? Religio diuitias peperit, & filia deuorauit matrem.

Studiosos præcipuè in Vrbes, quarum magnitudo nobis proposita est, ad- *De Scholis.*
ducit celebris & docta schola, quæ iuuentutem certis propositis commoditatibus sui amore vehementius accendat; itaut potissimum eo nomine à pluribus seligatur, potiusque hanc quam aliam frequentare studiosa iuuentus malit Academiam. Id autem fit cum ad scholæ, & artium commoditatem peculiaria quædam & honesta priuilegia insuper accedant. Honesta dico, ne licentiam dent scelus scelere impunè accumulandi, quod priuilegium turpitudinis dicunt: sed vt habeant ansam alacriter sine impedimento studijs inuigilandi. Porrò in loco Academijs destinato temperata & salutaris sit aeris
C constitutio, amœnus situs, aquis, fontibus, syluis, & campis vndique arridens; vbi solitaria & iucunda sit à studijs recreatio: ibique iuuenes se exerceant luctando, saltando, cursitando, lùdendo pila: & his concessis strepitus armorum, & tesserarum conticescat. Optimè autem vassalli retinentur, & peregrini inuitantur commoditatibus ad honestas animi recreationes, & commeatus abundantia; si priuilegia conseruentur, defendantur: si eruditioribus certi & honorifici tribuantur gradus; & in primis si copia sit eruditorum professorum. Pompeius Magnus non erubuit scholas benè constitutas intrare: domito enim Oriente scholam Rhodi, vt professores audiret, ingressus legitur. Sigismundus Rex Poloniæ edixit, ne quis vasallorum suorum extra regnum studiorum gratia vagaretur; ne dogmate illo prauo, quod suo æuo reuixit, & ferè omnes septentrionales imbuit, incenderentur. Nihil hic dico de Constantino, Theodosio, aliisque vere augustis Imperatoribus, qui Scholas, Collegia, Academias magnificè extruendo, Eccle-
D siam Christi plurimum propagarunt: & pariter nihil magis barbariem, vim, perfidiam, hæresim, atheismum, & omnium confusionem parit, quam Scholarum, & Academiarum defectio. Si ergo iusti, si pij, ac religiosi velint esse Principes, non tollere, sed fouere, non euertere, sed conseruare eadem debent, in quibus splendor regis, honor Ciuitatis, amor virtutis & omnium bonorum inest influentia.

Fortunarum, famæ, ac vitæ salus in arbitrio iudicis est: hinc Vrbes, in- *Tribunalia.*
quibus prudentissimi, & iustissimi tribunali insident, plus frequentantur; & ad eas tanquam asyla à corruptis, indoctis, malèque affectis Iudicibus confugitur; vt ibi corruptæ aliorum iudicum sententiæ, aut reuocentur, aut moderatione quapiam leniantur.

Non

De priuilegijs.

Non infrequens fuit ijs, qui vrbes aut extruxerunt, aut inhabitandas dederunt, præclaris priuilegijs eas donare: secuti hoc sunt, qui Vrbes vacuas, aut peste exhaustas, aut Marte vastatas, alioue Dei flagello exinanitas restaurarunt: vnde his casibus necesse habuerunt Principes nouos incolas adsciscere, quos iure Ciuitatis omnes donarunt, qui cum familia eò migrarent: ac etiam ab extremis periculis famis venditatæ Ciuitates, dum eos qui frumenta aduehebant, priuilegijs donabant. A

Commercia tractanda.

Vrbem populosissimam reddunt certa commercia: id maximè, cum patrium solum illas merces, aut potissimas gignit. Sic sola Insula Molucca profert Caryophylum, Sabæa thus, Palæstina balsamum. Plurimum piper fert Calicutia: Zelinam cinnamomum; atque alia alibi. Præstantissimum sal generatur in Cypro, saccharum in Madera, lana in aliquibus Ciuitatibus Hispaniæ & Angliæ. Huc accedit præstantia artium, quarum exercitationes, aut ratione aquarum, aut abstrusæ scientiæ, quam soli incolæ callent; hic quam alibi meliores. Sic optima arma suppeditat Damascus; elaboratissima aulea Athrebatum; holosericum Genua, aureas texturas Mediolanum. Dicimus etiam Mechanicas ferè omnes artes omnium optimè in China florere; & præcipuè cum apud illos populos receptum sit, vt filij easdem artes, quas parens, addiscant & profiteantur: hinc quasi cum lacte paternas artes, & commercia imbibunt; tantamque assequuntur perfectionem, vt nihil quod ibi desideretur inuenire liceat; quorum labores in insulas Philippinas, Mexicum, & inde Siuiliam aduehuntur. Sunt etiam nonnullæ vrbes, in quarum potestate certæ merces versantur: non quidem quod sua ipsa tellus illas effundat, aut ab incolis laboretur; sed solum quod ex alijs regionibus illuc aduehuntur; vt Siuilia immensæ opes ex Noua Hispania & Peru adueniunt; vt Lisabona & Amsterodamo, quibus locis ex Indijs Orientalibus & Occidentalibus præteruehi nemo potest nisi illorum Saluoconducto & venia. Eodem modo (antequam Indiam Orientalē occupassent Lusitani) trans mare Suezam, & hinc Camelis Cayrum, Niloque Alexandriam asportabantur aromata: eo suas triremes Venetæ amandabant aduecta illa aromata coemptum, quæ deinde Europæis maximo lucro passim vendebant. Verum illa commercia hodie in Lisabonam, & Amsterodamum deriuata sunt, noua via ab istarum regionum incolis adinuenta. Sunt & aliæ vrbes, quæ omnia ferè commercia ad se pertrahunt: vnde talia Emporia habentur in Oriente Malacca & Ormus: in mari Mediterraneo Alexandria, Constantinopolis, Messina, Genua: in Septentrionali præter Amsterodamum, etiam Dansicum, Nerua: in Germania Francofurtum ad Mœnum & Norimberga. In his alijsque pluribus opulentissimi mercatores sua commercia exercent, emporia constituunt, vbi magni sunt portus, flumina nauigabilia, vbi viæ planæ & tutæ. Cæterum maximum momentum est, vt Principes regionis suæ ingenium, situm, & naturam teneant: sic enim refert Portus munire, vallis, aggeribusque obfirmare, commoditates mercium exportandarum, & importandarum parare, mare à piratis repurgare, flumina nauigabilia reddere, commoda, & apta emporia extruere, vias munire tam eas, quæ ad montes quam quæ per campi planitiem vergunt. B C D

Qualiter autem hic Romæ Mercatorum commercia, emporium, & Populorum augumentum in præsenti tempore magis posset induci; indicauimus supra ante finem cap. 22. lib. 1. pag. 113.

De iurisdictione.

Efficitur etiam Vrbs populosa iurisdictione suprema: hinc homines loco illi quasi adstrictos rarò discedere finit: hanc magnus litigantium concursus appetit. In vrbibus vbi summa est iurisdictio, tam publicæ, quam priuatæ opes coguntur. Ibi conueniunt principum, ducum, ciuitatum, & rerumpublicarum legati: ibi causæ grauissimæ disceptantur: eò diriguntur appellationes: ibi negotia tam publica quam priuata transiguntur: eò ditionis pro-

uentus

A uentus conferuntur. Exinde Ciuitates pro ratione iurisdictionis in dies ædificijs, multitudine Ciuium, & opibus splendidiores exsurgunt. Prisca Roma pro ratione iurisdictionis & populosa fuit; quinquaginta milliaria continuit præter suburbia, quæ tantæ fuerunt magnitudinis; vt ex vna parte ad Hostiam, altera ad Octicolim porrigeretur: vt etiam nos supra diximus c. 8. l. 1.

Roma & pleræque Italiævrbes augustiores & maiores sunt vrbibus Galliæ, aut reliquæ Europæ; idque quoniam nobiles Italiæ vrbes inhabitant, Galli autem suis castellis, quæ instar palatiorum exædificata, aquis & muris circumdata, editioribusque turribus ita obfirmata sunt, vt facilè improuisam hostium irruptionem & substinere, & arcere queant. Vrbes namque quæ à pluribus inhabitantur nobilibus, eò splendidioribus, atque amplioribus nobilitantur ædificijs: quin etiam omnis generis artes, & mechanicæ magis tum florent, semper ad superiorem perfectionem aspirantes. Atque hanc ob causam aliqui Reges vrbes amplificaturi, publico edicto non tantum omnes nobiles in vrbes coegerunt; sed etiam vt quiuis sibi pararet palatium, quod B inhabitarent, illi mandarunt. *De nobilium sedc.*

Principis supremi sedes ex sese satis virium habet ad instaurandam vrbem & extendendam, ad quam honoris causa tota regio fluat; quæ vrbs totius regionis veluti cor & centrum esse debet: ad cuius maiestatem & honorem excelsa palatia, honorifica tribunalia, altissimæ turres, munitissima castella, populi magna frequentia. Sic Roma in Italia, Lutetia in Gallia, Londinum in Anglia, &c. In vnaquaque regione necessariò vnam primariam inueniemus Vrbem, in qua Regia instar solis splendeat; in qua principes, proceres, iudices, hisque obedientes Ciues vna viuant: in qua controuersiæ decidantur, in qua Principum conuentus habeantur, in qua exteri Legati audiantur, in qua denique omnium totius regionis oppidorum prouentus, tanquam in thesauro ad vsus publicos & priuatos asseruentur; quibus sanè rebus vrbes mirificè excrescunt atque augentur. *Regum sedes.*

Sed ne extrema mundi climata percurramus in his, quæ ad celebritatem C vrbium faciunt, in quibus regiæ sedes olim fuerunt, vnica Roma omnium vice sit, si consideretur qualis olim fuerit: perquam enim multum ab antiquo illo splendore hodie recessit.

Vt de amplitudine antiquæ Romæ post plura relata per Plinium lib. 3. c. 5. subdit ille tandem: *Mœnia eius collegere ambitu Imperatoribus, Censoribusque Vespasianis anno V. C. 828. passus tredecies mille ducentos, complexa montes septem ipsa.* Et infra: *Cæterum munita erat præcelsis muris, aut abruptis montibus, nisi quod expatiantia tecta, multas addidere vrbes in prima regione.* Quibus persuasum nobis videri potest, venientibus Romam, cœpisse ædificia vrbi adiacentia videri ab oppido Octricoli (quod ab vrbe distat 35. & amplius passuum millibus) continuisque ædificiorum structuris id omne vsque Romam; adeo vt qui paululum eius viæ confeciisset, iam se Romam ingressum putaret, vt recolit Leander. Ideoque quod Vopiscus habet, Aurelianum Imp. ampliasse Vrbis Romæ muros ad quinquaginta ferè millia passuum, quod & Cassiod. habet in Chronic. & Orosius lib. 7. cap. 23. id accipiendum est tantummodo de ipsius Vrbis mœnibus, & septem montibus; at vero suburbia ad eam dimensionem, quam diximus ex Plinio porrigebantur. Id manifestum facit Constantius Imp. ex Ammiano, qui Octricolo Romam veniens, & suburbiorum magna parte transacta, Hormisdam Persam Architectum Imp. erator interrogat: quid sibi de Vrbe Roma videatur? Respondit Persa; putare iam Vrbis dimidium inambulasse: adeo splendida continuaque iam ex Octricolo suburbiorum ædificia semper fuerant spectata. Dionysius quoque lib. 4. suffragatur his verbis. *Sunt omnia circa vrbem habitata loca: multa ea, & magna: sique aliquis ad hæc spectans velit Romæ magnitudinem exquirere, is & errare cogetur, nec habebit signum vl-* *Amplitudo antiqua Vrbis.*

lum certum quo vsque sit hæc Vrbs progressa, aut vnde incipiat; ita Vrbi contexta est regio, præbetque spectantibus opinionem extensæ in infinitum Vrbis. Aristides quoque sic ait: *Descendit hæc Vrbs vsque ad mare, vbi commune emporium, communisque omnium, quæ terra eueniunt, dispensatio: quacunque in parte eius vrbis constiterit quis, nihil prohibet, quo minus pariter sit in medio: vnaque futura vrbs perpetua in Ionium mare protensa.* Addere libet, quo magis miremur; vt Plinium seniorem testemur, ad LXX. millia passuum Romam protensam fuisse, non modo vsque ad mare; verum etiam ipsum littus Ostiense ad multa passuum millia perpetuis propemodum ædificijs ornatum spectabatur. Referam in id etiam verba Plinij iunioris in epist. ad Gallum lib. 2. ibi: *Littus ornant varietate grauissima, nunc continua, nunc intermissa tecta villarum, quæ præstant multarum vrbium faciem, siue ipso mari, siue ipso littore vtare.* Hæc ille. A

Maiestas antiquæ Vrbis.

Quanta autem eius Vrbis tum maiestas esset, vel inde patet, quod mille Senatores esse consueuerant: sed horum immodicum numerum correxit Augustus; cuilibet censu annuo aureorum triginta millium adscripto, vt Suet. memorat in reformatione Senatus Octauij: & recolit Budæus de Asse lib. 2. qui lib. 5. adijcit, cum Senatoribus Census adscriptus esset singulis ad quingenta sestertia, paupertati tolerandæ id erogari consueuisse; ita vt duodecim millium Census Senatorius paupertatis nomen non amitteret: cum hodie in sacro Purpuratorum Senatu, qui duodecim huiusmodi millium aureorum censum habuerit, inter diuites conscribatur; præterid quod longè maioris æstimationis erant Romanorum tempore illa duodecim, quam hodie triginta: adeo aureorum valor est immutatus. B

Multitudo ciuiũ Romanorum.

Ciuium Romanorum copiam tradidere in ijs plerisque Euseb. in Chronic. sub Claudio, Fresulcus & alij: comperta fuisse aliquando ad LXIX. centena CLXIII. millia, & eo amplius: quamquam nonnullis videatur, non ita ciues conscriptos, qui Romæ degerent, sed qui per orbem Romani Ciuis nomine decorarentur.

Romanorum opes.

Sed quod nusquam ab orbe condito contigit, erant Ciuium Romanorum opes tantæ, vt diues non putaretur, qui annuo redditu suis sumptibus legionem alere non potuisset: fuisseque eiusmodi plurimos, vel inde conitat, quod Lucullus Romanus Ciuis (quem Cicero & Cæsar Xerxem togatum appellabant) ad XXV. hominum millia honorificentissimè hospitio excipere poterat; nec tamen ipse solus id potuit in Vrbe Roma, quandoquidem viginti Ciuium millia & eo amplius in ipsa Vrbe comperta memorantur, qui cum Lucullo de diuitijs contendere potuissent, vt ex vetustis monumentis. Quod si fortè ambigamus non vigintimillia Ciuium Romanorum tantæ opulentiæ extitisse: erant autem Romæ innumeri valde diuites, ac prætermissis reliquis sint nobis exemplo duo Plinij viri doctissimi & diuitijs affluentes. Senior enim præter id quod Romanam classem imperio regebat, pecuniæ plurimum possedit; idque inde deprehendimus, quod cum procuraret in Hispania, vendere potuerit electorum commentarios Largo Licissio quadringentis millibus nummum; respuisse autem tam magnum pretium conitat ob id, quod sibi affluaret pecunia; scripsit hoc Nepos Plinius ad Marcum lib. 3. Alter igitur hic iunior Plinius ditior certè fuit seniore auunculo: nam Quintiliani filiæ nubẽti nõ rogatus quinquaginta millia nummum, tribuit, idq; Munusculum nuncupat scribens ad ipsum Quintilianum lib. 6. Romano quoque Firmo sibi ab adolescentia cognito, vt in equestrem ordinẽ cooptari ille posset, dono dedit trecenta millia, extat epist. lib. 1 Ad ipsum Romanum Caluinæ affini centum millia dotis nomine largitus est, epist. 2. ad ipsam. Caluinam. Suo quoque Municipi Metilio Crispo, vt ad Equestrem ordinem, in quem conscribebatur, sese instrueret, dono dedit quadraginta millia, epist. ad Hispanum lib. 6. Ad alendos ingenuos pueros quingenta millia contulit, C D

triginta

A triginta ſcilicet millia annua. Epiſt. ad Caninium lib.7. Quantum vero quotidiè fuerit iſte Plinius profuſior in domeſtico ſumptu, in amicos, neceſſarios, & calamitoſos quoque profuderit? Illæ, quas diximus, ingentes erogationes nos docent, quantum minoribus erogare potuerit. Erant præterea illi Villæ tanto ornatu & ſumptu excultæ, vt regiam maieſtatem adæquauerint: Tuſci ſui villa, ſcilicet apud Tifernates, ſicut & Laurentum in littore Tyrrheni maris, de quibus ſcripſit ſuis epiſtolis, Regum munificentiam adæquabant. Habuit plures villas in ripis lacus Latij: habuit Prænestinam, Tuſculanam, ac Tyburtinam; habuit & aliam quam potuit vendere nongentis millibus; vt ipſe memorat in epiſtolis ad Fabatum, & ad Coreliam l.3. additamentum villæ vnius emit ſeſtertio tricies, ideſt octoginta ferè millibus aureorum epiſt. ad Caluiſium *Ruſum* lib.3. Animaduertimus igitur liquido, quantum ſummi noſtri ſæculi Principes à priſcorum Romanorum munificentia ſuperentur. Libet præterea de Seneca recolere, ter millies ſeſtertium habuiſſe, Tacito & Budæo teſtibus: atque ita ſupra ſeptem milliones poſſedit.

B Nec eæ Senecæ opes conſcribuntur inter eas, quas ſupra diximus.

Excedebat igitur Romana Maieſtas omnem orbem. Iureq; Cyneas Pyrrhi Epirotarum Regis legatus, & Conſtantius Imp. Magni Conſtantini filius dictitabant: *Seſe in vrbe tot proſpectare Reges, quot Ciues viderent*. Externarum autem vrbium nulla certè ex parte veteri *Romæ* comparanda, licet aliquo nomine ei præferantur, vel ambitu, vel Ciuium numero, vel populorum adiacentium incredibili illa multitudine, de qua apud Mexicum recolitur.

Solitudini ſanè noſtra hæc Roma eſſet ſimilior, quam Vrbi, niſi ſedes Pontificalis ibi fixa vrbem augeret, viris Principibus, nobilibus, ac Prælatis; niſi maximo hominum numero, qui ſibi & ſuis inſeruiunt, vrbem repleret; niſi ſplendidiſſimis ædificijs, aquæductibus, fontibus, vicis, ſalijſque rebus nitidiſſimè vrbem exornaret; niſi venerandis negocijs, quorum nunnulla cultum religioſum, nonnulla Ciuilem politiam concernunt, Eccleſiaſticos red-

C ditus impenderet; niſi etiam his rationibus tot negociatores, tot artifices, tot opificia, eorumque cultores attraheret, & detineret. Rebus ergo ita vt nunc, ſeu olim verius Romæ ſtantibus; non facilè ea Vrbs alteri vrbi, quæcunque tandem ea ſit, omni ex parte ceſſerit &c.

Quibus adminiculis parta Dignitas, & magnitudo conſeruata fuerit apud priſcos Romanos? Cap. XI.

POſtquam Vrbem noſtram produximus ad dignitatem, & amplitudinem, quam habitus & natura ſitu, Ciuiumque potiſſimum virtutes, vt diximus, ferre poterant: omni cura enitendum eſt agnoſcere, quibus medijs di-

D gnitas & magnitudo iam tũ parta, fuerit apud priſcos illos Romanos tamdiu conſeruata? Neceſſaria, inquam, ſimul & ſemel tria hæc concurrerant: Iuſtitia, Pax, & Abundantia; ſicuti hæc omnia Romanum Populum habuiſſe Auguſto imperante, teſtatur Tacitus primo Annal. his verbis: *Et ad tuendam plebem Tribunitio iure contentum*; nempè vt Auguſtus protector plebis Iuſtitiam adminiſtraret: *Vbi populum Annona*; ecce Abundantia: & ſequitur: *Cunctos dulcedine otij pellexit*; quod Pacem ſignificat; vt volunt expoſitores in hunc locum Taciti.

Iuſtitia ſuum cuique tribuit, fortunaſque noſtras in tuto locat, nec eſt per- *Iuſtitia.*
ſonarum acceptrix; potentiorem imbecillo, diuitem inopi, gentilem inqui-

lino, ciuem aduenæ, patricium plebeio minime anteponit; sed æquabile A
ius vniuersis impertitur. Atque hoc vel solo iustitiæ nomine, quæ omnes sub se virtutes continet, optimæ quæque respublicæ commendantur. Hinc tanquam pro insigni iustitiæ Romanis olim gladius ad deterrendos seditiosos & sceleratos publicè propositus fuit. Vt enim secundum Festum, apud eos insigne imperij & armorum hasta fuit (Proconsules enim de Ciuilibus prouincialium causis cognoscentes, pro tribunali hastam erigebant) ita in facinorosos homines animaduertētibus illis gladius semper in conspectu erat; sicut eruditè illud tradit Iacobus Ræuardi lib. 2. de Diuers. Reg. iuris, vbi ita scribit: *Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta, forum litibus mugit insanum: hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est.* Huc pertinet quod Dio de Traiano scribit: nam cum Præfectum prætorio, quem creauerat, circumdaturus esset ense, nudum eum illi porrexit: *Cape hunc*, dixit; *& siquidem benè imperauero, pro me hoc vtere: sin male, aduersus me.*

Sic videmus gladium euaginatum, quod in solemnitatibus Imperatori, & B
Regibus præfertur, indicare iustitiam, vt terror sontibus incutiatur, & insontes sciant; se sub protectione summi Magistratus ab iniuria & vi tutos esse. Hoc quoque apud Massilienses vsitatum fuisse, testatur Valerius Maximus, ibi: *Cæterum à condita vrbe gladius est ibi, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exæsus, & vix sufficiens ministerio; sed index, in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta seruanda.* Moribus quoque nostris receptum est, quando Equites à Regibus creari solent, vt gladius euaginatus illis tradatur, eorumq; humeri leuiter eo perstringantur, cum commonefactione, vt iustitiam foueant, viduas, pupillos, aliasque miserabiles personas à vi, iniuriaue defendant. Sic Maximilianum primum huius nominis Cæsarem, ferunt loca destinata ad supplicia sontium, venerabundum cum hac voce SALVE IVSTITIA, præterire solitum. De Alexandro Seuero Imp. Lampridius in eius vita sic scribit: *Si vnquam furem vidisset iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret*; tanto odio prosequebatur Iudices, qui furtorum fama laborassent, vt si eos casu aliquo videret, commo- C
tione animi choleram stomacho euomeret, toto vultu inardescente.

Cæterum de Iustitia extant passim tam apud sacros, quam profanos commonefactiones grauissimæ. Sic enim extat Sapient. cap. 1. *Diligite Iustitiam, qui iudicatis terram.* Et Ecclesiast. cap. 4. *In iustitia agonizare pro anima tua vsque ad mortem: certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Intelligat vir princeps, quod qualis fuerit ipsarum rerum actionumque, quas agit, natura; talem quoque ex ipsis memoriam & famam, vel bonam, vel malam consecuturus sit. Nec minus principatum gerens reminiscatur inimicitiarum & dissensionum, si quæ prius cum aliquibus interceserint. Non enim ad regnandum promotus est, vt vlciscatur; verum vt imperio suo subditos etiam ab aliorum insidijs securos, atque tutos custodiat: & vt custos recti sit, & magnæ Deæ Iustitiæ minister & interpres. Quin & deprehensa veritate, agnitaque iustitia, nihil moretur, quod ius iubet pronunciare, atq; exequi idque impigrè ac citra moram. Id quod paucis admodum curæ est: quo fit etiam vt non solum plerosque in annos, sed integram fermè hominum D
ætatem lites protrahantur, fatigentque interdum etiam primam atque alteram sobolem, exhauriantur patrimonia, rabie veluti igni incendantur hominum odia, manus excitentur ad cædem, periclitetur que salus ipsa cum rebus. Addamus, quibus interim curis, molestijs, anxietatibus vitam agunt, qui lites gerunt: nihil sanè miserabilius, nihil infelicius, nihil calamitosius istorū mentibus continuò laceratis, & diro mucrone confossis, hos nulla requies, nulla oblectatio iuuat, nullaq; vel amœnitas, vel illecebra mouet, sœuis cruciatibus laniatos; sed his toruus semper aspectus, caput minax, ceruix demissa, ora palientia, gemitus, planctus, stridor, furor, blasphemia atque des-

peratio

A peratio tanquam ad perpetuam ærumnam infeliciter raptis. Quorum malorum cum iudex cauſa ſit, non poteſt quicquam excogitari ſceleſtius, atque imm anius, cum is qui debuit his omnibus malis mederi, is quidem ſit qui per cutiat, cruentet, & ſauciet; improbos imitatus medicos, qui in ſedandis languoribus, ſpe quadam amplioris quæſtus differunt medicamenta, proditores, prædones, interdum etiam homicidæ. Oportet etiam capeſſentem Magiſtratum, iudiciaque exercentem deponere amici perſonam & ſanguinis, & induere iudicis, qui aliud nihil eſt, quam ius loquens & animatum. Hæc enim (vt Cicero in Lælio inquit) *Lex in amicis ſanciatur, vt ab amicis honeſta petamus: ſimul & rogati amicorum cauſa honeſta faciamus.* Neque enim eſt vlla excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris: cui correſpondet etiam id quod Epictetus ait: *Si iudicia recte proferre voles, nullum contendentium, & cauſam dicentium; ſed ipſam cauſam cognoſcas.* Iuſtitiæ iam ſancta penetralia luſtrauimus, in quibus æquum, ac probitas religioſa cum obſeruatione verſatur; vbi cupiditas rationi cedit; nihilque vtile ducitur,
B quod parum honeſtum videri poſſit: eius autem præcipuum & certiſſimum inter gentes omnes exemplum, eſt Romanæ Maieſtatis tam longo tempore perennitas.

PAX, alterum illud, quod diximus amplificandæ, ac conſeruatæ noſtræ Vrbis medium, firmiter conſtat: ipſa enim vacillante, aut rupta, omnia in peius ruere neceſſe eſt; ſtante verò quoque firmiter conſiſtunt, & durant. Eleganter autem de Pace Virgilius canit. *PAX.*

Pax plenum virtutis opus, pax ſumma laborum,
Pax belli exacti pretium eſt, pretiumque pericli;
Sydera pace vigent, conſiſtunt terrea pace:
Nil placitum eſt ſine pace Deo, nec munus ad aram.

Attendendum tamen diligenter eſt, ne amica illa Pacis fruitio ad temerarios multitudinis auſus, tacitam quaſi anſam præbeat, qua in re illi, quibus id ratione officij competit, tacitè proſpicient. Eſt enim Populus, vt Plato in-
C quit, ingratus, moroſus, crudelis, inuidus, immodeſtus; vt qui eſt ex colluuie turbæ, & ſtultis inſolentibus collectus. Quicquid enim laudat, vituperio dignum eſt; quicquid cogitat, vanum; quicquid loquitur, falſum; quod improbat, bonum; quod approbat, malum; & quicquid extollit, infame: & ſicubi ſibi ipſi relictum nullis legum repagulis coerceatur: nullum tũc (teſte Q. Curtio lib. 10.) profundum mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum tot ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, vtique ſi noua & breui duratura libertate luxuriat. Hæc enim, teſte Liuio, natura multitudinis eſt: aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur; libertatem quæ media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſciunt. Atque hic non abs re vulgato verſu dicitur de Populo, ſeu Plebe.

Vngentem pungit, pungentem ruſticus vngit.

Quod ſi præterea ſuperſtitio aliqua mentes multitudinis ſeditioſæ occupat: tunc demum ea bellua multorum capitum, multò atrocius furit, neque modum tenere poteſt, exitumue vllum reperit; vbi aut fauere ſemel aut ſæuire
D inſtituit: hocque prætextu ſibi quiduis licere putat. Quo etiam Q. Curtius reſpexiſſe videtur lib. 4. de reb. Alex. Mag. vbi dicit: *Nulla res multitudinem efficacius regit, quam ſuperſtitio.* Alioquin impotens, ſæua, mutabilis, vbi vana religione capta eſt; melius vatibus quam ducibus paret. Siquidem ſimulata religio inſtar torrentium eſt, qui nullis obicibus retardari queunt, quominus campos inundent & aliquandiu noceant. Illud tamen probè tenendum eſt; quod & Claudianus monet: illum furorem efferatæ multitudinis, licet interdum terribilem, attamen non diu durare: nam caret euentu nimius furor: *Improba nunquam ſpes lætata diu.* Temereque illi faciunt, qui populo innixi, & magnas res ſuſcipiunt agendas, & ſuſceptas ſibi ſucceſſu-

ras

ras sperant. Etenim quemadmodum crescente vmbra, vel decrescente, corpus tamen ipsum, cuius est vmbra, neque crescit, neque decrescit: ita nec melior fit quisquam, dum à vulgo laudatur; nec item peior, dum vituperatur. Paruum namque præsidij, inquit Cominæus, positum est in promiscua multitudine, nisi contineatur aliqua necessitate & imperio: tametsi tempus incidat, cum populi furor & repentinus impetus, valde sit pertimescendus. Optimum, & salutare igitur contra immoderatos populi impetus erit remedium; vt qui in actu bellum recusent, exhibeant saltem illud in potentia: Polybius his verbis: *Ostendite modo bellum, & pacem habebitis: videant vos paratos ad vim, ius ipsi remittent*. Ideoque Augustus semper inimicorum fines munitos habuit, vt quoque Salomon. A

Abundantia. Abundantiam demum alimentorum, vt tertium ampliandarum Ciuitatum, earumdemque conseruandarum principale medium, facilem reddit victum. Quid enim antiquius, quid acceptius multitudini, quam si vili cibus, potusque paretur. Ob id etiam in vrbibus & oppidis rerum omnium affluente copia optimatibus cum multitudine etiam obscuris natalibus, nullum est certamen, aut discordia in tanta vitæ dissimilitudine & tam dispari studiorum ratione, atque voluntate. Illi enim imperium & gloriam expetunt: isti dum vitæ commodis abundant; non ita magnum fructum in decore, & dignitate ponendum arbitrantur: siquidem vt inquit Iuuenal. in satyr. B

Cererem, & Circenses anxius optat.

Ad hoc respexit Cæsar, cum duos creasset Aediles, qui ad hoc solum Annonæ negocium præsiderent: Augustus enim ad Imperium iam partum seruandum, teste Tacito l. 1. Annal. *Populum annona, cunctos dulcedine ocij pellexit*. Eodemque Augusto inter alia dominationis arcana maximæ curæ erat Aegyptus, *Ne fame vrgeret Italiam*, refert Tacitus 2. Annal. cuius necessarium frumentum ab illa prouincia proueniebat. Huius annonæ defectus maxima causa est commouendi Populos, vt sæpius Israelitæ, & maxime contra Moysem, Exod. 16. & propterea Propheta Isaias c. 3. de illo, qui à populo requisitus, vt assumeret sibi Regnum; vt eius inhabilitas ostenderetur, quoniam nesciret annonam seruare; respondit: *In domo mea non est panis, nolite constituere me Regem super vos*. Sicuti & subministratio cibi sufficiens causa assumendi quempiam ad Principatum. Christum Redemptorem nostrum, cum saturasset turbas in deserto, ex quinque panibus & duobus piscibus. turbæ Regem poscebant, refert S. Ioan. cap. 6. *Illi ergo homines cum vidissent. quod Iesus fecerat signum, dicebant, quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem*. Sed iterum illi reuersi dum peterent: *Domine da nobis semper panẽ hunc*. Et tunc negans Christus præstare illis panem materialem in cibum, vt altius illos eleuaret ad Dei mensam spiritualem: ijdem qui antè Prophetam, & Regem Christum acclamabant propter solum cibum corporalem præstitum: modo propter eumdem cibum denegatum, exprobrant de Christo, quod sit filius fabri, his verbis: *Murmurabant ergo Iudæi die illo, quia dixisset, ego sum panis viuus, qui de Cælo descendi; & dicebant, nonne hic est filius Ioseph cuius nos nouimus Patrem & Matrem?* Quoniam populus similem felicitatem ad repletionem ventris non habet, inde S. Chrysost. in dicto cap. 6. Ioan. hom. 44. considerat quod populus ille prætermissis stupendis omnibus miraculis, quæ patrauit Moyses solum meminit de Manna, ibi: *Patres nostri manducauerunt manna in deserto, &c.* C D

Atq; hæc pro præsenti argumento de Vrbe iam diu conseruata dicta sufficiãt. Cætera (vt supremam tandem manum operi addam) omnia, quæ pro amplificanda Vrbe adducta sunt; pro conseruanda quoque vsurpari possunt. Eadem enim rerum principia sunt ortus, & progressus.

NO-

A

NOTABILIA

ABſoluta impreſſione horum trium librorum, De Vrbis, & Romani Imperij ſplendore: ſuperaddendas etiam aliquas Appendices, ſeu Notabilia credidi: quæ ſicut ad argumentum, & elucidationem mearum lucubrationum non erunt importuna; nec minus ſpero iniucunda Lectori futura.

Erit autem vnaquæq; Appendix addenda ad Capitulum,
B paginam & litteram hic indicatam.

De Pontibus.

Pag. 61. & ſeq. Cap. XV. Parte prima.

QVoniam Romanam potentiam, & magnificentiam etiam recognouimus in Pontium extructionibus ſupra flumina, non in Vrbe noſtra ſolum; verum & illum ſupra Danubium ab Imp. Traiano mirificè fundatum, & ab Adriano Imp. inde dirutum. Poſſem hic quoque referre Lutetiæ Pariſiorum ſeptem admirabili ſtructura Pontes, quibus non tam ædes quam Palatia ſupra inædificata ſunt, quæ Montibus præferunt eorum celſitudinem: de quibus hoc elogium conſcriptum.

C *Septem Roma tuos ne Gallis obijce montes.*
Non niſi naturæ debile inertis opus.
Septem Pariſijs mirandos ſuſcipe pontes
Non niſi diuinæ mentis & artis opus.

Quorum antiquorum Lutetiæ Pontium à Romanis extructos fuiſſe, non eſt improbabile. Non reticebo tamen referre de alijs in Gallia viſis; & primo de illo quatuor Neumaſo leucis diſtante, à fluuio dictus Pons Vari, triplicem arcuum ordinationem hic habet; ſuprema aquarum ductui, altera & poſtrema iumentis, hominibuſque via eſt: hæc ſex aſſurgit arcubus, media vndecim, ſuprema triginta: vniuerſus octoginta duos pedes altus eſt, duoſue coniungit montes. Mirum quod tam miri auctor operis ignoretur: quamquam priſcorum Romanorum Impp. reniteat in eo magnificentia. Alius Pons ſupra lacum Tigurinum, vnam eſt extenſus leucam. Tertius Lugdunenſis octingentorum paſſuum. Quartus Pons ſancti Spiritus propè Auinionem mille ducentorum paſſuum; vt ſupra Rhodanum hæc poſteriora
D duo.

Addimus quoque, Londini in Magna Britannia ad opportunitatem, & ornatum fluminis Tamiſis factum eſt, vt regnante Ioanne Rege Pons eſſet è viuo ſaxo nouendecim magnis fornicibus fabricatus: vtramque ripam Tamiſis iungens; cui ſimile in longitudine, latitudine, elegantia, & ſtructura altera Vrbs in Europa nec in Orbe toto hodie non habet.

De Albo Vestium Colore. A

Pag. 254 Cap. VIII. lit. B lib. 2.

QVoniam dum de Romanorum vestibus fumus prolocuti, & varia earundem genera & colores agnouimus: prætermissum fuit referre Romanis in vestitu Album colorem fuisse consuetum; quia is, vt Plato vult, lætitiæ proprius, & Deorum erat: siue potius agrestis illa & prima gens spretis asperitis coloribus lanæ natiuum retinuit, ideſt album. Ita Toga, Tunica, Calcei, & omnis quotidiana vestis Romanorum. Toga, inquam, Alba Titinnius poeta vetus.

Qui in Togis Candidis sunt, tunicis sordidis.

Agellius de Aristarco: *Eumque, cum esset reus, neque barbam dessisse radi, neque non candida veste vti, neque fuisse solito cultu recrum.* At Liberti noui communi Ciuium veste apparebant. Tertull. de Resurrect. Carnis: *Si famulum tuum libertate mutauerit; & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine; ac tribu mensaque honoratur.* Toga igitur alba. Statius in Syl- B uis: *Albentique humeros induxit amictu.* Nempe togam virilem ab eo colore. Et Martialis: *Et toga non tactas vincere ipsa niues.* Item: *Viuat & vrbanis albus in officijs.* Albus non ad pallorem, sed ad vestem.

Sed in hoc aduertendum, quamquam albi coloris essent præfatæ vestes à natura; candidæ autem seu splendentes vestes erant, quæ non solum insito lanæ colore, sed ab arte cretam addebant in vestem, vt candesceret, seu splédesceret: hac ergo nota discreti a vulgo vocantur, qui propriè prensabant, seu ambiebant magistratus, vt testatur Isidorus his verbis: *Toga candida eademque cretata, in qua Candidati, ideſt Magistratum petentes ambiebant, addita creta, quo candidior insigniorque esset.* Et ad hoc alluſit Persius, cum dixit.

Quem ducit hiantem
Cretata ambitio.

Et hunc colorem eximiè candentem spernit à sapiente Seneca, ibi: *Non* C *splendeat toga, nec sordeat quidem.*

Præterea diebus priuatim, aut publicè lætis togas recentes plerique sumebant, & vsu nondum sordidas, aut obsoletas. Ouid.

Vestibus intactis Tarpeias itur in arces,
Et Populus festo concolor ipse suo est.

Ecce vestes intactas, & recentes in simili dixit Persius.

Scilicet hoc populo pexusque togaque recenti,
Et Natalitia tandem cum sardonyche albus
Sede leges celsa.

Color enim ille à principio in omni toga niueus, habendo sordes, trahebat squalorem: quod licet ferrent in vulgata toga, non tolerabant tamen per festos dies; inde est, quod per ludos Candidati leguntur apud Martial. & apud Plautum in Aulularia scribitur.

Qui vestitu, & creta se occultant, & sedent quasi sint frugi.

In homines tenuiores, quibus cum copia mutandæ togæ non esset; tamen D vt nitidi, & melioris fortunæ apparerent, sub dies ludorum togulas suas incretabant. Nec Romani solum in lætitia, aut sacris adhibebant hunc colorem, sed etiam externi. Suet. in Augusto cap. 99. de Aegyptijs. *Fortè Puteolanum sinum præteruehenti vectores, nautæque de naui Alexandrina, quæ quidem tunc appulerat, candidati, coronatique & thura libantes, fausta omnia & eximias laudes congesserant.* Propter has togas albas Fullonum apud veteres creberrimus vsus, qui maculas & sordes è toga eluebant addito sulphure & creta: rarò tinctorum vsus.

Mutata Republica & Imperio labente, mirum quantum mutauerit vsus

vestium;

A veſtium; & apud paucos niſi honeſtiores toga remanſit. Vulgus ea ſpreta, abijt ad Penulas, Lacernas, Tunicas; eaſque coloris pulli: & hoc ſub Auguſto, de quo Suet. cap. 40. *Etiam habitum, veſtitumque priſtinum reducere ſtatuit: ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus acclamitans; en ait,*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Negotiorum Aedilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro circùue, niſi poſitis lacernis togatum conſiſtere. Irruperant per bella Ciuilia Lacernæ iam tum in Vrbem, quæ antea militiæ & caſtrorum. Propertius.

Texitur hæc Caſtris quarta lacerna tuis.

Et poſt Auguſtum magis, ac magis exoleuit. Adriani quidem temporibus vix in Senatoribus & Equitibus ius ſuum tenuit adiuta Principis edicto. Spartianus in Adriano: *Senatores, & Equites Romanos ſemper in publico togatos eſſe iuſſit, niſi ſi à cœna reuerterentur.*

Lacernæ in vſu vulgi, pullæ erant; niſi delicatus eſſet quiſpiam, qui ame-
B thyſtini, aut coccinei ſumebat coloris. Martialis.

Amator ille triſtium lacernarum,
Qui coccinnatos non putat viros eſſe,
Amethyſtinaſque mulierum vocat veſtes:
Natiua laudet, habeat & licet ſemper
Fuſcos colores, galbanos habet mores.

Seneca epiſt. 115. *Quod vides iſtos ſequi, qui lacernas coloris improbi ſumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quidpiam, quod hominum oculis tranſilire liceat.* Lacernæ coloris improbi purpureæ ſunt, quoniam inſolens ille color adhuc Senecæ temporibus & audax. Similiter in Penulis, quæ vulgo item pullæ: purpureæ tamen quædam lautiorum. Dio Caſſius lib 57. de Tiberio.

Pereunte toga ad interitum abijt color albus; & pullæ plebeiæ omnes veſtes: hinc pulla paupertas dicta à Calphurnio.

C *O vtinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet!*
Vidiſſem propius mea numina; ſed mihi ſordes
Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu
Obſtiterunt.

Hinc pullati, in Auguſto. Sueton. cap. 44. *Sanxit, ne quis pullatorum media cauea ſederet.* Quod edictum lucem dat Calphurnij loco:

Venimus ad ſedes, vbi pulla ſordida veſte
Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras.

Tunica liberorum hominum quoque alba. Ex Vopiſco in Aureliano: *Sciendum tamen congiaria illum ter dediſſe, donaſſe etiam Populo Romano tunicas albas manicatas ex diuerſis prouincijs.* Et Iuuenalis:

Sufficiunt tunicæ ſummis Aedilibus albæ.

Obijcit Verri Cicero, quod in officina ſedere ſolitus ſit cum pallio & tunica pulla.

Calcei item albi. Martialis.

D *Sordidior cœno cum ſit toga, Calceus autem*
Candidior prima ſit tibi, Cinna, niue:
Deiecto quid inepte pedes perfundis amictu?

Spartianus in Alexandro: *Faſcijs ſemper vſus eſt: baxeas albas habuit, non coccineas, vt prius ſolebant.* Baxeæ pro Calceis. Apuleius lib. 11. *pedeſque palmeis baxeis indutum.*

Fœminæ quoque apud Romanos veſtes albas deferebant, & præcipuè ingenuæ, ſi credimus Artemidoro de Interpretatione ſomniorum.

Quæ de Romanis ſunt dicta de veſte alba, idem intelligendum de Hebræis, quilanæ naturali colore, non arte tincta vtebantur; quoniam ſæpè

ipsis in vsu lotio vestium, vt in Leuit. cap. 14. 15. & 17. vbi præcipitur, quod qui aliquam immunditiam contraxissent, vestes lauassent: & inde multi inter illos Fullones, qui vestimenta purgabant: vnde *Ager Fullonum* prope Ierusalem, vt in 4. lib. 4. Reg. cap. 17. 18. Et in sacro textu frequentes alluſiones huic arti, vt in Isaia cap. 7. 3. & cap. 36. 20. & sanctus Marcus de Vestimentis Christi in Transfiguratione capit. 9. *Vestimenta eius facta sunt splendida, & candida nimis velut nix, qualia Fullo non potest super terram candida facere.* A

Nec demum prætereundus Ecclesiæ ritus circa vestem albam de recenti baptizatis, de qua Pontius Paulinus.

Inde Parens sacro ducit de fonte sacerdos,
Infantes niueos corpore, corde, habitu.

Et Lactantius.

Fulgentes animas vestis quoque candida signat
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Explicaui colorem togæ, ritum in candidatis, in diebus Festis: interitum togæ & mutationem vestis. Dixi de Penulis, Lacernis, Tunicis, & Calceis. Addidi idem in Fœminis; & Hebræis, ac etiam de Veste alba, quæ datur baptizatis de recenti. B

Ex Vestibus animus, & Indoles denotatur.

Cap. VIII. lib. 2. litt. C. §. Sed parua pag. 264. Parte secunda.

VBI habetur quod Amictus vestimentorum indicet morum nostrorum constitutionem. Vnde Aristoteles in lib. Physionomiæ c. 9. & 10. refert, quod complexiones, indoles naturalis, passiones, affectus denotentur principaliter ex vultu, oculis, naso, & fronte. Secundum indicium sit qualitas, seu gestamen vestimentorum: vt ex his dignoscatur apertè an quispiam dissolutus, aut modestus sit; leuis seu grauis; bonæ, seu malæ mentis. Ex vultu, vestitu, & agitatione corporis in persona Iuliani Apostatæ denotauit Gregorius Nazianzenus pessimum exitum de illo futurum: vt ipse in Orat. 2. in Iulianum inde exclamauerit in ea verba: *Vt hæc conspexi, statim prolocutus sum: quale malum Romanorum terra nutrit.* Vanitas & mores indecentes denotantur etiam in excessu vestimentorum; sicuti mulieres illæ reprehenduntur per Isaiam cap. 16. ibi: *Pro eo quod eleuatæ filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, &c.* Et infra: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & Lunulas, & torques, & monilia, & armillas. Et quæ sequuntur.* C

De Vsu inuitandi ad potum.

Pag. 326. Cap. XIX. lit. B. Parte secunda.

QVoniam iam supra aliqua diximus de prisco vsu prouocandi ad potum (vulgo *Brindesi* dictum) etiam apud Romanos commune aliqua addemus, de quo in sacro textu fit mentio, vt in lib. Esther capit. 1. vers. 8. dum sumptuosum Assueri conuiuium describitur sic loquitur de Vino: *Vinum quoque vt magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebantur; nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum.* Vbi abusus innuitur, qui etiam hodie in plurimis Europæ partibus præualet; vt prouocatus quispiam ad bibendum, inuitus quoque respondere cogatur, & in capit. vlt. prophetiæ Abacuc vers. 15. legimus: *Væ, qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius.* Quæ verba de eo intelliguntur, qui D

amicum

A amicum ad ebrietatem inducit; vt illum quasi alterum Noë in ludibrium habeant & derisum. Etiam apud Homerum de eodem vsu sæpius fit mentio, vt lib. 4. Iliadum.

Dij autem apud Iouem sedentes consultabant
Aureo in pauimento, aderat autem ipsis Hebe veneranda,
Quæ nectar infundebat, ipsi autem aureis poculis
Propinabant inuicem, Troianorum vrbem aspicientes.

Sic Vlysses in Odyss. porrigit pateram Aretæ ad potum.

Areta autem in manibus posuit poculum vtrinque ansatum.

Et de hoc more apud Romanos Iuuenalis satyr. 5.

——— *Quando propinat*
Virro tibi, sumitque suis contacta labellis
Pocula, quis vestrum temerarius vsque adeo, quis
Perditus, vt dicat Regi, bibe? plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa eicere læna.

B Inquit, *Contacta labellis*; quoniam qui ad potum inuitabant, modicum vini ex patera lambebat, & inde illam ad inuitatum porrigebat, Martial.

Qui nulli calicem tuum propinas
Humanè facis Herme, non superbè.

Et Apuleius lib. 10. *Heus puer, lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulso contempera, & affer parasito meo, simul quod ei præbiberim commoneto.* Ita etiam Dido cum parum bibisset.

Tum Bitiæ dedit increpitans, ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit auro.

Potus iste prægustatus à porrigente, *Philotesia* dicitur à Græcis; hoc est quippiam ad conciliandam amicitiam. Refert Pindari commentator: vt porrigens pateram ad potum, consuesceret eamdem inuitato donare; & vna cum potione poculum elargiretur. Quinimo Tiberius cuidam sibi ignoto officium Quæstoris contulit à nobilioribus ambitum; & id solum, *Ob epotam in*
C *conuiuio propinante se vini amphoram.* Consuetum quoque fuit, vt Architriclinius, seu symposiarcha, seu modiperator præscriberet numerum & mensuram potus in conuiuio. In aliquibus septentrionalibus regionibus mos est, grande vinarium vas in conuiuio afferri, è quo omnes bibunt, quod à priscis Græcis *Crater boni Dei, seu Boni genij* nuncupabatur. Abusus certè grandis, valetudini præiudicialis, cui calix diuinæ indignationis, de quo in sacris Paginis, respondere debebit. De prædicto Cratere Boni Dei refert Athenæus lib. 11 cap. 11. Metaniptron poculum est, quod iam cœnatis, postquam manus lauerint, præbetur. Antiphanes in Lampade inquit: *Post bellaria boni Genij poculum, quod libandum, & plaudendum esse monet.* Diphilus in Sappho.

Archiloche mihi hanc ostende Metaniptridem
Plenam, qua Ioui seruatori libemus atque bono Genio.

Callias in Cyclopibus: *Accipe hanc Metaniptrida Bonæ valetudinis.* Philætetus in Aesculapio: *Magnam Aponiptrida incussit, plenam vino par pari mixto,*
D *& deinde statim Sanitatis nomen est effatus.* Græci in conuiuijs, primum Deos salutantes, & paululum è cyatho effundentes, libabant: deinde amicos suos nominatim appellabant, quoties Deos, aut sibi charos homines vocarent, merum bibentes: id quod, vt censet Pedianus, vulgo dicebatur, *Græco more bibere.*

Colloquium, seu Silentium inter Conuiuas. A

Pag. 326. Cap. XIX. litt. D. Parte secunda.

QVoniam in Conuiuijs magis decet mutua nos consuetudine nostram in amicos beneficentiam declarare, quam ferculorum multitudine, & epularum, quæ plurimæ sint inuectarum copia: incidit modo satis opportuna quæstio: *An in conuiuijs Colloquium, aut Silentium sit magis accommodatum?* Et quamtumuis pro silentio aliqui litem soluant. Primo ex conuiuantium dissolutione, vt ex vltima Orat. in Verrem Ciceronis, ibi: *Erant conuiuia in illo silentio Prætorum & Imperatorum, neque eo pudore, qui in Magistratuum conuiuijs versari solet, sed cum maximo clamore & conuicio. Nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. Itaque erat exitus huiusmodi, vt alius inter manus è conuiuio tanquam è prælio auferretur, alius tanquam occisus relinqueretur: plerique sine mente, & sine vllo sensu iacerent, vt quisquis cum aspexisset, non se Prætoris conuiuium, sed vt Cannensem pugnam nequitiæ videre arbitraretur.* Secundò hoc idem probatur ex consue- B tudine Persarum, Medorum, & Chaldæorum, qui non colloquijs, sed nutibus solum sensus suos præcipuè inseruientibus in conuiuijs indicabant, vt testatur Origenes adductus à Pineda in cap. 3. Iob. in ea verba: *Posthæc aperuit Iob os suum.* Tertio Gregorius Magnus loquens de Conuiuijs filiorum Iob, inquit: *Penè semper epulis loquacitas sequitur; cumque venter reficitur, lingua defrænatur.* Quarto idem D. Gregor. in eodem loco inquit: *Vnde Diues epulatus prius quotidie dicitur splendide, & post aquam petere in lingua memoratur, quia inter epulas valdè defluere loquacitas solet.* Quinto Zeno philosophus à quibusdam Principum Oratoribus interrogatus, qui eo conuenerant in conuiuio: Quid referemus nos de tui præsentia ad Principem reuersi? *Nil aliud,* respondit Zeno, *quam Athenis esse senem, qui tacere sciat inter pocula.* Significans quanta valeat ex hoc in philosophum laus resultare.

Quamquam hæc adducta pro Silentio videantur vrgere: Colloquium tamen inter Ciuiles personas magis accommodatum censeo; vt inter exquisita C fercula addatur etiam gratia & suauitas colloquij modesti: præcipit Ecclesiastes cap. 32. vers. 4. (suppositio colloquio in conuiuio) *Loquere maior natu decet enim te primum verbum*; vt cæteri ex hoc instruantur. Mutum namque conuiuium Pythagoricæ scholæ esset imago: inquit enim Cicero lib. de Senectute: *Ego propter sermonis delectationem tempestiuis conuiuijs delector.* Et idem in epist. ad Pætum inquit: *Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionemque animorum, quæ maxime sermone efficitur familiari, qui est in conuiuijs dulcissimus.* Homerus 4. Odyss. fingit quod Helena in vinum conuiuij Pharmacum miserit ad abstergendum mœrorem, in quem locum Eustathius commentator inquit: *Si Homeri latentem prudentiam scruteris altius, dicit Macrobius lib. 7, cap. 1. delinimentum illud, quod Helena vino miscuit; non herba fuit, non ex India succus, sed narrandi opportunitas, quæ hospitem mœroris oblitum flexit ad gaudium.* Sic quoque cibus & vinum præcipuè lætificat cor hominis; si deponatur morum austeritas.

In hoc tamen vt in cæteris ab extremis recedendum, nec nimium sit col- D loquium, nec tota taciturnitas inter placidos conuiuas; vt inde A. Gellius lib. 13. cap. 11. dixerit: *Nec loquaces conuiuas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro & apud subsellia; silentium vero non in conuiuio, sed in cubiculo esse debet.* Ex quibus quæ pro altera parte adducebantur, diluuntur.

De

A

De Calido potu.

Pag. 327. Cap. XIX. litt. D. Parte secunda.

VSVS frigidi potus quamquam apud plurimos priscorum Romanorum in delitijs fuisset. Martial. lib. 14. epigr. 115.

Non potare niuem, sed aquam potare rigentem
De niue commenta est ingeniosa sitis.

Quod etiam eruditè probauit Franciscus Scachius de Salubri potu c. 2. & 3. Fuerunt tamen & alij multi, qui calida potione ita sibi complacuerunt, Iulius Pollux lib. 9. vt ad indignationem prouocarentur etiam, quando non fuisset à pocillatore satis calida facta ministratio potus. Seneca de Ira lib. 1. cap. 12. *Irascuntur boni viri pro suorum iniuriis: sed idem faciunt, si calida non bene præbeatur, si vitrum fractum, si calceus luto sparsus est.* Et idem lib. 2. c. 25. *Parum agilis est puer, aut tepidior aquæ potui erogata, aut turbatus thorus, aut mensa negligentia posita, ad ista concitari insania est.* Quibus auctoritatibus

B quantæ curæ esset calidus potus dignoscitur. Præterea idem vas quo bibitur, à Latinis *Calix* nominatur ab aqua calida; vt inde Varro lib. 4. inquiat: *Calix à caldo, quod in eo calida puls apponebatur, & calidam eo bibebant.* Quinimo calidus potus adeo communis & vniuersalis Romæ deuenit, vt essent ibi tabernæ, quibus aqua calida ad potum venderetur: vnde Claudius Imp. tanquam Censor hoc idem seuere prohibuit, vt refert Dio; & de Ampelio Vrbis Præfecto Ammianus lib. 28. hoc idem prohibuisse testatur: *Ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neuè aquam vulgariam calefaceret quisquam.* Et Caius Caligula tabernarium occidi præcepit, qui in diebus exequiarum Drusillæ calidam vendiderat; quasi vt actus impietatis esset in publico luctu delicijs inhærere: & Tiberius Claudius Nero Imp. potus intemperantiæ deditus populari lusu fuit nuncupatus *Biberius Caldius Mero*, vt interpretatur Lipsius, à potus caliditate. Apud Tacitum quoque mentio

C fit de calido potu lib. 13. Annal. his verbis: *Illic epulante Britannico, quia cibos potusque eius dilectus ex ministris gustu explorabat; ne omitteretur institutum, aut morte vtriusque proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc, & præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico; dein postquam feruore aspernabatur, frigida in aqua effunditur venenum.* Addimus etiam Philonem Hebræum lib. de Theoretica, vitam temperatam de coæuis suis describens; voluit quod malè se habentibus calida præberetur potio, his verbis: *Vinum per eos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, cæteris frigida, calida vero his qui inter seniores, tractantur delicatius.*

Nec apud Romanos solum fuit calidæ aquæ vsus, verum & Græci quoque consueuisse, maximè dum malæ essent valetudinis, seu ætate longæui, vt apud Athenæum lib 3 cap. 34. ex Alexidis Pythagorizusa inquit.

Aquæ decoctæ cyathum, quam si bibisses
Crudam, grauis fuit, & laborioſa futura.

Et ex Eupolide in Populis.

Ahenum calfacere nobis aliquem, & aquam
Iube decoquere, viſceribus vt auxiliemur.

D Antiphanes in Omphale.

Aquam in olla mihi qui coquat neminem aſpicere ſuſtinebo.
Non enim bene valeo & Dij faxint ne valeam: verum
Si tormina mihi ventrem, & vmbilicum cruciarent,
Adeſt à Phertato mihi dragma emptus annulus.

Ideoque apud Athenæum loco citato præcipitur, vt in hieme, & tempore veris sit calidus potus; in æstate vero frigidus. Philo Hebræus lib. de Vita Theoretica, vitam temperatam suorum coæuorum describens, refert vt communiter aquam frigidam biberent benè valentes, qui vero propter senectu-

tem

tem & ægritudinem malè essent dispositi calidam sumerent aquam, vt in his verbis inquit: *Vinum per eos dies non præbetur, sed aqua limpidissima; cæteris frigida, calida vero his qui inter seniores tractantur delicatius.* Hæc tetigisse sufficiant, vt ostendatur etiam apud veteres in delicijs fuisse calidum potum: & quamuis hodie in Europa communiter sit contrarius vsus frigidæ potionis ex niue in feruore æstatis dispositæ: vsus tamen calidi potus in præsenti apud Iaponas videtur restrictus; de quibus vt scribit Maffæus lib. 12. Indiarum historiæ: *Aquam vos gelidam, illi calefactam æstate pariter & hieme potant.* Et paulo superius: *Vsum vitis ignorant, oryza exprimunt vinum, sed ipsi quoque ante omnia delectantur hausti bus aquæ penè feruentis, insperso quem suprà diximus puluere Chia. Circa eam potionem diligentissimi sunt, ac Principes interdum viri suis manibus eidem temperandæ, ac miscendæ amicorum honoris causa dant operam, certasque habens ædium partes huic ministerio dicatas; in his sæculus assiduè flat, cortina è ferro liquato superimposita; inde venientibus & abeuntibus amicis pocula porrigunt.*

De Hospitalitate.

Pag. 334. Cap. XX. lib. 2.

SED præter ea, quæ de Hospitalitate alias diximus: addimus etiam Vrbem Romam ab exordio sui Imperij fuisse semper communem virorum patriam; vel ex eo habemus; quod nulli quamtumuis barbaro (si exuta barbarie frugalitatem, cæteraque morales virtutes apprehendisset) viam ad quoscunque magistratus; imò ad ipsum Imperium nunquam fuisse præclusam: etsi rectè calculum ponamus, inueniemus longè plures tunc aduenas imperasse, quam Romanos. Eadem & nunc hanc terrarum Dominam ducit Fortuna; vt quisquam non falsò dixerit.

Hospitibus mater, natis Vrbs Roma Nouerca:
Plena dat externis vbera, sicca suis.

Hinc omnium nationum ad hanc Vrbem concursus, quæ propterea hospitia introduxere etiam nationalia; scilicet Teutonum, Francorum, Iberorum, & similium: cum inter mortales nil magis societatem, humanitatemque magis conciliet, ac ius hospitalitatis; non Ciuili, sed naturæ, siue gentium primæua lege hoc ius introductum: & sanè vna hospitalitate nil apud homines sanctius, nihil Deo acceptius, sacra Christianorum Religio eam non consilio suadet, sed præcepto imperat: *Frange esurienti panem tuum, egenos vagosq; induc in domum tuam.* Et in extremo iudicio dicit Christus apud Matth. cap. 25. his, qui à dexteris erunt: *Possidete paratum vobis regnum. Hospes eram, & collegistis me:* Vt quoque maledictionem pronunciabit in eos, qui recusassent hospitium. Cumque sit etiam non modo priuatorum Ciuium, verum etiam ipsarum Vrbium summa laus, priuatas & publicas domos patere peregrè venientibus. Nobis in præsenti omisso priuati hospitij sermone; de publico tantum; vt quam longè in eo Vrbs Roma cæteras orbis Ciuitates (vt communem omnium parentem decet) excellat, demonstrabimus.

De hospitalitate à fratribus sanctissimæ Trinitatis.

Primum omnium hospitiorum, quo Peregrini & aduenæ quicunque & quocunque tempore benignè & humanissimè excipiuntur, est Xenodochiũ, seu Hospitium sanctissimæ Trinitatis in Vrbe prope Pontem, qui dicitur Xisti, à Xisto Quarto Pont. Max. structo. Habuit hospitium hoc initium sub Paulo III. à Crescentio Silua Senensi Presbytero satis tenue. Hic pius sacerdos, cum multos videret Peregrinos per Vrbem vagantes auxilio quorundam amicorum, quibus consilium suum cõmunicauerat (inter quos præcipuus fuit etiam S. Philippus Nerius) conduxit domum, eamque coemptis lectulis impleuit, ac Peregrinos quoscunque pro ædium capacitate, lectu-

lorumque

A lorumque numero hoſpitio ſuſcepit: inuenit etiam pium inſtitutum fautores, vt breui conſtruxerit templum pluribus coemptis ædibus circumiacentibus pauperum hoſpitio, templo ſacerdotibus cultui diuino addictis.

Hoſpitium adminiſtratur à Sodalitate Laicorum; ex quibus ego minimus præſenti hoc ſancti Iubilei anno MDC L. Camerarij munere fungor; quæ Sodalitas omnium neceſſariorum curam gerit: licet quocunque tempore hoſpitalitas ſumma humanitate exerceatur; anno tamen Iubilei, vt in præſenti reperimur ob ingentem Peregrinorum multitudinem pium inſtitutum magis eluceſcit: quia quandoque vna nocte enumerantur quindecies mille hoſpites; et ſi rationes totius anni quis ſubducat, inueniet hoſpitio exceptos fuiſſe præterito Iubilei anno MDCXXV. quingenties mille. Ingens hominum multitudo in ædibus hoſpitij proprijs licet ampliſſimis non continetur: vnde aliæ circumuicinæ pro anno Iubilei conducuntur: & cum ob id ipſum tum propter reliquos ſumptus multum æris alieni contrahatur, illud in ſequentibus annis, quibus ſumptus non excedunt, ſolitum eſt exſolui.

B Ordo qui exercetur charitatis, admirabilis eſt; vt illico ac hoſpites peregrè aduenium prima nocte eis pedes lauantur, fouentur, & quatenus opus ſit, medicamenta: præbentur ſeorſim à mulieribus viri; mulieres quidem obſequium recipiunt à præcipuis, & nobiliſſimis matronis, quæ vicarias præbent operas earum etiam, quæ ſtipendio conducuntur:: viri à Principibus viris, Prælatis, ac ipſis Eminentiſſimis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus à lauatione ducuntur ad menſam, vbi eoſdem lauatores mira humanitate, & humilitate habent epularum adminiſtros: imo anno MDC. Iubilei ipſe Clemens VIII. Pont. Max. ſex vicibus noſtrum hoſpitium inuiſit, & alba ſuccinctus ſindone pedes Peregrinorum ſanctis manibus lauit, eorumque menſæ aſtitit: nimium nobilis ſtructor, ſeu pincerna (vt ego tunc iuuenis recordor iam vidiſſe) ſupremum in ſupremo Principe Chriſtianæ humilitatis exemplum, grata Sodalitas æterna memoria, æreoque ſimulacro donatum voluit.

C

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.
QVOD XENODOCHIVM
PATERNA CHARITATE INVISERIT,
SINGVLARI LIBERALITATE
SVSTENTAVERIT
SODALITAS OPPORTVNA EIVS OPE
CONSERVATA, POSVIT MDXCVII

Quoniam Vrbanus Octauus Pont. Max. Anno Iubilei MDCXXV. non diſſimili liberalitate cum eidem hoſpitio eleemoſynas miniſtrauerit, & ipſe quoque ibidem inſeruierit, eadem Sodalitas hoc alterum monumentum erexit.

VRBANO VIII. PONT. MAX.
D CÆLESTIS HVMANAEQVE REI DISTRIBVTORI.
QVOD ANNO IVBILEI MDCXXV.
APERTIS VTRIVSQVE MVNIFICENTIAE VALVIS
XENODOCHIVM HOC AERE PLVRIMO IVVIT.
NOVA SVPELLECTILI AVXIT.
PRAESENTIA SAEPIVS
ILLVSTRAVIT
SODALITAS GRATI ANIMI MONVMENTVM
POSVIT.

Sicuti

Sicuti ex priſcis Annalibus noſtræ Archiconfraternitatis; iam tum ab anno quoque Iubilei MDL. Hanc hoſpitalitatem ferè incœptam; ac magis ſub altero Iubilei anno MDLXXV. Summum Pontificem Gregorium Decimumtertium vna cum Eminentiſſimis Cardinalibus, & Principibus eamdem hoſpitalitatem conſtat præſtitiſſe. A

Vt autem ad noſtrum inſtitutum thema reuertamur. Sublatis menſis Peregrini omnes preces canentes, & abſque alio ſtrepitu ducuntur cubitum: vt certè mirandum, quomodo tot diuerſarum nationum hominum millia adeo concorditer in vnum valeant conuenire. Hoſpitij tempus triduum eſt, ijs verò qui longinque veniunt, diutius protrahitur: at quoniam pio operi proprius Cenſus in eo Iubilei anno eſt longè impar, conferuntur tunc multæ & magnæ à Principibus, & probis viris eleemoſynæ; vt aliquando quidam integros ſumptus, ſeu partem illorum in ſingulos dies ſuppleant; ſed vt plurimum mos eſt ſingulis hebdomadibus cuiſpiam menſæ Curator, ſeu vt vulgo nuncupatur *Scalco* conſtituatur: iſte namque ea ſibi tota hebdomada aſſignata partem carnium, bellariorum, ſeu aliorum alimentorum in vſum omnium B eorum Peregrinorum de proprio apponit: quod ad ſummam pecuniarum non modicam aſcendit pro qualitate temporum, & numero Peregrinorum: & hoc potiſſimum dum exteræ Confraternitates proceſſionaliter ex diuerſis Italiæ ciuitatibus aduenium, quæ lautiſſimè conuiuantur, ijſque nobile & ſumptuoſum præſtatur ſeruitium.

Hoc certum, & grande miraculum euidenti Numinis prouidentia: numquam honeſtis epulis defuiſſe quicquam; adeo vt ſæpiſſimè cum nocturno tempore ſatis ingens Peregrinorum numerus aduenisſet poſt conſumpta omnia ad victum illius diei præparata: factum eſt improuiſo, vt ab ignotis comeſtibilia fuerint apportata ſuperabundantia in vſum opportunum prædictorum Peregrinorum, qui de nouo aduenerant.

Sed quoniam miracula in noſtro Xenodochio ſine intermiſſione continuata contingunt; ideoque propterea quia quotidiana vileſcunt. Non prætermittam referre anno 1599. præcedenti ad illud Iubilei MDC. cum etiam C Eccleſiæ noſtræ argentea vaſa, & aliæ ibidem neceſſariæ ſupellectiles oppignoratæ iam eſſent ad vſum hoſpitalitatis in ſequenti anno; nihilominus elapſo illo Iubilei anno non ſolum tunc omnes Confratres noſtri maximo ſumptu & Vrbis ſplendore ad ſanctiſſimam Lauretanam domum pro gratiarum actione completæ iam hoſpitalitatis, & ipſi quoque peregrinarunt; verum & ſequentibus menſibus ex eleemoſynis, quæ ſuperfuerunt ex tanta Peregrinorum exceptione, Cuſtodes & Confratres tunc temporis templum noſtrum conſtrui fecerunt amplum & magnificum in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis.

Nec diſſimile contigit in principio alterius ſancti Iubilei anno MDCXXV. cum eadem penuria maximè perſeueraſſet à primordio vſque ad finem illius anni; ſed quoniam tunc obijt D. Franciſcus Contarellus, qui quamuis viuens nunquam ex noſtris Confratribus, ſicuti nec vnquam ſolitus noſtrum Xenodochium inuiſere; tamen Diuino Numine ſubitò impellente iſte ditiſſimus tunc moriens, noſtram Archiconfraternitatem, & Xenodochium D ſupra quinquagies millium ſcutorum abſque vllo onere ſcripſit hæredem. Vnde Confratres æternæ memoriæ monumentum tale erexerunt.

FRANCISCO CONTARELLO NOBILI GALLO, CIVI ROMANO.
MATTHÆI CARD. CONTARELLI NEPOTI
SODALITAS SANCTISSIMÆ TRINITATIS
EX ASSE ABSQVE VLLO ONERE HÆRES.
IN OCVLIS CONFLVENTIVM AD VRBEM VNDIQVE POPVLORVM,
HOMINI OB BENIFICENTIÆ AMPLITVDINEM
VNIVERSIS NATIONIBVS OPTIME MERITO.
GRATI ANIMI MONVMENTVM POSVIT
ANNO IVBILEI MDC XXV.

Vnde

A Vnde ex his, quæ ſuperabundarunt in duobus præcedentibus Iubilei annis poſt tam immenſos ſumptus in Peregrinorum exceptione; verè potuerit Dei prouidentia confratribus noſtris præcipere, *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant:* ſicut & illi boni diſpenſatores & diſtributores in eorum hoſpitio & alijs pijs operibus ſemper perſeuerarunt.

Maxima eſt quoque pecuniarum penuria, in qua hodie noſtra Archiconfraternitas verſatur, præparatis iam victualibus & diſpoſitis domibus cum lectulis neceſſarijs ad hoc præſens hoſpitium in hoc Iubilei anno. Summam Dei prouidentiam credimus non defuturam; eiuſdemque Chriſti in terris Vicarium Sanctiſſimum Dominum noſtrum Innocentium Decimum ſuppleturum confidimus; ſicut & iam opulentam eleemoſynam ſubminiſtrauit: vnde iam noſtra Archiconfraternitas grati animi memor & illi quoque Monumentum cum Elogio erigendum deſtinauit.

B

C



D

PERORATIO.

VRbis, & Romani Imperij perluſtrato ſplendore: quoniam præ cæteris eiuſdem Imperij dotibus ab omnipotenti manu Dei collatis, nil æquè ſplendide coruſcauit; quam vt Vnigenitus Dei Filius humana carne aſſumpta; ſtatim ſe ciuem Romanum, eiuſdemque Imperij ſubditum in ea deſcriptione terreni principatus à Cæſare Auguſto facta, fieri permiſerit; ita Orſius: *Venit dicendus vtique Ciuis Romanus, Cenſus profeſsione Romani.* Vt illam ſcilicet Vrbem extolleret, in qua Summi Pontifices, eiuſdemque Chriſti Vicarij ſedem eſſent fixuri, & caput eadem totius Orbis, omniumque credentium eſſet habitura. Talis quippè fuit Vnigeniti Filij Dei humilitas, vt ipſe tamquam ſubditus in libris Romani Imperij ſe deſcribi, ac ſimul pro ſe Cenſum ſolui permiſerit.

Refert namque D. Thomas Doctor Angelicus: *In deſcriptione ſoluebatur Cenſus, ſeù Tributum in recognitionem debitæ ſeruitutis, non ſine myſterio; quia ille natus erat mundi Dominus, & Monarcha, cuius vices gerebat Auguſtus; licèt non intelligens, ſed nutu Dei; ſicut Caiphas prophetauit.* Cenſum namque Auguſtus impoſuit pro Ieſu, non autem pro ſe: vel ſaltem prophetauit Cenſum Dei Filio nato non auro vel argento, ſed corde & animo eſſe ſoluendum, vt loquitur D. Ambroſius. *Auguſtus exquirebat Tributum vice Chriſti, cum ipſe tantum ſit Dominus totius terræ; & Cenſus non eſt auri vel argenti; ſed animi, quem ſibi Chriſtus expoſtulat.*

Porrò ſi Chriſtus natus ſe Ciuem Romanum deſcribi ipſe paſſus eſt: Ego illi tamquam Romano Ciui & Summo Deo, ac omnium gentium Domino non alium certè Cenſum præ meis tenuiſſimis viribus magis opportunum, quam hunc libellum ex meis lucubrationibus de Vrbis & Romani Imperij ſplendore offerre valeo; ſicuti ex toto corde, animoque offero, dico, ſacro Tibi, CHRISTE, tuoque in terris Vicario, totiuſque Catholicæ Eccleſiæ Capiti viſibili, ac Summo Romano Pontifici INNOCENTIO DECIMO.

NDEX

INDEX RERVM.

A

ABVNDANTIA 426.A.
ADRIANVS primus 104.B. Adriani mors 147.D.
AEDILES plebis 349.

AEDIFICIA.

Aedificiorum laus vnde petenda 21. a. Aedificiorum Romanorum altitudo. 24. d. Eorum amplitudo, & ornamenta. 25.a.
Aedificia siue aedes Romanorum priuatorum vrbanæ, & rusticæ. 30. b.
Aelius Tubero contra munera inuictus. 148.a.
Aerarium militare eiusq. cura, & vtilitas. 16.c.

AGGER.

Agger Alex. Magni ad Tyrum, 64.a. Scipionis ad Carthaginem. 64.b. Cleopatræ ad Pharos, & Iul. Cæsaris ad Brundusium. 64.c. Iul.
Aggerum genera plurima. 65 c.
Aggeres Hollandiæ & Zelandiæ. 65.c. 66.a.
Aggeris ad Rupellam à Ludouic. XIII. extructi descriptio. 68.a.
Alba seu Camisum. 366.c.
Albericus Marotiæ Filius. a.
Alexandri Magni Imperium repente auctum. 3a.
Alexandri celebre dictum. 3.a.
Alexander qua ratione obtinuerit Imperium. 4.a.
Alexandri Seueri beneficentia 210.d. eiusdem parsimonia in cœnis 143. a. eiusdem moderatio & affabilitas. 145.d.
Alexander Cardinal Montaltus. 108.d.
Alex. II. 116. b. Alexander III. 217.c. Alexander VI. 118.b.
Amici Ambitio 20.a. quomodo parentur, 11. b.
Amicorum præsidium 11.b.
Amor populi inexpugnabile Principis munimentum. 147.b.
Amphitheatrum Titi 29.a. eiusdem per Gothos deformatio 84.a.
Amphitheatrum Vide Iudus in amphitheatris.
Animorum cultura quantum profit. 150.d.
Annibal 141.c. idem non nisi sub noctem cibum sumpsisse fertur. 143.a.
Anacletus pseudopapa. 117.a.
Annonæ præfectus. 283.d. 394.d.
Antonini Pij modestia. 146.a.

ANVLI.

Anulorum antiquitas, etymologia & materies. 268.a.b.c. Circa Anulos Pythagoræ præceptum. 268.c. Imagines in Anulis. 268.d. In Anulis Imagines Deorum, Principum, Amicorum. 269.a.b. In Anulis Militum pictus scarabæus. 269.b. Anuli significatus & Hieroglyphica. 269.a. Christiani etiam anulis vtuntur, & effigiant. 270.b. De vsu Anulorum. 270.d. In quo digito ferendus Anulus. 271.a. Aureus Anulus ingenuos à seruis distinguebat. 271.a. libertini argenteo, serui ferreo vtebantur. 271.b. fuit etiam Anulus Ferreus nobilitatis & bellicæ virtutis insigne. 271.b. Anulorum vsus libertis concessus non eximit illum à reuerentia quam domino exhibere debet. 271.b. Anuli hyemales & æstiui. 271.c. Anuli natalitij. 271.c. Anulorum munus. 271. c. Anulorum munus ab Innocentio Tertio Ricchardo Angliæ Regi exhibitum. 271. d. illorum Anulorum numerus, materia forma & color mystice quid significent. 272.a. Anulus ad signandum adhibitus. 372.b. De Anulis sigillarijs & eorum cursu æstimatione. 272. c.d. De Anulis ad claudendum; eorumque delineatio. 273.a. Anulus ad subhastandum iponsam. 273.b. 293.c. Anulus aliquando in testimonium inuiolabilis continentiæ traditus & seruatus. 273.c.

AVRVM.

Aurum coronarium & coronæ. 15.b. Vid. Triumphus. Aurum coronarium qualiter templis donatum. 16.c.
Austriaca domus reliquias possidet Romani Imperij. 2.a. retinet Aquilam Romani Imperij Symbolum. 2.c.

AVGVSTVS.

Augusti Imperium. 4.a. Augustus Domini appellationem exhorret. Imperio se abdicat. Senatorum precibus Imperium retinet. a. Augusti clementia. 138.b. facilitas. 143.a. parsimonia in cœnis. 143.a. Augusti fupus. 147.c.

APOCALYPSIS.

Apocalypsis delineatio. 127.c. Apocalypsis sensus mysticus, & obscurus. 128.a. Cur tam obscure scripserit S. Io. Apocalypsin. 127.c. Apocalypsis allegoricus sensus de combustione Romæ. 130.b.
Aphires Rex Aegypti. 408.

AQVA.

Aqua per canales in Vrbem deducta. 51.d. Aqua Appia. 52. a. Aquæ ductuum initium, & incrementum. 52. a. Aquarum abundantia in vrbe. 52.a. Aquæ ductuum numerus. 52.b. 54. a. eorum structura materia formæ, & impensa. 52.b. Aqua Virgo. 53.a. aqua Virgo sola potui idonea. 54.a. Aquæ aliæ vrbis. 53.b. Aquarum curatores. 54.b. Aqua lustralis & Asperiorium. 365.b.
Aquilæ effigies Romani Imperij Symbolum. 2.a.

ARMA SEV INSIGNIA.

De Nobilium familiarum armis ad longum. 260. & sequentibus. Eorum etymologia nominis, descriptio & vetustas. 260.a. &c. Arma hæc plerumque in militum armis exprimebantur. 260.a. Diuersarum nationum diuersa Arma referuntur. 260.c. Romanorum signa, & Arma Aquilæ signum & aquiliferi Draconis signum

gnum, & Draconarij lupæ signum. 261.a. Nomen Imperatoris Vexillis inscriptum. 261.b. Obseruata in armis Gentilitijs. 265.c. Colores in armis & insignibus. 262. D. Color violaceus rarus in armis. 265. d. Iconis in armis origo. 263.d. Variæ describuntur Leones in Tesseris, armis seu vestibus. 263.d. Quæ inter arma plus nobilitatis & antiquitatis præseferant. 265.d.

Arnaldus de Brixia hæresiarcha eiusque errores & sectatores & quanta ex eius doctrina processerint mala. 100.d. 101.a. 116.d. 117.b.

Argenti vsus. 75.d.

Architectonicæ inuentio. 24.b.

Artium mechanicarum vtilitas. 151.b.

Asylum. 417.d. 10.c.

Auaritia 20.a. eius Damna. 92. c. Auarorum infelicitas. 293. vide diuitiæ.

Augures & Augurandi ars. 370. b.

B

BABYLON.

BAbylon Romæ typus & figura. 125.a. Babylonis muri. 21.c. Babylon quomodo capta. 125.a,

BALNEA SEV THERMAE.

De Thermis & Balneis diffuse. 314. & sequentibus. De eorum nomine, amplitudine & numero. 314. Thermæ diuersorum. 314.b.f. Balneorum diuisio, & vsus. 316.b. Balnea ad sanitatem & ad tollendam lassitudinem inseruiebant. 316. b. Alia balneorum commoda, & vtilitates. 316. a. Balneis qua ratione vti debeant Christiani. 317.b. Christum Dominum balneis vsum fuisse probatur. 317.b. Balnea post exercitia. 317.d. De Vnctione in balneis. 318. Vngendi officio fungebantur serui. 318.c. De Vnctionis instrumentis, & cæteris balneorum vtensilibus diffusè. 318.d. Balnea pro viris & mulieribus separata. 320.a. Quo tempore balnea paterent & de Thermarum ære seu Tintinnabuli. 320. a. Balnea antè sacrificia. 321. c. Equites à Balneo dicti in Anglia. 321.d.

BAPTISMA.

Sacra Baptismatis vnda innatum corporibus hominum fœtorem expellit. 321.a.

BASILICA.

Basilicæ Constantinianæ seu Lateranensis casus & incendium. 105. c. eiusdem restauratio. 105. c. 112. a. Basilicæ Apostolorum per Romanos Pontifices restauratæ & ornatæ. 104.b. Basilica & confessio S. Petri. 100.b. 112.c Hemisphærium eiusdem. 108.b. Basilica Liberiana. 105.a. Basilica S. Laurentij Martyris. 104. a. 105. a.

BENEDICTVS.

Benedictus Secundus. 116.a. Benedictus Septimus. 116.a.

Belisarius eiusque fortitudo & prudentia. 82. d. Belisarius muros Vrbis instaurat. 83.b. 103.c.

BELLVM.

Belli sunt sicut & pacis iura. 139. b. Belli indictio per fetiales. 371. a. Vide Militia, etiam.

BIBLIOTHECA.

Bibliotheca insignis Ptolemæi. 42.a. Bibliotheca Vaticana. 106.c.

BONIFACIVS.

Bonifacius IX. 118.a. Pontificiam restituit Maiestatem. 101.c.

Borbonici exercitus in Vrbem irruptio. 107.b.

C

CACVS.

CAcus latronum Princeps. 369.d.

Cadalcres pseudopapa. 116.b.

CALCEI.

Romanorum Calceus, & solea. 257. d. Calcei lunati. 257.d. Calcei lunati quid moneant. 258.a. lunula in calceis. 274.b. olim nobilitatis index. 274.c. Calceorum color. 258.a.

CALIGVLA.

Caligula cuidam equo nimium addictus. 203.b. Caligulæ luxus in cœnis. 143.d.

Cambyses obeliscis parcit. 41.d.

CAMPVS.

Campus Martius de eo diffusè. 387.f.

Campus sceleratus. 375.c.

Capitolium eiusque Aedificia. 25.b. 112.c.

CAROLVS MAGNVS.

A Pontifice Romæ excipitur, Donationem Patris Ecclesiæ factam confirmat, in Basilica S. Petri coronatur. 85.a.b. eius erga Rom. Ecclesiam reuerentia 92.c. eius funus. 347.d.

CAESAR.

Cæsaris celebre dictum. 3.a. Cæsar Imperium vsurpat. 4.a. Cæsaris Clementia. 138.c. Cæsar Valentinus Borgia. 118.b. Castimonia in Duce laudata. 410.c.

Censores. 153. c. 395.b.

CHRISTVS.

Christus, Christiani. 48. b. Christiani milites pluuiam à Deo precibus impetrant. 48.b. edictum in fauorem Christianorum Marcus Aurelius sancit in tanti beneficij gratiam. 48.a. Alex. Seuerus pro Christianis rescribit. 134. c. Christiani ad arenam damnati. 58. a. 77. a. Christianis Gentilium nomina filijs imponere vetitum. 58.a. Christianorũ grauissima persecutio. 368. d. Christianorum persecutiones decem. 77. d. Christianorum primus Nero persecutor Romæ. 134. b. Christi Domini omnis actio nostra est instructio. 168. a. Christi Domini Hierusalem in die Palmarum ingredientis Triumphus cum triumphis regum terræ comparatur, & illius diei euangelicus textus elucidatur. 185.d. & sequentibus. Christi Domini regnum in cælo & in terra. 188. a. Christi Domini regnum à prophetis prædictum. 188.c. Christi Domini regnum sempiternum. 158.a.

158.a. Christum Dominum Regem Magi adorant. 188.d. Christi Euangelium in Indijs ante Columbum prædicatur. 162.a. Christi Domini Regnũ quare & quomodo dicatur non esse de hoc mundo. 189. a. Discrimen inter Christi Domini regnum, & regnum regum Terræ. 189 a. Regni Christi Domini post gaudium securitas, & duratio. 189. c. Christiani in Concilo Carthaginensi ludis & spectaculis prophanis arcentur. 194. c. Christianæ religionis propagatio. 160.c. Christiani à Gladiatorijs & Venatorijs ludis abhorrent. 220.a. Christiani ad Bestias damnati. 220.d-227.d. A Bestijs dilaniari propter Christum desiderant. 220.d. Christus leo de Tribu Iuda. 264. Christianorum Anuli & quæ symbola in anulis impressa. 270. b. Christi signum, & alia Christianorum Symbola. 270. c. Christiani inuicem salutant pacem precando vel annunciando. 280.b. Christianæ etiam sternuẽtibus benè precantur. 283.a. Christiani qua ratione balneis vti debeant. 317. b. Christum vsum fuisse Balneis demonstratur. 317. b. Christus discipulorum pedes lauit. 317.d. Christianorum conuiuia qualia. 330. c. 334. Christum inisse conuiuia more Romano. 330. d.

Cybeles Deorũ Mater eiusque Sacerdotes. 371.c.

Cinna moriens heredem scribit Augustum. 138.b

Cyrus eiusque Imperium 3.c. Cyri Domus. 22.c.

CIRCVS.

Circus Maximus. 196.a. Circus Flaminius. 166.d Circus Caracallæ. 197.a. Circus Vaticanus seu Neronis. 197.b. Circus Sallustianus. 197.a. Circus extra portam Lauicanam militari voluptati extructus. 197. b. Circus quibus Dijs sacer. 197.b. Circi carceres. 197.d. repagula equorum. 198.a. De ordine Cursorum. 198.b. De Mappæ signo. 198. b. de signo Tubæ. 199.a. De eius & delphinis. 199. a. Circorum Obelisci. V. obelisci. Pollentiæ & victoris simulachra in circis. De Euripis & Metis. 199. d. 200.b. De Spina Circi. 200.b. Circenses ludi V. ludi.

Ciues Romani V. Verbo Roma.

CLAVES.

Claues B. Petri miraculum operatur Antlarith Lẽgobardorum Rex eo prodigio conterritus auream clauem cum ea Romam transmittit. 84.a.

Claudius Æsopus histrio. 143.c.

Cleopatra Aegypti Regina vnionem aceto liquefactam ab sorbet. 143.c.

Clemens Septimus. 107. B. Clemens Octauus. 109, a.

Cloacæ de illis diffusè. 54. & sequentibus.

Cœlorum regnum vim patitur. 205. b.

COLONIAE.

Coloniarum Romanorum vtilitas, genus, numerus, & deducendi earatio. 9. c.f.

Color vestium. V. vestes.

Colossus Rhodi. 22. b. Color Violaceus olim Cleti. 265. d. colosseum seu Amphitheatrum. 214.d. 215.c.

Columbi felix nauigatio in occidentis Indias. 163. d. 161.b.

COLVMNAE.

Columnæ in vrbe. 44. c. in vsum sepulchrorum adhibitæ. 44.c. 353.c. Columnæ ante Basilicam Liberij. 44.d. 109. d. Columnæ Traiani & Antonini. 45.c. 47. b. Columna Antonini egregium Christianæ religionis miraculum insculpum continet, Cuius historia describitur. 47.d. 48.b.

COMOEDIA.

Comœdia quid sit. 233. c. Comœdiæ etymologia. 233. d Comœdiæ varia genera & nomina. 234.a. Comœdia deteriores imitandos proponit. 234.c. Risus iocique tractatio in comœdia. 234. d. Ridiculum quare & quando in comœdia. 234.d. De Mimis, Morlionibus agitur. 235.b. Comœdia & Tragædia quomodo differant. 335. d. De Socco, & Cothurno 236.a. Icones comœdorum cum Soccis. 237.c. d. De scenæ obscenitate. 238.a.

COEMETERIA.

cœmeteri a SS. Martyrum in Vrbe. 56.b. cœmeteriorum accurata D. Hieronymi descriptio assertur. 56.b. de cœmeteriorum nomine & vsu alijsque ad ea pertinentibus. 56. c. & sequentibus. cœmeterium Hebræis proprium via Portuensi. 59.c. 60.b.

commercia tractanda. 420.a.

comites Tusculani, eorumque in Vrbe potentia. 115.c.

COMITIA.

Comitia. 385.a. Vnde dicta. 385.a. comitiorum diuersa genera. 385. a. De tempore & personis, causis & suffragijs comitiorum. 385. & sequentibus.

Concilium Constantiense. 101.c.

Concordiæ vtilitas. 11. a,

CONSECRATIO.

Consecratio seu Apotheosis. 356.a. De eius Ritibus & Pompa late agitur. 356.a. consecrati inter diues relati dicebantur. 356. a. consecratis flamen & sodales & templum addebantur. 357. a. consecratio ante Romanos in vsu. 357.b. Qui apud Romanos consecrati & quibus Diuorum honores habiti. 357. c. Diui cognomen non dabatur viuis ex. 5.c. 358. a.

consilium seu consultatio. 408. d.

CONSTANTINVS.

constantinus 78.d. eius pietas 21c. modestia. 29.c. benignitas. 146. a. 136. d. eius clementia. 138. c. in Rom. Pontif. obsequia. 7. a. Imperium transfert ab Vrbe constantinop. ædificat. 794. In Laterano Palatio Basil. Saluatori ædificat. 79.b.

constitutio. 399. d.

consuetudo. 399. d.

Coronæ vid. Triumphus.
Corpora vniuersa constitutum terminum trãscendere non valent 168. b.
Crescentius Nomentanus. 116. a.

CRVX.

Crucis Lignum obeliscis superpositum. 108. c.
Crucis Lignum in tectis sculptum. 48. b. Cruces coloribus in sacris expeditionibus habuerunt initium. 426. c.

D

DAcia in prouinciam Romani Imperij redacta. 47. b.
Dacici belli causæ: Dacici milites quales. 47. a.
Danielis statua Imperiorum mundi Typus. 168. c
Decemuiri. 394. c
Denunciatori quando credendum. 409. d.
Desperatio aliquando bene gerendæ rei causa est. 404. b.
Deuastationes Vrbium finitimarum per Romanos. 363.

DEVS.

Deus mala quomodo permittat. 3. d.
Deus vnicuique semper præsens. 133. b. A Deo in omnibus incipiendum. 133. c. Quod Deus vnus sit. 135. b. Dictator 393. b. Dignitates produnt, non producunt scelera. 5. a.

DIOCLETIANVS.

Eius res gestæ. 76. d. Deponit Imperium, & quare. 78. b. Ceremonia adhibita ab eo in depositione Imperij. 78. c. Venero moritur 78. c

DIVITIAE.

Diuitiæ Romanorum quomodo creuerint. 12. a.
Diuitiæ priuatæ 18. a. Publicas priuatis anteferebant Romani. 19. d.
Diuitiæ Romanorum, à quo fonte prouenerint. 72. d. 74. c. 75. d.
Diues quis haberetur apud Romanos. 18. a.
Diuites apud Romanos & ex Plebe. 19. a.
Diuitiæ Crassi. 18. a.
Diuitiæ Salomonis & Templi Hierosolymitani à quibus deprædatæ. 73. a. 73. a. 75. c.
Diuitiæ Persarum. 74. a.
Diuitiarum commoda, & incommoda, seu damna. 17. c. 293. 4.
Diuitiarum caducitas & vilitas. 18. d.
Diuitiæ auaris inutiles. 292. c. Magnum auaris flagellum partis diuitijs non posse, seu nescire vti. 293. a.
Dominicus Fontana Architectus. 108. d.
Duumuiri. 371. d. 392. d.

E

ELectio qualis esse debeat Iudicum, & Magistratuum. 397. d.
Eloquentiæ vtilitas. 149. b.
Elephantes funambuli. 241. d.
Ephod. 366. d.
Epulones. 372. a.
Equites. 153. b. Equites à Balneo dicti in Anglia. 321. d.
Equitum varia genera: 155. Qui & quomodo in ordinem equitum venirent, & equestris Census. 154. c.
Equo nimium addictus Caligula. 203. b.
Equo cuidam mortuo sepulchrum positum in Vaticano. 204. c.
Eruditio, sine virtute vitiorum mater; cum virtute felicitatem parit. 150. c. Duci necessaria. 310. b.
Eugenius Quartus. 118. b.
Exempla Principum populorum documenta. 136 a. 139. a.
Exercitij ad sanitatem vtilitas. 318. a.
Ezechielis Visio 4. Annalium elucidatur. 265. a.

F

FAbritius Luscinus contra munera inuictus. 148. b.
Facilitas amorem conciliat. 146. a.
Fames in Vrbe validissima tempore Belisarij. 83. b
Farnesianum palatium. 107. c.
Fastus odiorum origo. 146. c. Faunus Aborigi-num Rex, & Fauni soror. 369. b.
Feciales. 371. a.

FIBVLAE.

Fibularum descriptio, materia, forma, vsus, & diuisio. 274. a. 275. a.
Fibulæ vestiaria. 274. a.
Fibula in calceis vide verb. calceus.
Fibularum varia genera. 274. c. d.
Fibulæ viris & mulieribus communes. 275. a.
Fibulæ Militum Imperatorum, & summi Hebræorum Sacerdotis. 275. b. c.
Fibula Flaminum, & Vestalium. 274. d.
Fibula ad virilia coercenda. de modo, causa & fine huiusmodi infibulationis late. 776.
Infibulatorum hominum figuræ. 277. b. c.
Fibulæ mulierum ad os, & ad nares. 277. c.
Figuræ indifferentes Christianis permissæ. 60. b.
Figuræ Christianorum etiam indifferentes mysterium rec onditum habebant. 60. c.
Flamines, nefas illis sine pileo egredi domum. 370. d.
Flammeus. 261. c.
Fodinæ auri, & argenti. 13. d. In Italia fecundissimæ. 14. a. Ad metalla multi damnati. 13. d.
Formosus Pontifex, aduersus eius cadauer execrandum scelus. 99. b.
Fora Vrbis, eorum numerus & ornamenta. 27. d 28. a.
Forum Traiani. 46. a.
Forum Agonale. 112. c.
Frangipanorum familia. 100. c.
Frumenti in pauperes distributio. 283. d.
Frumenti distribuendi curatores. 284. a.
Fullones. 450. a.

FVNERA.

De funeribus Romanorum. 342. a.

Funerum ritus diffuse describuntur. 342. & sequentibus. Mulieres in funeribus ad Nenias & lacrymas conductæ. 342. c. 346. d. Morientium verba vox obseruata, & quare. 342. b. Morientis anuli ei, qui carus morienti esset tradebantur. 342. c. Quis spiritum morientis exciperet. 342. d. Lumina quis clauderet. 333. a. De lamentationibus funeris, & similibus de angustiationibus. 343. b. 346. d. Luctus tempus fœminis constitutum. 343. b. Ritus diuersus in funeribus nutriendi, seu radendi barbã. vel comam. 344. c. Apud quos comprimendus luctus. 344. c. Plangendi qui moriuntur in anima. 344. c. De ablutione, & vnctione cadauerum. 344. d. De Libitinarijs ideſt funerum curatoribus, & alijs ministris deque eorum munere. 345. a. Libitina Dea sepulchrorum præses. 345. a. Planctus Sacerdos. 345. c. Curatio cadaueris. 345. c. Nouendiales ludi in mortui honorem. 345. c. Stipes in ore, 346. a. Productio cadaueris. 346. a. Cupressus funestæ domus Index. 346. b. Exequiarum indictio. 346. c. Funeris pompa late describ. 346. d. Pauperum funus. 346. c. Funeris ductor. 348. d. Liberi pileati funus antecedentes. 348. a. Faces in funere. 348. c. Funebris laus. 348. d. Rogus. 348. d. De cœna funebri in rogo alia; alia domi fieri solita. 341. a. Rogi lustratio. 349. b. Crudeles alij ritus in funere. 341. c. Collectio Cinerum, & eius ritus. 350. a. De lino Carbasino quo vtebantur ad colligendos cineres. 350. c. De vrnis cinerum, & phialis lacrymatorijs. 350. c. Consuetudo cremandi corpora, quousque manserit apud Romanos. 351. a. Subterraneum conditorium in auctoris vinea repertum describ. 351. b. Cadauera, quibus Aromatibus incorrupta seruarentur, absque viscerum extract. 351. d. Romanor. cadauera arom. condita post plurima sæcula absque corrupt. læsione reperta. 352. b. Lucerna ad sepulchrum. 352. c. De varijs defunctorum monumentis, & sepulchrorum ritibus ornatu, & situ. 252. & seqq. diffusè. Priscis Aeui mos fuit mortuos extra Vrbem sepelire. 353. d. In Christianorũ sepulchris, seu Cœmeterijs Crux poni solita. 354. d. Thesauri recondit in sepulchris. 355.

G

GEntiles ex gentibus etiam aliqui salui facti sunt. 380. b. Gladiatores, vide ludi Gladiatorij.
Goliath ensis Deo consecratus. 173. c.

GOTHI GOTHORVM REGES EORVMQVE RES GESTAE.

Gothi Vrbem capiunt & diripiunt. 33. b. 80. d.
Gothorum Rex Alaricus Vrbem obsidet, & capit 79. c. 80. a. Milites à cæde hominum præcipit abstinere à direptione sacrorum se continere & omnibus, qui ad Basilicæ sancti Petri confugissent parcere. 80. b. Basilicæ beati Petri vasa iussu Alarici magna pompa ad illam reportata. 81. a. Quare Deus permiserit Alaricum Vrbe potiri. 81. a. Gentiles hanc Vrbis cladem in Christianam religionem referunt. 81. b. Alaricus Italiam deuastat. 81. c.
Gothorum Rex Theodoricus pro Zenone Imperatore perduelles debellat. Orientale fustea tentat Imperium. 82. b. Italia vniuersa potitur, regnum optimè administrat, ita vt Romani eius regnum perpetuum exoptent. 193. b. Crudelitatem induit. Io: Pont. & Boethium vita priuat, eius mors, & pœna. 82. c. Vitiges Gothorum Rex Vrb. ingredietur Belisario ad tempus cedit. 82. d.
Gothi Basilicis Apostolorum, eorumque ministris parcunt. 83. b.
Græcia in magnam Italiæ partem transfusa. 149. b.
Gregorius Septimus Pontifex Ecclesiasticæ libertatis vindex. 100. b. 114. c.
Gregorius Vndecimus Auenione Romam redit, Sedem & salutem referens. 105. d.
Gregorius Decimustertius.

H

HEbræi in Transtiberina regione degebant. 59. a.
Hebræorum vilia exercitia. 59. d.
Heliogabalus araneas colligi imperat. 33. c.
Hellespontus eiusque latitudo. 63. d.
Hemisphærium Basilicæ sancti Petri. 108. b.
Henricus Card. Caietanus. 108. d.
Henricus Tertius Romam occupat. 100. b.
Hercules 369. d.
Hercules Cacum occidit. 370. a.
Hercules Thesaurorum Deus habitus. 370. b.
Herculi ara erecta, quæ max. vocatur. 370. b.

HAERESES ET HAERETICI.

Hæreses ruina Romani Imperij. 86. b.
Hæresis Arnaldi de Brixia. 100. 116. d.
Hæreses Caluini, & Lutheri & damna inde Ecclesiæ secuta. 102. b. Explicatur D. Pauli sententia, oportet hæreses esse. 103. a.
Hæretici, & Schismatici à communione fidelium semper excluſi. 58. b.
Hæretici Donatistæ, nec templum, nec locum obtinent in Vrbe. 58. d.
Hæretici Arriani Ecclesiam sanctæ Agathæ occupant. 59. a.
Hæreticorum libri igni damnati eorumque nomina deleta. 59. b.
Hæreticus qui à Romanæ Ecclesiæ communione diuiditur. 89. a. 90. d.
Hieroglyphica. 265. c.
Hieroglyphicorum Ægyptiorum obliuio, seu ignorantia. 44. a. interpretatio. 44. b.
Hilaritas vultus. 410. b.
Historici numquã mori Principem patiuntur. 30. a 30. a.

Hollandia à Mechanicis laudatur. 151. c.
Hollandi eorumque conditio. 9. a. 151. d.

HOMO.

Humani cordis capacitas, insatiabilitas. 17. c.
Humana iactantia. 188. c.
Humanarum rerum vicissitudo. 20. a. 189. b. 188. d.
Hominis vita scenæ comparatur 249. d.
Honor huius sæculi. 26. c.
Horologium in Campo Martio. 387. c.
Horti Pensiles. 21. d.
Horti Quirinales. 211. d.

HOSPITALITAS.

Hospitalitas nullibi magis culta quam Romæ. 434. b.
Hospitalitatis origo & causa. 334. b.
Hospitalitatis laus, & pretiositas. 334. d. 434. c.
Hospitalitas Abraham & Loth. 335. a.
Hospitalitatis Tesserę de illis & eorum vsu diffusè. 284. & sequentibus item 336. c. 341. a.
Hospitales Dij. 335. a.
Hospitalis Iuppiter, seu Templum & Ara Iouis. Hospitalis. 335.
Hospitalitatis officia. 336. d.
Hospites quare venerandi. 336. a.
Hospites adorati, & quomodo. 336. b.
Hospitis quanta religio apud Romanos. 335. c
Hospitia publica. 336. c.
Hospitia omnium Nationum in Vrbe. 334. c.
Hospitium, & Xenodochium sanctissimæ Trinitatis, de eius initio, progressu institutis, & singulari Hospitalitate, &c. diffusè. 434. d. & sequentibus.

HOSTIS.

Hostilia consilia indagànda. 403. d.
Hostis non contemnendus. 404. a.
Hostibus fugientibus laxanda via. 404. b.
Hostilium locorum cognitio vtilis. 404. c.

I

IAnus signati nummi inuentor. 290. c.
Iani veteres nummi delineati. 291. a.
Iauum aliqui credidere fuisse eumdem ac Noe & Saturnum ipsum 295. c. A Iano Ianuarius mensis. 291. c.

IDOLVM ET IDOLOLATRIA.

Idolorum origo, & Idololatriæ. 134.
Idolum Mutini, seu Priapi. 299. Sancti Ignatij Antiocheni Epispc. Martyrium. 221. a.

IMPERIVM.

Imperium Romanum, vide Romanum Imperium.
Imperij Assyriorum, & Chaldęorum initium. 3. c.
Imperium Medorum, & Persarum per violentiam introductum. 3. c.
Imperium Græcorum quomodo inceperit. 4. a
Imperia 4. mundi à principio, per violentiam vsurpata. 2. c.
Imperator an de Iure sit dominus mundi. 93. a.
Imperatorem stantem mori oportere dixit Vespasianus. 145. c.
Imperia cum ad summum peruenerint non augentur amplius. 168. b.
Inconstantia huius sęculi. 187. c.
Inconstantia plebis 187. c.
Indiæ, in Indias Orientales, & Occidentales nauigationes quando, & à quibus institutæ. 160. c. Probatur diffusè in Indias Occidentales ante Columbum Euangelium Christi penetrasse. 162. & seqq.
Indiæ Occidentales etiam ante Christum natum patefactæ. 163. c.
Ingenia mediocria laudantur. 151. a.
Ingenia magna qua ratione temperanda. 151. a
Innocentius Secundus. 116. d. Innocentius Decimus. 112. a.
Insula Tiberis nunc sancti Bartholomęi. 61. d.
Inuitationis ad bibendũ vsus, & abusus. 430. c. d
Iouis Olympij simulacrum. 21. c.
Iouis Templum. 61. d. 62. a. 122. d.
Iouis pluuij imago in Columna Antonini. 48. b.
Ira Mulierum 311. a.
Iudæi quos psalmos post cœnam recitare soliti. 333. a.
Iudæorum corpora per baptismum à sętore liberantur. 321. b.
Iudæ Machabęi in mortuos pietas. 48.
Iulius Secundus primum lapidem solemniter posuit pro nouo Vaticano Templo. 106. d.
Iuramentum per Iouem lapideum. 123. a.
Ius, & Iustitia. 396. d. 423. d.
Iuris varia genera. 398. d.
Iuris ciuilis origo. 399. a.
Iurisdictio. 421. d.
Iustitiæ insignia. 424. a.
Iustitiæ index gladius. 324. a.
Iudicis recti conditiones. 4v4. c.
Iudex Ius animatum.

L

LAbor omnis leuis est, qui æternitate coronatur. 178. b.
Labore omnia, & sudore constant. 204. d.
Lacerna, vide Romanorum vestimenta, & in verbo Milites, & militia.
Laudat Amicus ne crede, mentitur amor, laudat hostis crede. 127. c.
Laus vera vnde. 267. b.
Lateranensis Ecclesiæ casus, & incendium. 105. c
Legari ritu receptum ne indonati dimittantur. 148. b.
Legio Fulminatrix, vel fulminea vnde sic dicta. 48. b
Leo Tertius, Leo Quartus. 104. Leoninam vrbem ædificat. 85. d. Leo Decimus 107. a.

LEX.

De Legibus. 398. a.
Lex quid sit, legis virtus. 399. c.
Lex naturæ omnium æquissima. 398. b.

Leges diuersorum celebres. 398. c.
Leges 12. Tabularum. 399. a. De alijs legibus editis, constitutionibus, & consuetudinibus apud Romanos. 399. b. Priuilegium priuata Lex. 400. a. Sine legibus vixit per plures annos Populus Romanus. 400. a.
Leges primum incisæ in ære, & quare. 400. a. Quare Decalogum scripserit Deus in tabulis lapideis. 400. b.
Legis Dei obseruatio possibilis. 400. c.
Liberalitas in Duce. 410. d.
Lictores vnde dicti. 393. a.
Lites quam molestæ sint. 424. c.
Litterarum vtilitas, & gloria. 149. d.
Litteratis honor exhibitus. 150. b.
Locus dictus Muro Torto, B. Petri protect. seruatus, & custoditus. 83.

LONGOBARDI.

Antharit h Longobardorum Rex. 84. a. A Longobardis Roma seruatur illæsa. 82. a. Astulphus Longobardorum Rex, victus à Pipino 84. b. Eius impietas. Diuino ritu percussus extinguitur. 84. d. Desiderius Longobardorum Rex Vrb. obsidet à Carolo Magno superatur. 85. a.
Lucernæ ad sepulchrum. 352. c.

LVDI.

De Ludis, seu spectaculis Romanorum. 190. b. Effusio Thesaurorum in ludis. 190. c. De moribus Theatralibus. 191. b. Qua ratione à Christianis Imperatoribus Gentilium ludi celebrati. 192. a.
Ludi ioculares in magna æstimatione habiti. 192. b.
Ludi quare ab Imperatoribus instituti, & quales instituendi. 193. a.
Ludi Græcorum. 193. b.
Ludi Dijs Gentium consecrati. 195. a. 197. b. Populus Romanus sponte in ludos stipem spargebat. 248. d. De planctu, & sibilo in ludis. 248. c.

LVDI CIRCENSES.

De ludis Circensibus diffusè. 194. b. 200. & sequentibus. Circenses omnium innocentissimi 194. b. Circensium origo, & frequentia. 195. a Theodosius, & Leo Imperatores Circenses festis diebus prohibent. 193. a. Circenses quãdo dati, & quibus. 202. a. Circensiũ præmia. 204. a. Vide de Circensibus etiam vide Circus.

LVDI SATVRNALES, SEV GLADIATORII.

Saturnalium quis institutor. 205. d. Dies Saturnalium. 206. b. Saturnalium origo, & frequentia. 206. c. d. Saturnales, seu Gladiatorij ludi per partes distinctè quoad personas, modum pompam, &c. referuntur. 210. & sequentibus. Eorum studium maxime præiudiciale iuuentuti. 205. d. Gladiatorij ludi limitati, & sublati. 207. b. Gladiatorum conditio. 207. Serui damnabantur ad gladij ludum. 208. a
Ludis Gladiatorijs monebantur Romani fortiter pati, fortiter agere. 214. b.

LVDI SCENICI.

Scenicorum ludorum origo. 243. d. De Tragœdia, & Comœdia. Vid. verb. Tragœdia, & Comœdia. De scenæ obscenitate. 248. a. Obscenum quid sit. 238. c. Mimi, & Pantomini infames. 238. c. Senatoris filia, quæ artem ludicram fecit impunè liberto nubit. 238. d. Histrionum fingens sylua, & ludorum diuersa genera, & varia nomina. 239. &c. Mirifici. 239. Petauristæ. 240. c. Cernuatores. 240. Histrionum origo, & nomen. 243. d. Mimi. 244. d. Mimorum capita rasa. 245. 248. a. De Saltationibus. 245. c. Saltatoribus quis honor habitus. 246. a. Personarum inuentio & materia. 247. a. &c. De mercede, & honore scenicis dato. 248. b. c. Machinamenta in scena etiam hodie. 249. b. Tessera Theatralis, vide Tessera.

LVDI VENATIONVM, SEV FERARVM IN AMPHITHEATRIS.

De Amphitheatro. 115. a. De eius partibus. 217. a. Venationes seu ludi ferarum in Amphitheatris distinctè, & ad longum describuntur. 216. &c. Mirabilia in Amphitheatris exhibit. 216. b. c. d. Amphitheatri ordo in sedendo. 217. c. Odor, 218. b. Vela. 218. c. Spoliorum 218. d. Venationis in amphitheatro origo, & causa. 219. b. Quibus Dijs, & quare omnis veneratio sacra. 219. d. A Constantino Magno huiusmodi venationes vetitæ. 220. c. S. Ignatij ad Bestias damnati in Romano Amphitheatro Martyrium. 221. a. De sumptu venationum, de aduectione ferarum, earumque genere. 121. a. c. De huiusmodi spectaculorum generibus, apparatu, circumstantijs, & instrumentis. 122. & seqq. Ferarum ludos maximè detestati sunt sancti Patres. 220. b. De Bestiarijs, siue ad Bestias damnatis, & eorum conditione. 227. b. 228. b. Christiani ad Bestias damnati. 227. c. Ad bestias dari horribile supplicium. 227. d. Ex Bestiarijs, qui essent infames. 228. c. Potestas Dominis per legem ablata seruos pro arbitrio ad Bestias tradendi. 237. d.
Ludouici XIII. Francorum Regis laudes. 69. c. 70. d.
Ludouicus Pius donationem Pipini, & Caroli Ecclesiæ factam confirmat. 85. c.
Lupa Romuli, ac Remi nutrix. 369. c.
Lupercalia sacrificia. 369. c.
Luxuria eiusque damna. 144. b.

M

Magistratus, vid. in verbo Romæ. Publica munera diuidenda. 396. d. Gubernationes amouibiles esse debent. 397. c.

INDEX RERVM.

MANES.

Manes, seu defunctorum animas humano sanguine placari credebant Ethnici. 219. a. 206. c.d. Seruos in exequijs immolebant. 219.c. Officium mortuis gladiatorum, & venationum spectaculo facere arbitrabantur. 219.c.

MARE.

Mare loca maxime disiuncta iungit. 8. 17. a.
Mare Hollandis, & Batauis quas vtilitates afferat. 8. d.
Maris proximi vtilitates. 8. d.
Maritima loca custodienda. 397. d.
Marozia Alberici mater. 115. c.
Martyres Mimi. 235. b.
Martyrum Passiones fecundam reddiderunt Ecclesiam. 102. a.
Matrimonium vide Nuptiæ.
Mausoleum Cariæ. 21. a. 352. d.
Maximianus Imperator. 76. d. Deponit Imperium, & quibus cæremonijs. 78. c.
Mediocritas. 157. a.
Michael Angelus Bonarota. 107. a.
Militarium per lapides computatur, & vnde ille mos prouenerit. 50. c.

MILITIA MILITARIS ARS, ET DISCIPLINA.

Militaris prudentia. 139. b. Multa de ea 401. Prouinciales copiæ. 6. a. Copiæ Vrbanæ. 6. b. Prætoriani Milites. 6. c. Tribunus militum. 395. a. Exercitum Romani Pacis, & belli tempore alunt. 6.d. Certos annos census in militaria stipendia decreuit. 491. b. Etiam in pace militaribus affluescunt Romani. 7. a. 140. b.
Militaris exercitationis commoda. 7. b. 401. b. 402. c. Classes in mari perpetuæ. 7. c. Naualis militia qualis. 7. d. Nauium numerus. 8. a. Nautica stipendia. 9. b. Classes in fluminibus 9. b. Numerus præsidij in Romano Imperio. 9. c.
Militare ærarium. 16. e. Obedire militum est. 401.
Militares coronæ. 176. d.
Milites Roman. indebantur lacerna. 251. c. Sagum belli fuit insigne, 255. b.
Militum in acie vestes, & earum color. 262.
Militibus a quibus tradita colores. 262. c.
Milites in Baltheis, & cingulis gestant Tesseras principum sub quibus militant. 262. d.
Militaria signa. 264. b. vide etiam in verbo Arma.
Militum & Ducum cognomenta, ex insignibus nata. 264. d.
Militares Tesseræ. 287. a vide etiam in verb. Arma, & Tesseræ. In Militum anulis quare pictus scarabæus. 269. b. Tesseræ belli, & Pacis. 287. b. Belli indictio per feciales. 371. a.
Militum delectu industriam omnem ponere deb. dux. 401. Quales milites deligendi. 401. d. Quæ militibus obseruand a. 402. b. Ocium non permittendum militibus. 402. c. De militum præmijs, & pœnis. 403. a.
Miles Romanus à Vegetio descriptus. 406. a. Temeritas semper damnãda, vitanda. 207. c. 408. d, Duci necessaria prudentia. 408. a. Stratagemata in duce laudata. 408. b.
Militaria stipendia soluenda. 411. a. De seditionibus militum, earumque causis, & remedijs. 411. a. &c. Prima cura pietatis in duce, & in milite sit. 412.

MIMI.

Mimi martyres. 235. b.
Mimi Pantomi, &c. vide verbo ludus scenici.
Miracula Orbis septem. 20. c. Mitres Obeliscorum inuentor. 39. b.
Molæ frumentariæ. 54. a.
Moles Adriani, seu sancti Angeli. 114. & sequentibus.
Monarchia, vt plurimum vertitur in tyrannidem. 76. b.
Moneta vide pecunia. Mons perfossus, & freto nauigabilis redditus à Xerxe. 51. c.
Mors eiusque cogitatio. 342. 32. b. 359. b, vid. funera.
Mors Christianorum somnus, mortui dormientes vocantur. 60. d. 56. c.
Mortuorum Christianorum cura qualis esse debeat. 44 a.

MVLIER, SEV FOEMINA.

Mulier qualis in vxorem eligenda. 311. a. & sequentibus.
Mulierum ira maxima est. 311. a
Mulierum alia vitia. 311. a.
Mulierum amor, quæ pariat damna. 511. a.
Mulieri quæ conueniant, & contra. 511. c.
Mulieri non committendum omne secretum. 312. b. Quæ mulierem deceant. 312. c.
Mulierum cultus & ornatus. 311. d.
Munerum potentia. 148. b. 596. b.
Munera clam erogata Iuscipionem ingenerant. 148. b.
Municipia. 418. a.

N

NAbuchdonosoris statuæ visio.
Narses Totilam superat è cœlo dimicandi tempus discit. 83. c. Narsetis laudes. 103. d.
Nauigationes in Indias, aliasque regiones dissita & longinquas à quibus, & quando institutæ. 160. c.
Nectabis, seu Nechao Aegypto Rex. 40. c.
Nemo potest duobus Dominis seruire. 190. b.
Neronis aurea domus. 16. b.
Neruæ Imperatoris egregium facinus. 17. a.
Nicolaus Tertius. 105. b.
Nobilitas vera. 266. b,
Nobilitas vera virtutibus metienda. 132. d. 133. a
Nosocomium sancti Spiritus. 106. b.
Nosocomium Lbreranense. 105. b.
Nosocomium Iucurabilium. 108. a.
Nummus, & res nummaria vid, pecuniæ.
Nuncoreus Aegypti Rex. 40. a.

NVPTIAE.

De ritu Nuptiarum. 293. b. Sponſalia, ſeu ſtipulatio. 293. b. Arrha, ſeu anulus. 293. c. Cur datur anulus. 293. c. Aetas qua ſponſalia fieri poſſint. 293. d. Die nuptijs deſtinatæ indictio. 294. a. Tribus generibus vxores quęſitæ. Vſu farre coemptione. 294. b. Auguria pro nuptijs. 295. a De ornatu ſponſæ. 295. b. Corona redimiri ſponſæ conſueuerunt, 295. b. De texta tunica, & cingulo ſponſæ. 165. c. Cingulum vir in lecto ſoluebat. 295. c. Cingulo nomen Ceſtus vnde nomen Inceſtus ex defectu cinguli legitimarũ nuptiarum. 295. d. Cingulus, ſeu faſcia pudoris Virginei, & coniugalis caſtitatis ſignum. 196. a.

Nubentes Iunoni ſacra facientes fel non porrigebant, ſed abijciebant: affertur huius ritus cauſa 296. b. Iugum contrahentibus imponi conſueuit. 296. c. Velo obnubi ſolitæ cũ ad virum deducerentur nouæ nuptæ. 296. Velum illud flammeum appellabatur. 296. c. d. De ritu pompę & lætitiæ ſigni in traductione ſpõſæ vide late. 296. & ſequentibus. De pueris Patrimis, & facibus nuptialibus. 267. a. De Curru Geniali, & alijs cæremonijs in traductione. 297. c. De nuptiali cœnę. 298. c. Feſcennini verſus decantari in nupt. ſoliti. 299. b. Supra faſcinum ſedere noua nupta iubetur vbi diffusè de Idolo Mutini, & Priapi. 299. c.

Ex ritu veteri de Cęlibari haſta elucidatur ſimilis ritus præcedentis ſæculi de impoſitione gladij ſuper capita contrahentium per Notarium poſt præſtitum conſenſum. 300. c. De ætate. 301. a. Ex adoleſcentulorum nuptijs quę mala proueniant. 301. d. Matrimonium importunum. 302. c. De conditione ſtatus latè. 303. d. & ſequentibus. De ſolutione Matrimonij. 305. a.

Nuptiæ, quæ & quibus, & qualibus cauſis prohibitæ diffusè 305. b, ſequentibus. De conſenſu 307. b. De pluralitate vxorum. 307, d. De nuptiis intra tempus luctus. 308. b. Tempus luctus decem menſium erat. 308. b. Cum Virginibus Veſtalibus contrahere nefas. 309. a. Coniugij coniugum immunitates, & priuilegia. 300. b. Solonis placitum de ſeminarum dote. 309. b. Pauperes, vt bonis donati; ne paupertas à matrimonio illos abſterreret. 309. c. De educatione filiorum. 309. c. Multiplicatio nõ fit ſolo matrimonio niſi educatio accedit. 309. c. Alexander Seuerus pauperum liberos ſuis sũptibus educari curabat, 310. d. Qualis coniux apud Chriſtianos eligenda. 311. d, & ſequentib. Quæ in coniuge cauenda. 311. c. Quę & qualiter vxori committenda. 312. c. Qualiter vir ſe gerere debeat erga vxorem. 312. c.

O

Obeliſcorum origo nomen Materia. 37. c. d.
Obeliſcorum forma. 38. b.
Obeliſcorum cauſa extructionis. 38. c.
Obeliſcorum inſcriptiones, ſeu hieroglyphica. 38. c.
Obeliſci etiam ante Diluuium ſcalpti. 38. d.
Obeliſcorum differentia inter ſe. 39. b.
Obeliſcorum inuentores. 39. b. 40. a.
Obeliſcus Lateranenſis. 39. d.
Obeliſcus Vaticanus. 40. a. quare ſine notis. 40. b
Obeliſcus Exquilinus, 40. c.
Obeliſcus Circi Magni. 41. b.
Obeliſcus Campi Martij. 41. b.
Obeliſci nomine veniunt ſtatuę domus Solis Aegypti. 41. d.
Obeliſci in Vrbem quando, & quomodo aduecti. 42. a.
Obeliſci quadraginta quatuor poſt Caium Romam aduecti. 42. c.
Obeliſci à Gothis 2. confracti. 43. a. A Barbaris deuaſtati. 108. c. 43. d.
Obeliſci à Sixto V. erecti. 198. c.
Obeliſcorum expurgatio, & conſecratio. 108. d.
Obeliſcus ab Innocentio X. in foro Agonali erectus. 112, c.
Obeliſci in Circo. Vide verbo. Ludus Circenſis.

ODOACER ERVLORVM REX.

Odoacer Erulorum Rex rerum ſummam conſequitur. 82. a. Purpura, & nomine Imperatoris abſtinet. 82. a.
Otium eiuſque damna. 77. c, 402. b.
Ouatio vide Triumphus.

P

PAludes Pontinæ vnde aquas, vnde nõmen hauriãt. 66. d. De eorumdem exiccatione & ratione eas exiccandi. 67. a. 113. c. d. exiccatæ magno cum fœnore ſemina reddunt. 67. c.
Pannonij à Domitiano domiti. 47. a.
Parabolani. 227. c.
Paſchalis II. 116. c.
Patritij, 392. a.
Paulus Tertius. 107. b. Paulus IV. 107. c.

PAX.

Pacis vtilitas, ſeu neceſſitas. 25. b. Ex pace ſecuritas. 158. b. Ex eadem commercia & animorum artium que cultura. 159. a.
Pax, & tranquillitas Probo imperante. 160. a

PECVNIA.

De pecunia Nummis, & Moneta. 288. b. c. d. Rei nũmariæ à cognitio Iuſto Lipſio reſtituta. 288. b. Nummi nomen vnde. 288. c.
Pecunię nomen à pecude dictum. 288. c. Omnis res familiaris pecunia largiter dicta. Nunc pro numerata pecunia accipitur. 288. d. Triumuiri Monetales. 288. d. Pecuniæ, ſeu numiſmatum origo. 389. a. Pecunia appenſa, & numerata. 289. c.
Pecunia, ſeu moneta ſignata. 290. b. Antiqui Corijs Boum loco nummorum vſi ſunt. 298. b Idem noſtris temporibus accidit ſin caſu defectus auri, vel argenti. 290. c.
Pecunię, ſeu nummi ſignati inuentor. 290. c. Iani veteres

veteres nummi delineãtur,& elucidantur.291. a. Argenteus nummus apud Romanos. 292.a. Apud Israelitas moneta multo ante Rom.Imp. signata. 292. a. Ferrea moneta. 262. b.
Pecuniæ vis, & commoda. 16. d.
Pecuniæ affluentia, quę pariat mala. 17.c.

PEREGRINI.

Peregrini omnes fumus super terram. 334.d.
Peregrinorum in sepulturã tempus ager ex triginta argenteis, quibus Christus Dominus appretiatus. 341. b.
Peregrinorum tantum corpora admittit ager Romæ dictus Campo santo. 341. c.
Peregrinorum Romam aduentantium multitudo 33. b. 34. a- 34. b.
Pericula vitanda. 405. b.
Persecutio Ecclesiæ domestica omnium molestissima. 86. a.
Persecutio maxima Ecclesiæ tempore Antonini, & Iuliani. 368.d. 369. b.
Petri Leoni Antipapæ, quid. est impia vita, pessima mors. 200.c.
Petrus Leonis auctor Siculæ Monarchiæ- 100. c.
Philippi duo Imperatores Christiani- 192.a.
Pythonissæ furentes quomodo miracula ederent. 381.
Phocion dona respuit. 148.c.
Pietatis prima cura esse debet. 408. c.

PILEVS.

De Pileo apud Romanos. 378. b.
Pileus manumissionis, & libertatis symbolum. 184. a- 278.b.
Pileum accipiebant serui raso capite cum manumittebantur- 278.c.
Pileo fuerint ne vsi Romani, & quo tempore. 78. d.
Pileo olim Romani alięque nationes abstinuerunt. 279. a Tempora quibus ius, & vsus caput tegendi fuit assignantur. 279. b. Romani velato capite sacrificant. In Ludis pileati. Senibus etiam Pileum tribuerunt. 279.b-c.d. Qui mos Romanorum in deferendo honore, quem nos præstamus pileum auferendo. 280.a
Pipinus Francorum Rex, Astulphum Longobardorum Regem vincit. 84. b.
Pipini donatio in fauorem Romanæ Ecclesiæ, 84.c Primus amplificandæ Ecclesiæ viam aperit. 84.c. Pyramides Aegypti. 23. c.
Pius Quartus. 107.d. Pius V. 108. d.
Plebs. 153. b. 155. b.
Plebes, seu populi mores, specialiter inconstantiæ. 119. c. 139. a. 425. c.
Plebis à patribus secessio. 393.c.

PONS.

Pontes 61.b.
Pons sancti Angeli. 115. b.
Pons Triumphalis. 116. d. Palatinus & Senatorius. 61- c. Fabricius, & Cestius- 61.c.
Pons Sublicius antiquissimus. 61. b.
Pons Ianiculensis Vaticanus, Miluius, Traiani supra Danubium. 62. a.
Pons Darij. & Xerxis. 63. a.b.
Pons Caligulæ. 64. b. d.
Pontes septem Lutetiæ Parisiorum, & alij pontes in Gallia. 427. b,
Pons admirabilis in magna Brittannia. 427. d.
Poculum boni Dei, seu boni genii. 431.
Portus ad ciuitatem veterem. 111. c.
Portorium Arabiæ Felicis. 12. d.
Potestatis duplex modus perueniendi ad potestatem regendi populum. 3. a.
Potestas secularis quomodo à principio introducta. 4. b.
Potestas qualiter, & quomodo sit à Deo. 4.d.
Potus, de potu calido. 453. a.
Præmijs, pœnisque regna firmantur. 155.d.
Præfectus Vrbis. 362. d.
Præfectus Annonæ. 283.d. 394. d.
Præfectus Prætori, & Præfectus vigilum. 396.a.
Prætextatus tempore sancti Damasi Romani Pontificis dignitatem consulari præfert. 65. a.
Prætores. 365. c. Principes iuuentutis, 154. c.
Proconsules. 384.a.
Proconsulis legatus. 394.b.
Procurator Cæsaris. 396. a.
Prudentia Ducis necessaria. 408. a.
Ptolemæus Philadelphus. 40.c.

Q

Quadriga Pythis marmorea- 21. b.
Quæstores eorumque munera. 392. b.
Quinque viri mensarii. 395. d.

R

Raphael Vrbinas. 107. a.
Ratio quam vocant status, quæ Reipublicæ afferat damna. 389. d.
Religionis vis, & necessitas. 418. c.
Religio qualiscumque fuerit ea hausta ægrè educitur. 136.c.
Robertus Guiscardus Vrbem occupat, & diruit. 100. b.

ROMA.

Romæ laudes. pag. 1. 6. c. 3.a. 10. d. 24-b. &c. 164. c. Multitudo Ciuium in Vrbe. 10. b.
Roma communis patria. 10. d. 33. a. Ciuitate donati, & hostes. 10.d.
Romæ soli Barbari, & serui peregrinantur. 11. a.
Roma mundi caput. 11. d. 114. b.
Romæ comparatio cum septem Orbis miraculis. 20.c.
Romanæ Vrbis miracula septem Orbis miracula superant. 24. b.
Romanę Vrbis situs, & amplitudo. 32.c. Situs Vrbis laudatur. 32. d. 45.c.
Roma mari assimilatur, & comparatur. 33.b.
Romanæ Vrbis frequentia, seu multitudo habitantium. 33.c. 34.a.
Romanæ Vrbis magnitudo. 33. c.
Romanæ Vrbis Suburbia eorumque magnitudo. 34.a.

34. a. 421. d. Peregrinorum aduentantium multitudo. 34. b. Vnde cibus suppeditatus multitudini vrbis. Vrbis statuæ. 35. a, Vrbis per Gothos, & Vvandalos denastationes. 45. b 79. c. A Longobardis obsessa, à Saracenis direpta. 43. d.

Roma Romæ sepulta iacet. 52. d. Vrb. depredatio, & exitium canitur à Sibylla. 76. a. Valida fame ve xatur anno Domini. 409. 79. d. 83. b.

Roma qualis post Barbarorum incursiones, & depræ dationes remanserit. 83. d.

Roma à Longobardis illæsa patrocinio Apostolorum. 84. a-b. Interpretatio nominis Romæ, glorioſa, 90. c.

Roma post Barbarorum afflictionem, & deuastationem restaurata. 103. c.

Roma per multos successiuè Rom. Pont. restaura, & ornata. 104. a.

Romanæ vrbis templa per ipsos ædificata, restaurata, & ornata. 104. a. &c.

Romæ status qualis in absentia Romani Pontificis, 105. c.

Roma recens an cum antiqua conferri queat. 115. c. Situs Romæ recentis, 115. d.

Romæ asylus. 417. d. Situs veteris vrbis. 115. d. Amplitudo Vrbis antiquæ. 421. c. Aedificia Vrbis. 120. b. Veteris Vrbis ædificia. 120. b. Noua Vrbis templa, & ædificia. 121. b.

Roma recens antiquæ anteferenda. 123. b.

Romana vrbs quomodo tantum excreuerit. 413. a De vrbis perennitate. 122. c. Refertur Ethnicorum opinio. 122. c. Vrbis æternæ nomen vnde. 123. b.

Romæ Peregrini humaniter excipiuntur, ijsque amice omnia communicantur. 414. b.

Romæ diuini honores habiti, vel attributi. 123. c Templa Romæ Deæ ædificata, &c. 123. c.

Roma Dea simul cum Venere adorata. 123. d.

Roma Deorum parens habita. 124. a.

Roma Babylonis nomine intelligatur apud sac. Interpretes. 124. c. Quare Roma appellata fuerit Babylon. 124. d.

Roma ethnica persecuta est Ecclesiam, & à sanctis Petro, & Paulo, eorumque discipulis debellata. 125. a.

Romæ excidium prædixerunt Sibyllæ. 125. d. Tertia sententia de Roma, vt Ethnica quondã destruenda & eius ad fidem conuersione. 126. a. 129. d. Tertia sententia preferenda. 127. a.

Romæ Christianæ dignitas, & Maiestas. 160. b. Cur Roma, & aliæ vrbes floris sui maturitatem assecutæ non maius sumant augmentum. 165. &c. & per integrum caput. Ex inopia alimentorum ciuitates non augentur. 166. c.

ROMANAE VRBIS REGIMEN, ET MAGISTRATVS.

Regiminum reuolutio. 390. c.

Regia potestas. 391. b.

Reges ab initio 391. b. De singulis Romanæ vrbis Magistratibus distinctè per integrum caput. De Vrbis Præfecto. 392. d. De Consulibus, Dictatoribus, & Tribuno Plebis. 393.

ROMANA ECCLESIA, ET ROMANVS PONTIFEX.

Romani Pontificis in vrbe Principatus. 87. c.

Romana Ecclesia à Petro instituta. 87. d. 164. c. Festum Cathedræ sancti Petri. 87. d. Cathedra lignea sancti Petri in Basilica Vaticana seruatur. 88. a. Ecclesiæ Catholicæ vnitas.

Romanus Pontifex Apostolicus appellat. 88. b.

Romana Sedes Apostolica antonomasticè dicitur. 88. b. Petri, & Pauli Pontificis primatus 88. c. 165. b.

Romanus Pontif. Petri successor, non Pauli. 88. c. Opinio contraria damnata, vt hæretica. 88. d. Catholicus, qui Romanæ Ecclesiæ communione coniung. 89. a. 90. d. Hæreticus, qui ab eiusdem Cathedræ communione diuisus.

Romana Ecclesia mater, & radix omnium Ecclesiarum. 89. b. c. Ab Vrbe missi à beato Petro ad prædicandum per Orbem discipuli. 89. c

Roma quare Sedes Petri. 9. a.

Romanæ Ecclesiæ status qualis ab initio. 90. b. Ecclesiæ Romanæ communionem suffurari conati sunt hæretici. 90. d.

Romanæ Ecclesiæ magna Dei prouidẽtia impolluta seruatur. 91. c.

Romanæ Eccl. priuilegia à Christo. 92. b. Imperator Rom. ius nullum habet in Rom. Eccles. 92. c.

Rom. Ecclesiæ obedientia ab Imp. & Reg. exhibenda. 92. c. Contra Rom. Eccles. concessa, & à summo Pontifice non tenent. 93. b. Priuilegia concessa à Romana Sede nõ debent ipsi præiudicare. 93. c.

Romanæ sedis in Concilijs auctoritas. 93. d.

Romana Sedes à nemine iudicatur. 94. a.

Romanæ Sedis suprema auctoritas ab infidelibus: agnita. 94. Agnita ab Hæreticis, & alijs sedibus. 95. a.

Rom. Pontif. suprema auctoritas ab Imperatoribus agnita, & defensa. 95. c. Ad sedem Apolicam appellatio omnibus libera. 95. c.

Romani Pontificis facultas in dispensando. 96. b.

Romana Ecclesia ab omnibus consulta, & consulenda. 96. b. Laici ab electione Rom. Pontificis exclusi. 97. a. Ex Laicis, qui sibi ius eligendi arrogauerint. 67. a. 99. c. Conc. habitum aduersus eos, qui viuente Rom. Pont. de successoris electione tractarent. 96. d.

Romana Ecclesia quomodo administraretur pẽdente confirmatione Imperatoris. 97. c.

Romana Ecclesia liberatur à Constantino Pogon. à solutione pecuniæ pro Pontifice ordinando. 98. a. Liberatur ab expectatione confirmationis 98. a. requisitus aliquando Italiæ exarchi consensus. 98. a. refutatur error dicentium ab Adriano Pontif. concess. fuisse Carolo Magno ius eligendi Pontificem. 98. b. Ecclesiæ Rom. persecutio domestica omnium molestissima. 86. a 99. a.

Rom. Eccl. calamitates vnde prouenerunt. 102. a. Ecclesia in fide illibata. 102. b. De Rom. Ecclesiæ perennitate late. 122. c. 132. c.

ROMANI.

Romanorum religio, iustitia, & pietas. 4. a. 133. b 137. c.
Romanorum fides à sancto Petro laudata. 86. b.
Romani aliqui Imperatores non Christiani Christianam pietatem præseferunt. 134. a.
Romanorum probitas. 137. a.
Romanorum clementia. 138. b. Fortitudo. 140. a Animi celsitudo, & constantia. 141. d. 142. a Continétia. 142. c. parsimonia in ementis. 142. d. Frugalitas in vestibus. 143. b. Fidei, & secretorum custodia. 143. c. d. Benignitas & hilaritas. 145. b. Apud Romanos amor potior, quam timor. 147. a. Virtus nec illaudata, nec irremunerata. 14. d. Doctrinæ, & animi cultus ac etiam mechanicarum artium cura. 149. a. 151. b.
Romanorum militaris prudentia. 139. b. Iusta bellorum initia iustæ belli causæ. 137. d. 136 d. De priscorum Romanorum virtutibus. 132. d. Dignitas & magnitudo quibus adminiculis cõsueta, cum iustitia pace, & abundantia. 423.
Rom. mediocritate excelluerunt. 157. a.
Rom. reipublicæ laus. 157. b.
Romanorum libertas. 159. d.
Romanrum deprauati mores, 77. b.
Rom. in Pontificem rebellant, & Remp. antiquam restituere tentãt, vnde in illos S. Bernardus inuehitur. 100. d.
Romanorum luxus inferiore Imperij æuo. 143. c.
Romanorum scelera excusantur. 156. per integrum caput.
Rom. fuerunt ne vsi pileo, vide Pileus.
Romanorum quis modus in deferendo honore. 820. a.

ROMANORVM VESTIMENTA.

Romanorum circa vestimenta pecuniarum effusio. 50. b. Vestimentorum varia genera. 251.
Romanos pellibus indutos fuisse. 251. b. de Lacernis Romanorum. 251. c Varie Augustorum circa vestes decreta. 252. b. Vestis fericæ bombycinæ purpurea. 252. a. b. c. Purpurã quis Romanorum Principum primus sumpserit. 253. c. De Toga & multiplici eius differentia. 255. a. eius forma, & vsu. 255. a 366, c. Toga propria Romanorum vestis tempore pacis. 255. a. 429. Toga post Augustum exoleuit. 255. c. Veterum vestium colores. 262. b. 429. b. De Albo vestium colore apud Romanos. 428. a. De mulierum vestimentis diffusè. 256. d. Matronæ honestiores quibus, meretrices quibus stolis vestiri solitæ. 256. a.
Romani veteres modestissimè induebantur. 259. d. Vitilem amiculum in scenis, seu Campo ad inguina tegenda, & libidinem comprimendam 277. De Vulgi vestibus. 42. 6. a.

ROMANVM IMPERIVM.

Romani Imperij magnitudo. pag. 1. a. 5. b.
Romani Imperij symbolum Aquila. pag. 2. a. eius effigies, & prœeminentia, ibidem.
Rom. Imperator filius vocatus Rom. Pont. 2. c.
Romanum Imperium insurrexit per potentiam, & sæcularem prudentiam. 4. a.
Romani Imperij fines. 5. b,
Romani Imperij fines ampliati. 5. d.
Romani Imperij fines qualiter muniti. 6. a.
Romanum Imperium quare in tantum excreuerit. 11. c. 133. b. De Rom. Imp. declinatione. 76. a. eius declinationis causa. 76. c.
Romani Imperij diuisio. 76. c. 78. d.
Romani Imperii finis in Occidente. 81. d. 82. a.
Romani Imperii ab Oriente in Occidentem trãslatio in persona Caroli Magni. 85. b. Diuino consilio, & conuenienter per Rom. Pont. facta. 85. b.
Romanorum plurimorum Imperatorum infelices exitus. 87. a. Ethnicorum opinio refertur. 122. c. Quando, & à quibus Romanum Imperium destruendum. 125. c. Ad constituendum Romanum Imperium, virtus, & fortuna contendit. 133. a.
Romani Imperii salus in Ciuium beneuolentia, & è contra. 147. a. Sub Romano Imperio felix vita pax, & securitas. 158. b. De regimine, & magistratibus Vrbis. 390. b.
Romulus, & Remus litteris instituti. 149. a.
Rupellæ, & eius Aggeris à Ludouico XIII. extructi descriptio. 68. a.
Rupellæ obsidio. 68. c. Nauale prælium, & deditio Rupellanorum. 70. d. Quanti ponderis illa expeditio. 72. a.

S

Sabinarum raptum. 413. c.
Sacellum dictum Sancta Sanctorum. 105. b.
Sacellum Gregorianum. 108. a. Sixti in Basilicæ sanctæ Mariæ Maioris. 108. b. Pauli V. in eodem Basilica. 109. d.

SACERDOTIA ET SACRIFICIA.

De Sacrificij, & Victimę nomine, & origine, immolatione, & delibatione. 360. a. &c. Vasa sacrificijs inseruientia, eorumque nomina materia & forma elucidantur, & delineantur. 362. & sequentibus. De aqua lustrali, eiusque vasa. 365. b. De Sacerdotiis, Sacerdotibus, & alijs ministris eorumque habitu diffusè. 369. 366. & sequentibus. Summus Sacerdos. & Ibicines. 367. b. Figurę veteris sacrificij, eiusque explicatio. 367. c. De Pontificibus, & Rege sacrificulo. 371. c. Lupercalia sacrificia. 369. c.
Saltationes, vide Ludus.
Salutandi vsus qualis apud Romanos. 280. a. Christiani salutant pacem precando. 280. b. Quare sternutantem honore prosequamur, eique salutem dicamus. 280. d.
Samnisertex Aegypti Rex. 41. a. Obeliscum excidit. 41. b.
Sathanas quomodo ligatus. 129. b.

Satur-

Saturnus à Iano excipitur. 290. c. in eius honorem nummus primo in vsu. 261.a.
Saturni sydus triste dies infausta. 206.b.
Scala Sancta. 108.b.
Scena vide ludus scenici.
Scipio Antiochi dona spernit. 148. c. Scipio Nasica. 371.d.
Scholarum vtilitas. 419.b.
Scripturæ sacræ traductio per 72. interpretes. 42.a.
Secretorum proditor dici potest proditor regnorum. 144.d.
Secreta amici pandens, vt perfidus cauendus. 145.a.
Seditiones militares, earumque causæ, & remedia. 411.a
Seminarium Romanum. 107.d.
Senatores Senatus. 153.b. 391.c. 422.a.
Senatorum maiestas, & munera, & qui in eorum ordinem admissi. 153.c. 491.d. Indigni per censores à Senatu emouebantur, & quomodo. 153.c.
Senatorum filij. 154.c.
Seneca diues, & diuitiarum contemptor. 18.d.
Sepulturæ ritus Ethnicorum, & Christianorum. 57.d.
Sepulchrum de illis late. 352. & sequentibus.
Sergius Secundus. 104.c.
Seruorum multitudo & numerus apud Rom. 19.a
Setostris AEgypti Rex. 41.a. Obeliscorum extructor. 40.a.

SIBYLLAE.

Sibyllæ, earumque Oracula. 317. & sequentib.
Sibyllarum vaticinia auctoritate Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ probantur. 377.c.
A Gentilibus prohibita Christianis sub pœna mortis Sibyllinorum libr. lectura. 179.b.
Sibyllarũ vita fides religio numerus. 380.d. 381.c.
Sybyllarum statuæ. 377. Silentii custodia reipubicæ necessariæ. 144.d. 45.b. 409.b.
Symbolum Apostolorum. 287.d. Simulatio Duci necessaria. 408.c.
Sphinx. 23.a
Spiritus vbi vult spirat. 235.c.
Spolia opima. 184.d.

STATVAE.

Statuarum origo & augmenta multitudo pretium & species. 35.c.
Statuis Deorum honor habitus ab Ethnicis Romanis, & per illas dæmones responsa dabant. 36.b. Statuas quare Græci nudas Romani tunicatas ponant. 36.b.
Statuarum custodia. 36.c. Statua primum Cereri Romę posita. 36.c.
Statuas Constantius Vrbe distrahit. 36.d. Earum reliquiæ à Barbaris sublatæ, vel mutilatæ. 37.a.
Stephanus VII. Rom. Pont. à sede pulsus. 99.d.
Sternutationum superstitiosa consideratio damnatur à sancto Augustino. 283.
Sternutantib. quare aue dicamus, & quare eos honore prosequamur, vide salutandi vsus.

T

TEMPLA VETERIS ROMAE.

Templa vnde dicta sint fana. 369.b.
Templum bonæ Deæ. 369.c.
Templum Dianæ Ephesinæ. 23.b.
Templum Fortunæ in Neronis domo. 27.a.
Templum Iouis Capitolini. 25.b.
Templum dictum Pantheon. 28.b. 104.a.

TEMPLA RECENTIS ROMAE.

S. Agathę in Suburra. 104.a. S. Andreæ ad Cliuum Scauri. 104.a. de Valle 108.d. S. Angeli in Mole Adriani, & prope dictã molem. 115.a. b. S. Bibianæ. 105.a. S. Caij. 100.d. S. Catharinę ad Funarios. 107.c. S. Cęciliæ. 109.a. S. Cęsarij. 109.a. SS. Cosmæ & Damiani. 110.d. S. Dominici in Quirinali. 108.a. S. Hieronymi Illyricorum. 108.b. S. Iacobi Incurabiliũ. 108.a S. Ludouici nationis Gallicæ. 108.a. S. Mariæ Angelorum ad Thermas. 107.d. 315.c. S. Marię in Aquiro 108.a. S. Mariæ Populi. 106.c. S. Mariæ in Vallicella. 108.a. S. Martinæ. 111.a S. Martini in Montibus. 315.a. Sanctiss. Nominis IESV. 108.a. S. Petri in Ianiculo. 106.c. S. Pudentianæ. 109.a. S. Siluestri in Quirinali. 107.d. Sanctissimæ Trinitatis in Pincio. 106.c S. Vrbani extra portam Capenam. 100.d.
Templorum Hemisphęria. 121.b.

TESSERAE.

De vario Tesserarum vsu. 283.c.
Tessera Militaris. 287.a.
Tessera Frumentaria. 283.c.
Theatralis. 286.b. vocalis, & muta. 287.a. Pacis, & belli. 287.b. Tesserarii 287.a.
Tesseræ diuersorum Ducum, & Principum referuntur. 287.a.
Thermæ vide Balnea.
Thesauri in sepulchris reconditi. 235.a.
Timendus hostis. 404.a.
Totila Gothorum Rex Vrbem capit.

TRAGOEDIA.

Tragœdiæ etymologia. 229.a.
Tragœdiæ Antiquitas. 229.b.
Tragœdiæ definitio. 229.c.
Tragœdiæ finis, & vtilitas. 226.c.
Tragœdiæ partes earumque conditiones. 230.b.
Tragœdiæ, & Comœdiæ quomodo differant. De Cothurno, & Socco. 236.a.
Traiani equestris statua, & eiusdem statua super columnam. 46.b. Traianus dictus herba paueticina. 29.d. Eius mores. 145.d. 148.a.
Traianus solus in Vrbe sepultus. 46.d.
Titulus in Iulii Triumpho, veni vidi vici. 180.d.
Triumphus Aureliani. 178.b.
Triumphus Iulii Cæsaris. 178. 179.d.
Triumphus C. Marij & Iugurthæ. 178.d.
Triumphus Pompeij. 179.c.d. Camilli, & P. Aemilij. 185.d.
Triumphum gloriæ quomodo Christianus assequatur. 185.b.
Trophæa vide Triumphus.
Turris Pharos. 23.a.

TRIBVTA.

Tributorum genera. 12.b.
Tributa quomodo excreuerint. 12.c.
Tributorum summa. 12.c. Tributum Christus soluit. 13.a. Tributum Iudæorum. 13.b. Tributum Vrinarium, Stercoratium, & Meretricium. 14.a. Tributum causa triumphi. 14.b.
Triumphales coronæ, aurum coronarium. 15.b. 75.b. 182.c. Tributum coronarium. 15.b.
Triclinium Lateranense Leonis Papę III. 104.b.
De Triclinijs vide Conuiuium, & cœna.
Triumuiri deducendæ Coloniæ. 395.b.

TRIVMPHVS TRIVMPHARE.

Triumphalis arcus. 173.d. Triumphales arcus Titi, Septimii, & Constantini. 174.a. Trophęa 174.b. Trophæa speciem quamdam Crucis præferebant. 174.c. Pro trophæis aliquando columnæ, aræ, & turres. 174.c.
Triumphi nomen vnde. 174.d. Bacchus primus omnium triumphum duxisse dicitur. 175.a.
Triumphi auctor Romæ Romulus. 175.b.
Triumphantis habitus. 177.d.
Triumphantis currus. 178.a.
Triumphalis porta. 184.a. 179.a. Viæ, & Pons triumphalis. 179.a.
Triumphalis pompa ad longum describitur. 179.

V

VEctigalia eorumque diuersa genera. 12.a.
Vespasiani prudentia. 139.a.

VESTA, ET VIRGINES VESTALES.

De ijs diffusè. 372. & sequentibus.
Vestalium institutio. 372.c. 373.a.
Vestę ædes seu templa. 372.c. 373.a.
Vestalium officium, dignitas, auctoritas, & ornatus, 373.a. 374. &c.
Vestalium incestus pœna. 374.d.
Vestæ ignis perpetuus, de eo diffusè. 373.b.

VESTIS.

Vestium luxus eiusque damna. 143.d.
Vestis alba datur recens baptizatis. 430.a.
Vestium amictus indicat de moribus. 430.b.
Vestes, vestimenta Romanorum, vide verbo Romani. Vexilla vide verbo Arma.
Vexilla, quæ in sacris Processionibus circumferũtur. 281.b.

VIA.

Viæ omnes Italiæ in Columnam in foro erectam desinebant. 49.d.
Via Appia. 49.d. 50.c. 67.d. Monumenta in via Appia. 51.b.
Via Flaminia. 51.a. 107.d.
Via Iulia. 106.d.
Via Lata. 115.b.
Via Pia. 107.d.
Viæ vrbis veteres, & recentes. 115.b. 120.b.
Vię munichantur à Romanis. 51.a.
Viæ à Penis primum lapidibus stratæ. 51.a.
Via Regia, qua peruenitur ad Deum. 51.d.
Via ad Cælum, via Crucis. 205.b.
Vigilantiæ laudes. 19.d.

VILLA.

Villæ Romanorum earumque laus. 31.d.
Villa Gordianorum. 32.a.
Villæ Adriani reliquiæ. 32.a.
Villa Tusculana Aldobrandina. 109.a.

VIRGO.

Virgo an possit concipere recipiendo semen absque virginitatis læsione. 303.a.
Virginum Christianarum tria admiranda exempla. 382. &c.

VIRTVS.

Virtus in omni loco nascitur. 150.d.
Virtus apud Romanos, numquam illaudata numquam immunerata. 148.d. 155.c.
Virtutes Romanorum, vide verbo Romani.
Virtutem spes prœmij, & honoris excitat. 173.c. Ex virtutibus captanda gloria. 49.b.
Vitellii luxus. 143.d.

VNCTIO.

Vnctio Gladiatorum, & Luctatorum. 318.c.
Vnctio seruorum officium.
De vnctione vide etiam verbo Balnea, & Thermæ. De Vnguento Beatæ Mariæ Magdalenæ Christi Domini pedibus, & capiti impenso, & de eius alabastro. 318.b. 330.b.
Vrbanus Secundus. 116.c.
Vrbanus Octauus. 110.d. 118.d.
Vvandalorum Rex Genfericus Vrbem capit, & diripit, & ab eius irruptione Basilicæ Lateranensis, Vaticana, & Ostiensis immunes fuere. 81.c.

X

XERXES dictus Lepus Galeatus. 64.a.
Xenodochium sanctissimæ Trinitatis. 108. vide etiam in verbo Templum, & in verbo Hospitium.

Z

ZEnobię ab Aureliano viuere concessum. 182.b.